DE SVCCESSIONE ECCLESIASTICA *ET LATENTE AB ANTI*chriſti tyrannide Eccleſia, Liber contra Thomæ Stapletoni principiorum fidei doctrinalium librum decimum tertium:

Authore Guilielmo Fulcone Anglo, Aulæ
Pembrochianæ in Cantabrigienſi Academia Præfecto.

PERIIT ET INVENTA EST

LONDINI,
Excudebat Henricus Midletonus, impenſis
Georgij Biſhop, 1584.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Ad Lectorem.

QVia non vbique apud nos proſtant Stapletoni ſcripta, inſeruimus integrum librum decimum tertium, vt ex vtriuſque collatione quam dextrè ad ſingula reſponderit Author, facilius agnoſcere poſsis.

Vale.

DE SVCCESSIONE Eccleſiaſtica, & latente ab Antichriſti tyrannide Eccleſia, liber

contra Thomæ Stapletoni prin-
cipiorum fidei doctrinalium li-
brum 13. Auctore Guiliel-
mo Fulcone.

PAri commoditate qua tibi accidiſſe ſcribis (Thoma Stapletone) mihi etiam euenit, vt dum agerem apud Reuerendiſſimū Londinenſem Epiſcopum, de ædenda defenſione mea, noſtrarū ſcripturæ in Sermonem vulgarem verſionum, aduerſus futiliſſimas Gregorij Martini calumnias, mentione facta de iuſtitia inhærente, veſtróq; dogmate de iuſtificatione, nuper à te nouo opere commendato, copia facta ſit poſterioris illius æditionis, quam Sonnium Pariſienſem meditatum fuiſſe commemoras. In qua cùm præter expectationem, iniectis in primam libri paginam oculis, vidiſſem decimi tertij libri acceſſionem, contra meam reſponſionem, ad priores tuas in quædam ſcripta mea cauillationes euulgatam, facilè in memoriam reuocaui quod mihi antea penitus exciderat. Anno nimirum ſuperiore, quo eundem apud meos Cantabrigienſes gererem Magiſtratum, quo te ſcribis fungi apud tuos Duacenos,

cenos, mihi tum varijs negotijs diſtricto, & continuis occupationibus tantum non oppreſſo nuntiatum à quodam fuiſſe, te illius libelli ante triennium emiſſi confutationem adornare. Quàm primùm igitur commodè poteram commendata amicis quibuſdam libri eius æditione, cuius procurandæ cauſa tunc in vrbe aliquandiu moratus fuiſſem, continuò me in Suduuolgiam recepi, vnde ruſtico Muſæo abditus, ſi non tibi, qui ſtatueris forſitan apud te nunquam veritati cedere, at bonis tamen æquiſq; lectoribus in cauſa hac ſucceſſionis Eccleſiaſticæ, quæ inter nos controuertitur ſatisfacere aggrediar. Ac primū quòd in pręfatione tua, libellum meum maledictis & contumelijs vndique reſperſum fuiſſe quereris, vide quàm iniquus ſis rerum æſtimator, qui æquum poſtulas, vt cùm me prior non laceſſitus totidem penè conuitijs proſcidiſſes, quot ſententijs impetiſſes, nulla orationis acerbitate tibi regererem. Quanquam ſi maledicta & contumelias quibus ſcriptionem illam reſperſam cauſaris, ad calculum reuocare velles, ad vnum ferè crimen omnia reduci poterant, quo te quoties cauſam noſtram, quam quia optima ſit conuellere non poteris, fingendo deteriorem reddere ſtudes, mendaci & impudentiæ iure quidem vt mihi videtur optimo accuſare non vereor. Sed hæc melius ſuis quæque locis examinari poterunt, in quibus an tu modeſtius finxeris, quàm ego tibi mendacium obiecerim penes æquos lectores iudicium eſto. Proxima calumnia eſt, me vel honori meo, vel ſtomacho indulſiſſe, adque hanc ſcriptionem non veritatis ſtudio, ſed meipſum vindicandi ardenti deſiderio, & erga perſonam tuam flagranti odio acceſſiſſe, quæ omnia te animaduertere, ac ſi conſcius eſſes mearum cogitationum, quæ ſoli deo cognitæ ſunt, aſſeuerare non dubitas. De meo honore quàm parum ſollicitus eſſem, cùm pro veritatis defenſione contra te calamum ſtrinxiſſem, qui prudentes ſunt facilè coniecturam fecerint, vel quòd ex tantilla ſcriptiuncula, quam tu vix dignam tuo labore exiſtimas, vix exiguam gloriolæ vmbram expectare poteram, vel quia quotquot impijs veſtris ſententijs & opinionibus ſe opponunt, citius à vobis calumniam, quàm honorem reportare ſolent. Quin potius mihi propoſitum fuit, inanes quorundam veſtrorum gloriationes hac ſcriptiuncula retundere, qui pro more veſtræ ſectæ homunculorum, omnia veſtra quamlibet putida, immodicis laudibus vltra cœlum efferre ſolent. Quorum hæc erat futiliſſima iactatio, quæ mediocri libello ad Alani, vt nunc compertum eſt poſtulata a me reſponſa fuerunt, ea omnia duobus à te non prolixis capitulis conuulſa ac confutata fuiſſe. In quo non tam meæ exiſtimationi, quàm infirmiorum fidei conſultum volui. Quòd ſi honoris tam cupidus ſitienſq; eſſem, quàm tu fingis, non ſum tam ſtupidus (Tho. St.) quin alijs rationibus multo cōmodioribus illam ſitim reſtingui potuiſſe intelligam. De tua perſona, qui mihi non aliter quàm ex ſcriptis innotueris, quid aliud dicam? quàm quod tantum abeſſe ſcio, vt erga eam odio flagranti accenſus eſſem, vt contra ex animo optem, Deo votis meis conſcio, veram tibi ab hæreſi papiſtica reſipiſcentiam, vt omnibus bonis tam internis quàm externis frui poſſis, quibus vel ego ipſe, vel alius quiſpiam apud nos Deo propitio gaudemus. Sed pungit te, nec immerito, quòd in ipſo præfationis exordio, te Euangelij patriæq; hoſtem infenſiſſimum nuncupauerim. Quàm infenſus ſis Euangelij hoſtis, libri tui tam anglicè, quàm latinè conſcripti abunde teſtatum faciunt, his omnibus qui Euangelij doctrinam ex animo amplectuntur. Et ne ante hac acerbius quàm par eſſet, in te inuectus fuiſſe videor, ecce noua controuerſia de iuſtificationis doctrina nuperrimè à te agitata, qua gratuitã in Chriſto iuſtificationẽ per fidem, quæ imputatur nobis in iuſtitiam ſine operibus, quod eſt præcipuũ Euangelij caput, omnibus machinis euertere conaris, ſatis te prodit quã capitali odio puram Euangelij doctrinam hactenus proſecutus fueris. Quàm vero hoſtili in patriam animo affectus fueris, multa ſatis indicant. Vel quòd proſcriptos transfugaſque & publicè declaratos patriæ hoſtes tanto fauore complexus fueris, acſi non deteſtandam in patriam & ſereniſſimam principem ſeditionem mouiſſent, ſed bellum pro aris & focis, fortiter geſſiſſent. Vel quòd publico teſtimonio ſcripta Briſtoi ornas, quæ manifeſtam à legittima principe defectionem docent, laudant, hortantur. Vel quòd teterrimum perduellem, & qui apertè copias hoſtiles ad patrię internecionem cõiuratas, in Hyberniam traduxit, Nicolaum Sanderum, eiuſque de viſibili Eccleſiæ monarchia libros, qui nihil magis ſpirant, quàm nefariam ſeditionem, & omnibus bonis abhominandas in principem omni laude cumulatiſſimam Elizabetham contumelias eructant, nõ ſemel in hoc volumine magnis pręconijs extollis, ſed illud ipſum caput tam horrendis ſceleribus delibutum, atque coopertum ſic exoſcularis, vt non modò virum optimum, ſed tibi etiam ſuauiſſimum amicum fateri non erubeſcas. Poſtremo cùm te ſeruum deuotiſſimum Romano pontifici profiteris, teq́ue ac tua omnia illi addicas, Gregorio inquam 13. qui ſigna hoſtilia (Petri ſcilicet ſucceſſor, Chriſtiq́ue Vicarius) in ditionem illuſtriſſimæ Reginæ intulit, Caſtellum in aliena terra muniuit, ſubditum populum in principem armauit: qui denique tam funeſtæ, ſed iuſtiſſimæ tamen internecionis, omnibus ferè ſuis militibus, multiſq́ue alijs coniuratis auctor extitit: Non debes ægrè ferre, ſi talem te nuncupauerim, qualem tute ipſe te tam perſpicuis argumentis declaraſti. Ad cætera quæ congeris durius in te dicta, ſuis locis reſpondebo, & vtrunque doctrinæ caput, vt antea à me propoſita erant ſatis vti ſpero fortiter propugnabo: tum illud de perſonali ſucceſſione quòd non ſit vera Eccleſiæ nota, tum illud de eccleſiæ ad tempus ab impiorum conſpectu occultatione, vtcunque latitantem & fugitiuam Eccleſiam per contumeliam, blaſphemus in Deum, eiuſq́; ſacroſancta oracula, exagitare non deſinis. Quod te viſurum promittis, ſi quid poſt hac ſeu vernaculo noſtro, ſeu latino ſermone grauiter, & refutatione dignum ſcripſero, meq́ue alias à te reſponſiones expectare iubes: non eſt ingratum.

Sed erit ad veritatem inueſtigandam accommodatiſſimum, ſi intermiſſo fuſiore hoc dicendi genere, quo magni ſæpe errores ſophiſticis ratiocinationibus inuoluti, & Rhetoricis ornamentis veſtiti facilè obteguntur ad dialecticorum puncta, & verè analyticos ſyllogiſmos rem totam contraxeris. Ad hoc vtiliſſimum certamen, ſiue in hac ſucceſſionis Eccleſiaſticæ cauſa, ſiue in quacunque alia controuerſia, quam explicare ſuſceperis te magna confidentia prouoco. Hoc controuerſiarum profeſſore regio digniſſimum, hoc principiorum fidei doctrinalium vt tibi vocantur demonſtrationi appoſitiſſimum. Hoc methodo quam tibi ſuper omnes veſtros qui tecum idem argumentum tractarunt arrogas, conuenientiſſimum. Hoc ad rixas & contumelias vtrinq; compeſcendas, quarum te minimè ſtudioſum profiteris, aptiſſimum. Hoc denique ad veritatis lucem, è laqueorum ſophiſticorum tenebris eruendam, qui ſcopus eſſe debet omnibus ſcripturientibus, maximè neceſſarium. In hanc tu mecum paleſtram, ſi logici iudicij ſplendorem cauſa veſtra perferre poterit, deſcendere non recuſabis. Quod de pontificia Largitate aut domeſtica beneficentia, te Canonicatu & prębenda ab ordinario loci iamdudum ornatum, pręter regiam profeſſionem, nihil vel percipere vel expectare gloriaris; atque hoc me ſcire velis: partim confirmas quod de põtificis ingratitudine dixeram, qui neminem ex vobis hactenus pro veſtris in eum eiuſque ſedem meritis euexerit, partim tuo ipſius teſtimonio niteris, quod quàm firmum ſit non multum intereſt ad cauſam quã ſuſcepimus. Ego tibi nec iſtam quã prædicas , nec multo meliorẽ conditionem inuideo, opto verò vt eiurata ſemel omni impietate Papiſtica in domum Dei, cuius te cum Auguſtino ſiue decorem ſiue habitationem deligere profiteris, à qua tamen non minus quàm à patria exulas, tandem vt filius familias diuina gratia effectus ſuſcipi merearis. Digneuetoni 10. Aprilis, Anno 1583.

SVCCESSIO ECCLEſiaſtica locorum & perſonarum *eſſe debet, mundo conſpicua.*

CAPVT I.

Stapletonus.

V*T ad Eccleſiæ Catholicæ corpus quod conſpicuum & illuſtre, non obſcurum & latens eſt, Proteſtantes nullo modo pertinere oſtendantur, ſucceſſio imprimis paſtorum & populorum perpetua, quæ in Proteſtantum ſocietate deſideratur, argumento eſt reſpondebat olim „aduerſarius iſte;* fidei certæ & doctrinæ, non autem „perſonarum & locorum ſucceſſionem veræ „Eccleſiæ notam eſſe neceſſariam. *Aduerſus hanc reſponſionem, breuem iſtam ratiocinationem protuli. Fidei & Doctrinæ perpetuitas in Scripturis promittitur Mat.* 13.16. *&* 28. *At fides & pura doctrina ſine perpetuis prædicatoribus verbi eiſdemque legitimè miſſis perdurare non potuit. Roma.* 1. *Hebr.* 5. *Epheſ* 4. *Eſt ergo vtriuſque par & æqua neceſſitas, ſi ſubſiſtere Eccleſiam volumus. Ad hanc ille ratiocinationem hoc tantum „reſpondet,* me actum agere & quod in controuerſiā „vocatum nō eſt, pluribus argumētis inaniter probare. *Nec videt quod ille diſertè negauerat, nempe fidei non perſonarum ſucceſſionem eſſe neceſſariam, diſertè à me & neceſſaria collectione concludi. Porrò quum adhuc ſubintuliſſem, non niſi in certis locis, in certis ac definitis parœciis hos verbi prædicatores legitimè miſſos agere,* *ideoq; non ſecus perſonarum & locorum, quàm fidei & doctrinæ certam eſſe & perpetuam ſucceſſionem, replicat inſulſo cauillo;* meam collectionem id agere vt oſtendat in huiuſmodi locis vbi ſemel paſtores ſederint, & huiuſmodi perſonarum perpetuam eſſe debere ſucceſſionem, qualem Romanæ ſedis ſucceſſionem eſſe gloriamur. *Sed facilè intelligit cordatus lector non eorundem locorum, puta Carthaginis & Hipponis in Africa, Mediolani, & Rauennæ in Italia, Lutetiæ & Lugduni in Gallia; ſed certorum locorum ſucceſſionem certam & manifeſtam (ſi quidem niſi in certis locis paſtores legitimè reſident) à nobis concludi. Hanc cæterum perſonarum in certis locis, parœciis & diœceſibus ſucceſſionem perpetuam exigimus à Proteſtantibus, ſi ſuæ fidei & doctrinæ perpetuitatem oſtendere volunt. Hanc ſucceſſionem in Eccleſia Catholica Catholici oſtendere parati ſunt, quando eam apud Proteſtantes valere intellexerint. Non autem in eiſdem ſemper locis perpetuam & non interruptam perſonarum ſucceſſionem aut concludimus aut aſſerimus. Soli fortaſſe (quod tamen non temerè dixerim) Romanæ vrbi in qua duo glorioſiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus fidem Chriſti ſanguine ſuo obſignarunt, hoc priuilegium ſeruatum eſt. Nam Petri certè ſucceſſorem perpetuum in Eccleſia futurum, ſiue Romæ ſiue alibi (vt multis annis Auinione in Gallia) nihil planè dubitamus, Chriſti promiſſione nixi, qui huius ſedis fidem non defecturam in Petri perſona promiſit. Sed æquum eſt, vt qui nulla certa ratione argumenti vim perrumpere potuit, inani cauillatione eludat. De hac autem locorum & perſonarum ſucceſſione poſteà plura & pleniùs.*

Succeſſio eccleſiaſtica non requirit eadem ſemper ſuccedentium loca.

Luc. 22.

Infrà cap. 6.

Subiunxeram contra id quod ſecundo loco reſponde-

rat, ſe non dubitare quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi miniſtros, vtcunque mundo incogniti fuerint, *me iam alio in libro oſtendiſſe quàm hoc futile perfugium ſit: Et aſcripſeram locum in margine*, Suprà lib. 3. cap. 7. 8. & 9. *Ad hunc ille locum & ad argumenta ibi allata vir cautus & prudens nihil reſpondet. Ægerrimè tamen fert hanc eius reſponſionem futile perfugium à me vocari: & reſpondet pro ſua modeſtia Euangelica.* Vide craſſam ſtolidiſſimi hominis inſcitiam, quaſi non multò certius hoc ineuitabili ratione confirmari quàm vlla hiſtoriæ narratione perſuaderi poſſit.

Itane verò vir ſapientiſſime? Succeſſio locorum & perſonarum, id eſt, quis, cui, quando & vbi ſucceſſerit paſtor in Eccleſia dei Catholica, quæ res facti eſt, certa ratione confirmari, & non potius hiſtorica cognitione explorari debet? Sed audiamus Doctoris ſubtilis ineuitabilem rationem, qua meam id eſt ſtolidiſſimi hominis craſſam inſcitiam euidenter coarguit. Ait. Cum enim eandem fidei morumq; doctrinam profiteamur, idque Sacrarum Scripturarum teſtimonio, omni exceptione maiore, demonſtrare ſemper parati ſumus, quam Chriſtus per omnem mundi æternitatem duraturam promiſit, quid eſt quòd dubitemus, quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi ſui diſpenſatores, quorum miniſterio ad electorum ſalutem procurandam vſus fuerit, etiam ſi non ſemper eiſdem in locis, nec ingrato ac Euangelij ſinceritatem aſpernanti mundo omnibus temporum momentis conſpicuos? *Hæc eſt eius ineuitabilis ratio, qua abſque vlla hiſtorica deductione clarè probat, non defuiſſe per omnes ætates, fideles* *verbi præcones; etſi non ſemper conſpicuos. Sed vide mi G. quàm ſacilè hæc ineuitabilis ratio tua non euitatur modo, ſed planè euertitur. Ponis eandem te fidem profiteri quam Chriſtus in Eccleſia ſua perpetuam eſſe voluit. Hoc ais te demonſtrare poſſe ex Scriptura. Concludis igitur perpetuos Deum excitaſſe verbi ſui diſpenſatores fideles, etſi nec eiſdem ſemper in locis, nec ſemper ingrato mundo conſpicuos. Vide autem quàm non tecum malignè agam. Do tibi & primum & ſecundum quod aſſeris: Non quia ſunt vera (ſunt enim falſiſsima) ſed quia concluſionem quam facis nihil iuuant. Non enim inde ſequitur fuiſſe perpetuos verbi Dei præcones abſq; certa ſucceſsione & mundo incognitos; quod tu probare volebas. Sed planè contrarium ſequitur. Nempe quia veram fidem & puram doctrinam Chriſtus in mundo perpetuam eſſe voluit (quod hoc te loco confiteri gaudeo) voluit ſanè quoque perpetuos eſſe doctores & verbi ſui præcones, vt tu rectè infers. Sed voluit præterea (quod tu malè prætermittis) eoſdem, vt Apoſtolus docet, legitimè vocatos & miſſos eſſe: id eſt, ſuis anteceſſoribus ordine & forma quam perpetuò præſcripſit, per impoſitionem manuum presbyterij, ſuccedentes. Voluit deniq; eoſdem præcones ſic ad miniſterium ſegregatos, orbi eſſe cognitos atque conſpicuos. Quod ſanè tum propter varias & grauiſsimas cauſas, quas hoc eodem in opere explicauimus, tum propter innumeras Scripturas quæ Eccleſiam Chriſti illuſtrem & conſpicuam promittunt & deſcribunt, conſpicua autem eſſe non poteſt, vbi ipſa capita magiſtri & propoſiti conſpicui non ſunt, non temere aut ex coniectura opinamur, ſed certò & ex fide cognoſcimus.*

Perpetuitas doctrinæ non eſt ſine perpetuitate Doctorum.

Rom. 10.
Hebr. 5.

Lib. 2. cap. 6. & 7.

Iam quod adieceram, quibuſlibet hæreticis per inde *facile eſſe idem iactare, fuiſſe ſcilicet per omnes ætates ſuæ ſectæ homines, etſi eos demonſtrare non valeant, duplici cauillo eludere conatur.* Primùm, quia nec difficile eſt diptycorum tabulas ſucceſſionum teſtes confingere. *Cui reſpondeo. At prorſus difficile eſt omnes hiſtorias Eccleſiaſticas mentiri; omnia Eccleſiarum regiſtra in quibus epiſcoporum ſeries deſcribitur conficta dicere; denique ipſa templa totius Chriſtiani orbis vbi epiſcopi tot ſeculis ſederunt è conſpectu hominum tollere; & ad neſcio quas ideas inuiſibilis Eccleſiæ veluti ad ſomnia & chimæras fidelium cogitationes abducere, quaſique in media luce vigilantes ac videntes homines ita tamen faſcinare, vt & dormire & nihil ſe niſi fortè per inſomnium videre ſibi perſuadeant. Hoc arbitror G.F. perdifficile eſſe. Quanquam non ex ſolis diptychorum tabulis, ſed ex multis aliis argumentis, ſucceſsionis Eccleſiaſticę teſtimonia luculentiſſima petuntur: Qualia in hoc eodem opere paulò poſt collegimus. Quæ tu omnia ſanè prudenter diſsimulas.*

Omnibus hæreticis facile eſt Eccleſiam incognitam prætexere.

Lib.4.ca.10.

Alterum cauillum tuum huiuſmodi eſt: Nec facile nec omnino fieri poteſt, vt ſua dogmata cum Chriſti & Apoſtolorum doctrina conſpirare oſtendant hæretici. *Cui reſpondeo & facillimè fit, & ſepiſsime factum eſt, vt cuiuſcunque ſectæ hæretici ſuis auditoribus hoc totum perſuaſerint, & ad hoc perſuadendum argumentis in ſpeciem maximis ex ipſa Scriptura petitis vſi fuerint. Hoc teipſum nec ignorare nec diffiteri arbitror. Non es neſcius omnes hæreticos hoc ſibi & ſuis certiſsimè perſuadere, ſua dogmata cum Chriſti & Apoſtolorum doctrina ad amuſsim quadrare. Imò & multò facilius eſſe ex ipſis Scripturis veræ doctrinæ fucum facere, quàm vel publicas Eccleſiarum tabulas confin-*

confingere, vel ſucceſsiones Epiſcoporum ementitas producere, vel tute ipſe, ſi te parum collegeris, facilè aduertes. Habes innumerabiles hæreſes, quarum ſinguli priùs illud preſtiterunt. Non habes vel vnum hæreticum qui poſterius iſtud attentare ſit auſus. Quare audacter hæreticos in hanc ſucceſsionis Eccleſiaſticæ arenam prouocarunt antiqui patres, Tertullianus, Irenæus, Optatus, Auguſtinus, Epiphanius, & alij, quorum hac de re verba in hoc opere produximus.

Lib. 4 cap. 5.

Duplex argumentum contra latentes verbi miniſtros.

Vt latentes verbi miniſtros quales ſibi fingunt Proteſtantes inane eſſe commentum & futile perfugium magis adhuc oſtenderem, duplex argumentum ſubieci. Prius his verbis. Si mundo incogniti huiuſmodi miniſtri erant, profectò prorſus mundo inutiles erant. Poſterius hoc modo. Nihil etiam ſimile cum illa Eccleſia quam Chriſtus in mundo plantaturus venit, illi belli miniſtri habebant. Chriſtus enim orauit pro ſuæ Eccleſiæ paſtoribus vt vnum eſſent, vt mundus (inquit patri ſuo) cognoſcat quia tu me miſiſti. Ipſis quoque in perſona dixit vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Hæc ibi. Ad hoc duplex argumentum, alterum à fine alterum à natura veræ Eccleſiæ deſumptum, ſic iſte tenuiter reſpondet, vt prioris quidem vim declinare non valens, nihil aliud quàm alterum quaſi inconueniens opponat; in poſteriori verò aliud nihil agat, quàm vt verbi vnius ambiguitatem nactus, & ex eo fumos & caliginem excitans, per illas quaſi tenebras hoſti obiectas fugitiuus euadat. Ad prius enim argumentum reſpondet. Me hic ſcrupulus ſtimulat ac pungit. Fuitne prorſus mundo inutilis Saluator Chriſtus, quum, vt teſtatur Ioannes, in mundo fuerit, & mundus eum non cognorit? *Moxq́; vult vt ego reſpondeã:* minimè quidem

Ioan. 17.

Matth. 5.

Ioan.1.

quidem quia alio ſenſu mundum dixit Ioannes,
quàm ego poſui. *Eſto iſtud mi G. Acceperit hic Ioannes*
mundi vocabulum alio ſenſu quàm ego poſui ; quid
» *infers? Ais.* Et te non pudet , homo omnium qui
» ſunt, quique fuerunt , vaniſſime , tam aperto fallendi
» ſtudio, amphibologias aucupari , etiam eas
» quæ ex altera parte nullam niſi ab omnibus exploſam
» ſententiam habere poſſunt ? *Itane feroculus*
es mi G? At comprime te pauliſper , & vide ne eadem
petulantia D. Ioannem ferias, qua me hîc petis.

Mundi ſignificatio triplex in Scripturis.

Quid enim? verbo ambiguo non licet vti? Aut quod alio
ſenſu accipi poteſt , in vero & germano ſenſu accipi
non debet? Ecce vox mundi in Scripturis plura ſignificat;
primò viſibilem hunc qui cælum & terram complectitur:
ſecundò homines mundanos ſeu amatores mũdi:
tertiò Eccleſiam ipſam & ſocietatem ſanctorum. Et
Ioannes ipſe in eodem contextu ſermonis, ambiguã hanc

Ioan.1.

vocem duplici ſenſu accipit. Quum enim diceret, Mundus
» per ipſum factus eſt, *viſibilem hunc intelligit.*
» *Quum adderet,* & mundus eum non cognouit , *amatores*

Tract.3.in Ioan.

mundi, non cælum & terram intelligit: vt etiam
clarè exponit Sanctus Auguſtinus . I nunc G.F, & D.
Ioannem dicito aperto fallendi ſtudio amphibologiam
aucupari. *Sed ad ſcrupulum tuum reſpondeo.*
Chriſtus Dominus illi mundo , de quo dixit Ioannes &
mundus eum nõ cognouit, non ſolùm inutilis erat ſed etiam
noxius: non ſua aliqua culpa ſed hominũ vitio , qui

Ioan.3.
Rom.9.
Luc.2.

dilexerunt tenebras magis quàm lucem. *Noxius*
autem, quia offenderunt in lapidem offenſionis, &
poſitus eſt in ruinam multorum. Sed idem Chriſtus
Dominus non fuit inutilis illi mundo , *de quo*
idem Ioannes dixit. Non venit filius hominis vt iudicet

dicet mundum,ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Sic Deus dilexit mundũ vt vnigenitum ſuum daret,& cætera, *& Apoſtolus.* Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi;qui vtique non reconciliat ſibi niſi Eccleſiam, *ait Auguſtinus. De hoc autem mundo potiſſimum loquitur argumentum noſtrum. Si mundo,id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ fideles verbi miniſtri quos fingis, incogniti erant; profecto huic mundo, id eſt,Eccleſiæ Chriſtianæ prorſus inutiles erant. Hoc autem repugnat fini propter quem Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ fideles verbi miniſtros, paſtores,doctores, & cætera. Dedit enim eos* ad conſummationem ſanctorum,in opus miniſterij,in ædificationem corporis Chriſti. *Ceſſant autem hæc omnia, vbi incogniti illi ſunt per quos hæc præclara munera obiri debent, vt alibi in hoc opere explicuimus. Vides ergo G.F. vt huic argumento per hunc tuum ſcrupulum nihil penitus reſponderis.*

Ioan.3.
2.Cor.5.
Contra Donat. poſt Collat. ca. 6.
Epheſ.4.
Lib.3.cap.6.

Subiungis, vt alteri argumento reſpondeas, Chriſtum Ioan.17.
quum diceret,vt cognoſcat mundus quia tu «
me miſiſti,non mundum quocunque ſenſu intellexiſſe, 1.Cor.1.
non illum pro quo eodem loco negat ſe orare, 1.Ioan.5.
& quem ſuos odio habere aſſerit qui non «
cognouit per ſapientiam Deum , qui denique totus «
in maligno poſitus eſt, de quo mundo non eſt «
mirum ſi aliquandiu prorſus incogniti illi eſſent «
fideles verbi præcones ; qui tamen lux mundi erant, «
& ciuitas ſuper montem poſita vtrumq; cæcis «
ac caligantibus impiorum oculis minimè conſpicua «
: Sed mundi nomine Eccleſiam intellexiſſe. «
Et hic iterum meam ignauiam homo acerrimus reprehendis dicens, Ne verò in mundi ſignificatione

„ one falli potuiſſes, ignauiſſime ſophiſta, coniunxit,
„ Ioannes cum mundo Antichriſti Eccleſiam, cui
„ fieri potuiſſe dixit, vt non ſemper conſpicui eſſent
„ piorum cætuum paſtores & miniſtri. *Hæc ſunt omnia quæ alteri argumento reſpondes, vt me in illis conſtruendis & hominem vaniſſimum, & ſophiſtam ignauiſſimum eſſe conuincas. Sed vide parum quàm vana tua eſt ſine viribus ira. Eſto intellexerit Chriſtus veram tantummodo Eccleſiam in illis verbis :* vt cognoſcat mundus.

Mundo etiam impiorũ cognita eſt Eccleſia.

Saltem igitur hoc oſtende, fideles verbi præcones quos iactitas, hinc veræ Eccleſiæ cognitos fuiſſe. Sed veram Eccleſiam quomodo tu nobis demonſtrabis aliquando, cui cogniti fuerint hi verbi præcones, quum ipſos præcones, ipſos Paſtores, Doctores, Epiſcopos, præpoſitos & magiſtros Eccleſiarum oſtendere nullos potes, per quos vera Eccleſia colligitur, adminiſtratur, paſcitur, docetur ac denique cognoſcitur? Ait quidem impiorum oculis & mundo malorum incognitos illos eſſe potuiſſe & fuiſſe, piorum tamen oculis ſatis conſpicuos, adeoque lucem mundi extitiſſe. Sed hos pios hunc mundum cui illi illuxerint, nuſquam profers, nuſquam oſtendis. Cæterum & illud intelligere debes, mundi nomine etiam ipſos incredulos & impios intelligi poſſe, cùm dicit Chriſtus vt cognoſcat mundus quia tu me miſiſti: *Nam de hoc mundo generaliter accepto loquutus eſt Saluator eodem in loco, cùm diceret.* Sicut tu miſiſti me in mundum ita & ego miſi eos in mundum. *Et hunc mundum intellexit iterum Saluator cum diceret.* Ego lux in mundum veni: *ac deinde de perpetuis vicariis ſuis* : Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ. *Et rurſum* : euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium. *A-*

poſtoli enim & cæteri præcones verbi Euangelici mittuntur in mundum impiorum, vt ex eo faciant mundum piorum, quem Chriſtus reconciliat ſibi. Sunt lux mundi, partim illuminans impios & poſita in lucem gentiũ vt apertis oculis eorum conuertantur à tenebris ad lucem, *partim lucens illis qui iam in domo ſunt vt Saluator ipſe exponit. Et propter hanc duplicem functionem prædicationis Euangelicæ, duplici de cauſa conſpicui eſſe debent prædicatores verbi: non ſolum ipſis fidelibus vt eos in officio pietatis contineant, ſed etiam ipſis infidelibus vt eos ad ſtudium pietatis conuertant. Vnde etiam ad gloriam & propagationem nominis Chriſti pertinet, ipſius Eccleſiam & præcones verbi ſui in ea conſpicuos eſſe mundo, non ſolum vt Eccleſiam ſignificat, ſed etiam vt impios & infideles notat: idque in hunc finem, vt cognita Eccleſiæ Chriſtianæ fama celeberrima, ab infidelitate conuertantur. Hunc finem & hanc cauſam viſibilis Eccleſiæ latius in hoc opere proſequuti ſumus. Manet ergo firmum planeq; inuictum alterum argumentum contra confictos iſtos verbi præcones latentes & incognitos: quia nihil cum Chriſti Eccleſia commune, nihil ſimile habent. Illa enim tum his tum aliis nominibus, & cauſis grauiſſimis, conſpicua & illuſtris ſemper eſſe debet.*

Act. 13. 47. & 26. 18.
Matth. 5.
Lib. 1. cap. 6. & 7.

Sed vide iam paucis G. F. dum me ignauiſſimum ſophiſtam iratus appellitare voluiſti, quàm tuam & ignauiam & inſcitiam, ne dicam malitiam prodideris. Ais illo in loco Ioannem cum mundo Antichriſti Eccleſiam coniunxiſſe: Deinde eum dicere fieri potuiſſe vt illi non ſemper eſſent conſpicui piorum cætuum paſtores. *At vtrumque falſum eſt. Neque enim vel illo, vel vllo alio in loco de Antichriſti Eccleſia* *loquitur Ioannes. Nulla enim talis eſt. Vnica in terris eſt Chriſti Saluatoris Eccleſia. Hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectæ & conuenticula ſunt; Eccleſiæ nullæ ſunt. Antichriſtus verò neque nomen aut titulum Eccleſiæ vnquam præſeferet; ſed Chriſti nomen atque Eccleſiam manifeſtè & abſque vlla ſimulatione aut fuco Chriſtianiſmi oppugnabit. Sciò, ſtultiſſimum veſtrum paradoxum de Antichriſto Eccleſias occupaturo, ex obſcuro illo Apoſtoli loco 2. ad Theſſalonicenſes 2. etiā contra communem patrum ſenſum à vobis intellecto. Sed vt Chriſti nomen aperto vultu, ita multò magis Eccleſiam Chriſti apertè & palam oppugnabit & ſubuertere conabitur Antichriſtus: non pallians ſe Eccleſiæ nomine ſed Eccleſiam hoſtiliter perſequens; nec Chriſtianiſmi titulo hæreticorum more ſeſe occultans, ſed Chriſtum ipſum diſertè pernegans. Quare Antichriſti Eccleſia, idolum & chimæra eſt veſtra G. F. ſubſiſtens aliquid aut quod aliquando ſubſiſtet eo nomine non eſt. Ioannes autem de mundo Impiorum; de incredulis ſanè eo in loco loquitur, ſed ſenſu & modo quem dixi. Quod autem addidiſti,* dicere Ioannem potuiſſe fieri, vt huic mundo impiorum non ſemper eſſet conſpicua Eccleſia piorum, vanius *adhuc eſt. Nihil enim prorſus huiuſmodi habet Ioannes. Profer verba, & me mendacij, ſi potes, coargue. Et vero voluit Chriſtus Eccleſiam ſuam ſic ſemper eſſe à prima ſua propagatione per omnes ætates conſpicuam, vt ſemper eſſet lux mundi, etiam impiorum, quoties impios à tenebris ad lucem, opera & miniſterio huius Eccleſiæ conuertere voluit. Quibus Saluatoris verbis ad poſterioris argumenti noſtri confirmationem productis tu G F. nihil planè hoc loco reſpondiſti. Quo conſilio, tu videris.*

Nulla eſt Antichriſti Eccleſia.

Matth. 5.

HÆc tua aſſertio Stapletone, cùm ſit particularis, captioſa eſt, & incerta. Neque enim ambigitur an aliquando debuerit eſſe mũdo conſpicua talis locorum ac perſonarum ſucceſſio, ſed an ſemper debeat eſſe mundo aſpectabilis & conſpicua, locorum & perſonarum Eccleſiaſtica ſucceſſio. Quemadmodum enim Eccleſia non eſt ſemper latens & obſcura, ſed aliquando totius orbis terrarum oculis ac conſpectui expoſita & illuſtris: ita etiam paſtores & doctores eius, alios alijs temporis progreſſu ſuccedentes, omnibus non pijs modò, ſed impijs etiam, (in his præſertim locis vbi ſedes habet Eccleſia,) per aliquot ſæcula in aſpectum cadere neceſſe eſt. Sed cùm non tam illuſtris ſit ſemper Eccleſiæ conditio, quin perſecutionum procellis vel à profeſſis Chriſtiani nominis hoſtibus, vel ab hæreticis, maximè ab Antichriſto, in latebras nonnunquam compulſa fuerit, in eadem latibula cum ouibus paſtores plerumq; contruſos fuiſſe certum eſt. Poterántne erectis titulis gloriari infenſiſſimi Eccleſiæ imperatores, Diocletianus, Iouius & Maximianus Herculius, nomen Chriſtianorum à ſe funditus deletum, & Chriſti ſuperſtitioné vbique deletam (vt marmora quædam Salmanticę in colle S. Barth. hodie teſtantur: ſi ipſis aut eorum crudeliſſimis ſatellitibus & furoris miniſtris, conſpicua fuiſſet non ſolùm Eccleſia, ſed Eccleſiaſtica locorum & perſonarum ſucceſſio? Certè non minus ægrè tuliſſent, ſuffectos in loca mactatorum Epiſcopos,

Fulco.

Lib.4.E.2.

quàm ante illos Decius, qui teſte Cypriano grauius tulit Cornelium Romæ in locum Fabiani à ſe Martyrio coronati deſignatum Epiſcopum, quã alium à militibus æmulum principem ſalutatum imperatorem. Sed ex fallaci hoc indefinitoque principio, quid primùm moliaris expendamus. Ais me olim reſpondiſſe argumento à ſucceſſione ducto: *fidei certæ & doctrinę, non autem perſonarum & locorum ſucceſſionem veræ Eccleſiæ notam eſſe neceſſariam.* Age agnoſco, quanquam non oſtendis, vbi totidem verbis hoc protulerim. Sed aduerſus hanc reſponſionem, breuem iſtam ratiocinationem contexuiſſe te ſcribis. Fidei & doctrinæ per-
” petuitas in ſcripturis promittitur. At fides & pu-
” ra doctrina, ſine perpetuis verbi prædicatoribus,
” eiſdemque legittimè miſſis perdurare non po-
” tuit; Eſt ergo par & æqua vtriuſque neceſſitas.
” Rectè hoc à te concluſum fateor, atque vtinam eandem ſemper & paulo etiam accuratiorem argumentandi formam ſeruaſſes. certè vel in noſtram ſententiam iamdudum conceſſiſſes, vel omnibus etiam pueris & mulierculis pertinaciam tuam palam feciſſes. Ad hanc ratiocinationem verè me nihil aliud reſpondere affirmas, quã te actum agere, qui quod in controuerſiam vocatum non eſt pluribus argumentis inaniter probes. Illud autem non verè, immo demiror (qui crimen falſitatis tam moleſtè tibi obijci pateris) quo ore protuleris, me non videre, quod ego diſertè negaueram, *Nempe fidei non perſonarum ſucceſſionem eſſe neceſſariam*, diſertè à te, & neceſſaria collectione concludi. Profectò non tam oculatus

tus eſſem Stapletone, etiamſi Lynceus fierem, vt quod nuſquam eſt cernerem. Nam perſonarum ſucceſſionem nunquam ego negaui eſſe neceſſariam, ſed veræ Eccleſiæ notam eſſe neceſſariam ac perpetuam, vtpote quæ non minus mundo ſit aliquoties incognita quàm ipſa Eccleſia. Si cor animali ad vitam neceſſarium dixero, num idcirco cor veram eſſe atque oculis conſpicuam animalis notam diſertis verbis aſſero? Aut ſi hoc negem, an qui cor animali ad vitam neceſſariũ probauerit, eadem opera & veram notam eſſe viui animalis omnium oculis aſpectabilem diſertè, & neceſſaria collectione concludit? Siccine explicas controuerſias Stapletone? Næ tu mirus eris quidlibet ex quolibet concludendi artifex, hoc ſi effectum dederis. Imò quod te latere non poteſt, qui meas ad quæſtiones Alani (vt nunc conſtat, quę olim ferebantur neſcio cuius Riſhtoni) reſponſiones conuellis, diſertè potius affirmaui: Art. 8. Poſtul. 3. *Quòd nunquam defuerint Eccleſiæ noſtræ huiuſmodi miniſtri qui neceſſarij eſſent ad conſeruationem populi Dei in vnitate fidei, & noticia Chriſti, quãuis tempore magnæ illius defectionis, & Apoſtaſiæ à S. Paulo prædictę 1. Theſ. 2. pauciores eſſent (vt nec multa erant Chriſti Eccleſiæ membra) licet ſæculorum iniuria omnium illorum nomina ad nos non peruenerint*. Vide igitur ne in ipſo liminę & veſtibulo libri tui, ſpecimen edideris illius ſynceritatis & candoris, quę per vniuerſum tractatum expectare debemus. Verùm progrederis, & me inſulſo cauillo replicare dicis, ad id quod ſubintuleras, non niſi in certis & definitis parœcijs & diœceſibus huiuſmodi prædicatores agere. Quia dubitaueram, an ſimilem per omnia Romanæ ſedis ſucceſſioni, in eiſdem ſemper locis vbique exigeres. Nunc verò ſatis clare explicas, ſucceſſionem Eccleſiaſticam non requirere eadem ſemper ſuccedentium loca. Sed cur hoc inſulſum cauillum appellites? Meque inani cauillatione eludere vim argumenti, quam nulla certa ratione perrumpere potuerim clamites? Annon prius conceſſeram quàm dubium illud exponerem *habere paſtores certa loca deſcripta in quibus conſiſterent, vbi munere fungerentur*: teque compellaueram, *quid inde colligeres?* Nam argugumentum illud tuum, non eſt quòd perrumpere cuperem, cùm omnino non militet aduerſus cauſam meam. Concedo enim concluſionem: Neceſſariam eſſe ſucceſſionem paſtorum in Eccleſia, ad doctrinæ perpetuitaté ſtabiliendam, etiam certis in locis, licet non ſemper in iiſdem. Sed interea tamen pernego, ſucceſſionem hanc ſemper eſſe mundo perſpicuam, ideoque veram eſſe & perpetuam Eccleſię notam. Addo etiam quòd extraordinaria quadam ratione, Deus interdum colligit quibuſdam in locis Eccleſias, eorum vſus miniſterio, qui abſque ſucceſſione ordinaria, ſola ipſius autoritate ac gratia excitantur. Ita mulier Captiua apud Iberos, prima Euangelij doctrinam barbaris commendauit, Reginam Regemque ad Chriſti religionem ſuſcipiendam induxit. Rex populo conuocato Chriſti fidem edocet, & nondum ſacris initiatus (vt Ruffini verbis vtar) fit ſuę gentis Apoſtolus. Ædeſius & Frumentius barbaris apud interiores Indos Chriſtianę religionis fiunt

Eccl. hiſt. Ruff. lib. 10. ca. 10. & Theod. li. 1. ca. 24.

præcones. Et nondum adepti ab aliquo Epiſcopo ordinationis gratiam, educati verò in pietate, hortabantur aduentantes eo mercatores, ſecundum Romanorum morem conuenire, & diuinas liturgias celebrare vt Theodoretus teſtatur. Nicephorus addit Frumentium orationis domum conſtruxiſſe, quoſdam ex Indis ſacris noſtris inſtituiſſe. Ruffinus adijcit Athanaſium poſtea à Frumentio monitum ac rogatum vt prouideret virum aliquem dignum, quem congregatis iam plurimis Chriſtianis, & Eccleſijs conſtructis in barbarico ſolo mitteret epiſcopum. Prius etiam Immeres, gens Armeniæ bellicoſiſſima, Chriſtianiſmum complexi ſunt, quàm miſſis ad imperatorem Anaſtaſium oratoribus Epiſcopum accepiſſent. Quòd ſoli forſitan Romanæ vrbi, hoc priuilegium ſeruatum putas vt perpetua, & non interrupta perſonarum ſucceſſione gaudeat, vehemẽter falleris. Extant enim adhuc plurimæ Eccleſiæ tam Europææ, quàm Aſiaticę, quæ eodem priuilegio gloriari poſſunt, præcipuè vero patriarchales illæ Conſtantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, & Metropolitanę plures, vt ex Chytræi, Gerlachij, aliorumq; qui orientales regiones peragrarunt relatione ac ſcriptis cognoſcimus. Nec video quid obſtet quo minus & Lugdunenſis Eccleſia in Gallia, ſeriem epiſcoporum non interruptam ad Sanctum vſq; Irenæum pertexere poſſit. Quid ni etiam aliæ ſedes epiſcopales idem pręſtare valeant? Forſitan & in noſtra Britannia, in ea ſaltem parte quæ nunquam ab Anglis occupata, nunquam deſciuit à Chriſtiani nominis pro-

Lib. 1. cap. 23.
Lib. 8. cap. 35.
Ruff. lib. 10. cap. 9.
Niceph. lib. 16. cap. 37.

feſſione, quam ab Apoſtolorum prędicatione ſuſceperat, vrbes aliquot extant, in quibus perpetuo ab ipſis Chriſtianæ inter gentes propagatæ religionis incunabulis, ad hæc vſque tempora ſederint antiſtites. Sed vtrumque de Romanæ vrbis priuilegio, nihil temere te dicturum profiteris, hoc tamen non dubitare te ſcribis. „ Petri ſucceſ„ſorem perpetuum in Eccleſia futurū, ſiue Romæ, „ ſiue alibi (vt multis annis Auenione in Gallia) mihi etiam perſuaſum eſt, non vnum, ſed multos Petri ſucceſſores nunquam defuturos. Omnes enim Epiſcopi non Petri modò, ſed omnium Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, vt Hieronymus docet, & vnus ac indiuiſus eſt in Eccleſia epiſcopatus, cuius à ſingulis in ſolidum, pars tenetur, vt Cyprianus grauiter aſſerit. Quòd ſi Petri Cathedra, de qua tamen non leuem eſſe controuerſiam neſcire non potes, Petri ſucceſſorem conſtituit, non modò Romæ, ſed alibi vt Auenione in Gallia, quid prohibet, quo minus & Antiochenum Patriarcham, quamuis is iam olim Antiochia ſubuerſa, Damaſcum Petri ſedem tranſtulerit, quam & hodie tenet, pro legittimo Petri ſucceſſore agnoſcamus? Cúmque iam duos habeat Petrus ſucceſſores, diuerſa ſentientes, diuerſa docentes, vtrius fidem potius amplectemur, ratione prærogatiuę illius, quum vterque ex ſucceſſionis dignitate ſe habere gloriatur? Sed tu Chriſti promiſſione niteris „ opinor, qui huius ſedis fidem non defecturam in „ Petri perſona promiſit, ſic enim ſcribis. At hîc ſi vſquam alibi, ad ἀντίδειξιν ſyllogiſticam prouocandus es, vt ex propoſitione certiſſima, quā Luc. 22.

Hier. ad Euag.

De ſimpl. prę-lator.

ex Chriſti verbis colligimus: non defecturam Petri fidem, etiam omnibus Satanæ machinis impetitam: nullum Romanæ ſedis Epiſcopum in fidei Chriſtianæ doctrina errare poſſe concludas. Hoc vnum ſi pręſtiteris, reliquis omnibus controuerſijs tollendis ſatis erit. Hic ſi tergiuerſaris, & demonſtrationem veris ac legittimis Syllogiſmis concluſam non adhibueris, ſed inanium verborum torrente, tantam cauſam abripi poſſe ſperaueris, proculdubio miſerrima veſtri erroris præſidia quæ ſolem & lucem ſani iudicij aſpicere non valeant, omnibus cordatis lectoribus patefeceris. Malè te habet quòd craſſam ſtolidiſſimi hominis inſcitiam perſtrinxerim, qui futile perfugium vocat, quòd *dicimus excitatos à Deo per omnes ætates fideles verbi miniſtros vtcunq; mundo incogniti fuiſſent.* Primùm enim, locum in margine aſcripſeras ad « quem & argumenta ibi allata vir prudens & cautus « nihil reſponderim. Verùm vt nihil diſſimulem « libri tui copia deſtitutus, vſus autem deſcripto exemplari illorum duorum capitum, quibus reſpondi, non potui examinare, quid locus ille aſcriptus complecteretur, & fama erat alterius doctiſſimi animum ad confutationem totius operis tui fuiſſe intentum. Et ne nunc quidem cùm ad manum ſit liber tuus, propoſitum eſt mihi illa tua argumenta in hunc reſponſionis meæ locũ transferre, vel quia talia ſunt, quæ tu ipſe digna non iudicaueris quæ huc tranſſcriberes, vt alia quædam poſtea, quæ tibi firmiora videbantur, vel quia vt verum fatear, tam diluta ſunt, vt quibus nexibus hæreant non facilè perſpiciam, niſi tu (quòd in

proxima tua reſponſione expectamus) ad amuſſim dialecticorum in formam ſyllogiſticam & apodicticam ea contraxeris, atque compegeris. Sed cur hoc quod dicimus *non multo certius ineuitabili ratione confirmari, quàm vlla hiſtoriæ narratione perſuaderi poſſit* videamus. Mittam ſcommata &
„ ſarçaſmos tuos, expendam argumenta. Succeſſio
„ inquis locorum & perſonarum, id eſt, quis, cui, &
„ quando, ſucceſſerit, res facti eſt: potius igitur hiſtorica
„ cognitione explorari debet, quã certa ratione
„ confirmari. At vide quàm longè receſſeris à negotio tibi propoſito. Non enim, an res vlla facti, hiſtoriæ teſtimonio rectius confirmari poſſit, quàm ratione certiſſima probari quæritur, ſed an res hæc facti, id eſt quis, cui, & quando ſucceſſerit omnino in quęſtionem venire debeat, controuertitur: cùm ſatis ſit, ineuitabili ratione docere, Deum per omnes ætates fideles verbi miniſtros excitaſſe, vtcunque mundo incogniti fuerint. Hiſtoria poteſt multa omittere, quædam veri ignoratione, quædam partium ſtudio peruertere, immo tota poteſt intercidere, ineuitabilis ratio, plena eſt, certa eſt, perpetua eſt: melius igitur ineuitabili ratione, quàm hiſtorię relatione veritas illius propoſitionis conſtare poterit. Sed ineuitabilis hæc ratio mea, à te non euitatur modò, ſed planè euertitur. Das enim mihi pro tua largitate & primum & ſecundum quod aſſero, quamuis ſint falſiſſima. Scilicet me eandem fidem profiteri quam Chriſtus in Eccleſia ſua perpetuam eſſe voluit; deinde, hoc demonſtrare me poſſe ex ſcripturis, quæ duo tamen nihil iuuant con-

concluſionem meam, quæ hæc eſt, *Deum excitaſſe perpetuos verbi ſui diſpenſatores, etſi nec eiſdem ſemper in locis, nec ſemper ingrato mundo conſpicuos,* Hîc iam ſub ſpecie largitionis, neruos omnes argumento meo malignè detrahis, rationemque meam tantùm abeſt vt vel euites vel euertas, vt non attingas quidem. Sic enim ego ineuitabili ratione concluſi: quod Chriſtus promiſit, duraturam per omnem mundi æternitatem, fidei morumq; doctrinam, id præſtitit ijs medijs, quæ ipſe ad ſalutem electorum procurandam ordinauit. Non eſt quòd dubitemus igitur quin per omnes ætates ad ſalutem electorum procurandam excitauerit Deus fideles verbi ſui diſpenſatores, ſiue mundo cogniti fuerant, ſiue incogniti, ſiue eorum nomina, & memoria vitæ, extant, ſiue non extent. Iam verò cùm ex ſcripturis demonſtrare parati ſumus, nos eandem fidei morumq; doctrinam, quam Chriſtus voluit eſſe perpetuam profiteri, euidenti ratione ſatis conſtat de ſucceſſione, etiamſi de nominibus perſonarum, & continuata ſerie ſucceſſionis omnes hiſtoriæ tacerent. Credo te non dubitare Stapletone, quin ab aliquo trium filiorum Noachi Semo, Chamo, vel Iapheto genus ducas tuum, quia ſacra ſcriptura teſtatur ab hijs tribus omne genus humanum per vniuerſum terrarum orbem, fuiſſe proſeminatum, propagatumq;: Tamen ſi quis contentioſius à te poſtularet, vt omnes maiores tuos paternæ ſiue maternæ ſtirpis, qui omnibus ſæculis, aut quibus in locis vixerint, vſq; ad ipſum Noachum nominatim percenſeres, quòd ſi non poſſes, indignũ te terræ poſſeſſione, Noacho

eiuſq; poſteris diuinitus conceſſæ clamitaret, annon hominem importunum & malè ſani cerebri reijceres, & ad medicos relegares? Atqui niſi continuato per omnes mundi ætates hæreditario ſucceſſionis ordine, ad hunc patriarcham generis tui originem referre non poteris. Hîc ſatis eſſe dices quòd te hominem eſſe conſtet, quodq; Moſes omnes homines ab tribus illis Noachi filijs procreatos fuiſſe commemorat. Cur non autem in ſimili cauſa eodem vteris iuditio? Vt ſatis eſſe concedas, ſi conſtiterit ſemel nos eadem credere & docere, quæ Chriſtus perpetuò doceri voluit, & miſſa inutili concertatione de ſucceſſionis ſerie, id vnum à nobis ſerio exigis, vt nos non aliam, quàm Chriſti fidem profiteri, omni luce clarioribus argumentis demonſtremus. Tu verò ex eo quòd excitauerit Deus perpetuos verbi ſui pręcones, non probatum eſſe contendis quòd volebam, cùm contrarium planè ſequatur. Quî ſic obſecro? Primùm quòd voluerit Deus fidei doctrinam eſſe in mundo perpetuam, eiuſq; perpetuos eſſe doctores ac præcones verbi ſui (quorum alterum me confiteri gaudes, alterum à me rectè illatum prædicas) malè à me prętermiſſum quereris, eoſdem vt Apoſtolus docet legittimè vocatos & miſſos eſſe. Sed peſſimè tu hoc prætermiſſum accuſas, cùm dixerim, Deum excitaſſe fideles verbi ſui præcones, annon legittimè vocatos & miſſos intelligere potes quos Deus excitauit? Imò exponis quos legittimè vocatos miſſoſq; cenſeas,
» cùm addis, id eſt, ſuis anteceſſoribus ordine &
» forma, quàm perpetuo pręſcripſit, per impoſitio-

nem manuum præsbyterij, ſuccedentes. Si Deus ad hanc formam ſeipſum tam arctè aſtrinxerit, vt non poſſit interdum, aliquos verbi ſui præcones extra ordinem vocatos legittimè emittere: & hoc etiam complexus ſum, cùm Deum excitaſſe dicerem, ſin verò in vocatione extraordinaria qualis eſt aliquando in Eccleſia diuina, & legittima, forma hæc non neceſſariò requiritur, iniquè cauſaris hoc à me prætermiſſum. Exempla modò protuli, excitatorum à Deo verbi ſui præconum, ſine ordinaria vel ſucceſſione, vel forma ordinationis per impoſitionem manuum præsbyterij. Et Alexander Hieroſolymitanus Epiſcopus, ac Theoctiſtus Cæſarienſis apud Euſebium, ſe tuentur aduerſus Demetrium Alexandrinum, qui eos reprehenderet quòd Originem in Eccleſia diſſerere, & præſentibus Epiſcopis diuinas ſcripturas interpretari permiſiſſent, cùm nondum vel impoſitionem manuum, vel χειροτονίαν τοῦ πρεσβυτερίου adeptus eſſet. Quin & Demetrium mendacij arguunt, quòd ſcripſiſſet nunquam auditum aut aliquando factum fuiſſe, vt laici pręſente Epiſcopo docerent, cùm illuſtria eius conſuetudinis proferant exempla; nimirum Euelpium à Neone apud Larindos ad docendum inuitatum, Paulinum à Celſo apud Iconium, & apud Synnadonũ Theodorum ab attico, & alibi alios. Imò concludunt (vt Ruffinus refert) vbicunq; ſunt qui poſſint *opus Dei in verbo & doctrina competenter explere; fratres in Eccleſia inſtituere, & conſolari populum ad tractandum ſemper à ſanctis Epiſcopis inuitari.* Quòd ſi Laicis publicè in Ecsleſia, doctorum ac paſtorum in docendo

Euſeb. lib. 6. cap. 20.

cendo ac conſolando fungi officio, etiam pręſente Epiſcopo, olim tantorum patrum iudicio licuit: quid fieri oporteat in his locis vbi nullus ordinaria vocatione inſtructus adeſſe poterit, aut velit, vt vel in remotis terris ac inſulis, vel in hijs regionibus vbi omnes Epiſcopi, ac præsbyteri à ſana fide ad hæreſim prolapſi ſint, nec quiſquam ſit qui collectæ in Chriſto orthodoxæ fidelium Eccleſiæ præeſſe poſſit? Quid inquam fieri neceſſe eſt, niſi vt aliqui à Deo excitati ſpiritu Euangeliſtico præditi, ſancto cætui pręficiantur, vel vt Eccleſia in Chriſti nomine congregata poteſtatem habeat ſuos paſtores & Epiſcopos eligendi, quorum ſancto conſilio benedicturus ſit Deus, iuxta illud ſeruatoris Matth. 18. De quocunque negotio conſenſerint duo ex vobis ſuper terram, de omni re quàm petierunt fiet illis à patre meo qui eſt in cœlis &c. A qua ſententia ne ipſe quidem Demetrius aliorum reprehenſor, abhorrere videtur, dum anſam ipſos culpandi accipit, quòd pręſente ordinario Epiſcopo paterentur Originem nondum ſacris initiatum publicum doctoris munus exercere in Eccleſia: tacitè innuens, vbi neceſſitas ordinariam Epiſcopi aut doctoris vocationem excluſerit, locum ſaltem eſſe extraordinariæ vocationi, & populi ſalutem quę ſine fidei prædicatione procurari non poſſit, ab externa vocationis formula, aut ordinationis ceremonia non pendere. Sed vt ad te reuertar Stapletone, Voluiſſe De-
» um porrò ſcribis, pręcones ſic ad miniſterium ſe-
» gregatos, orbi eſſe cognitos ac conſpicuos, idque
» tum propter varias & grauiſſimas cauſas quas tu

alibi in hoc opere explicaueris, tum propter innumeras ſcripturas quæ Eccleſiam Chriſti illuſtrem,& conſpicuam promittunt ac deſcribunt, vnde neceſſe eſt ipſa capita & præpoſitos eſſe conſpicuos. At ego ad omnes illas cauſas, ſi quæ vel vmbram rationis habere videntur & ſcripturę teſtimonia alibi ſæpe, & tibi nominatim cùm fidei papiſticæ propugnaculum à te vernaculo ſermone extructum euerto, ſatis ſuperq; reſpondi. Omnes nimirum ſcripturas quæ glorioſam ac illuſtrem Chriſti ſponſam Eccleſiam deſcribunt, vel de ſpirituali gloria, quę non omnino cadit in aſpectum humanum eſſe intelligendas, vel non ad omnia temporum momenta pertinere quæ de aſpectabili eius ſplendore dicantur.

Quòd adieceras quibuſlibet hęreticis perinde facilè eſſe idem nobiſcum de ſucceſſione, quàm demonſtrare non valeant iactare, id duplici cauillo me illudere velle ais. Priore: *quòd non difficilè eſſe dixerim Diptychorum tabulas ſucceſſionum teſtes confingere.* Cui tu reſpondes, prorſus difficile eſſe omnes hiſtorias mentiri, &c. quaſi omnes hiſtoriæ de omnium hæreticorũ origine conſentiant, aut omnia Eccleſiarum regiſtra Epiſcoporum ſeriem conſeruent, imò quid prohibet hæreticos hiſtorias quaſdam quaſi vetuſtiſſimas de nouo comminiſci, & antiquis auctoribus eas inſcribere? De templis quod ſubijcis tollendis, vbi per tot ſęcula ſederunt Epiſcopi, craſſum eſt, cùm non pendeat vocatio Epiſcopi aut ſucceſſio à templo, & ſæpiſſime, ab vna ciuitate in aliam ſedem Epiſcopalem tranſtulerint: ita vt hæretici ſi fingere

vellent de ſucceſſione in antiquiore templo à quo migratum eſt gloriari poterunt. At non ex ſolis Diptychis, ſed ex multis alijs argumentis ſucceſſionis Eccleſiaſticę teſtimonia petuntur, quæ à te in eodem opere collecta, me prudenter diſſimulaſſe putas. At qualiacunq; ſunt illa teſtimonia, non video cur à peritis mentiendi artificibus confingi non potuerint. Infinita eius generis ad primatum Romani Epiſcopi ſtabiliendum, quædam olim, quædam nuper conficta, & ſimulata eſſe deprehenduntur, Concilia, conciliorum canones, hiſtoriæ, epiſtolæ, conciones, & quid non? Alterum meum cauillum huiuſmodi eſſe vis *Nec facilè nec omnino fieri poteſt, vt ſua dogmata cùm Chriſti & Apoſtolorum doctrina conſpirare oſten-*
» *dant hæretici.* Cui tu reſpondes & facillimè fieri, &
» ſæpiſſimè factum eſſe, vt cuiuſcunq; ſectę hæreti-
» ci, ſuis auditoribus hoc totum perſuaſerint, & ad
» hoc perſuadendum, argumentis in ſpeciem maxi-
» mis, ex ipſa ſcriptura petitis vſi fuerint. Quod
» meipſum nec ignorare, nec diffiteri arbitraris.
Certè vt ingenuè fatear quod ſentio, de nonnullis ſectis hoc totum quod dicis conceſſerim, de cuiuſcunq; ſectæ hęreticis non poſſum. Irenæus teſtatur ſui ſæculi hæreticos, cùm ex ſcripturis arguerentur, in accuſationem conuerſos ipſarum ſcripturarum, & ab apertis ſcripturę teſtimonijs, ad traditionem, vt vos prouocaſſe. Sed vt nihil diffitear eorum quæ me non ignorare arbitraris: an ego de falſa perſuaſione auditorum, aut de magnis in ſpeciem argumentis locutus ſum, dum dicerem, non poſſe omnino fieri, vt hæretici o-

Lib.3.cap.2.

ſtendant ſua dogmata cum Chriſti & Apoſtolorum doctrina conſpirare? Tu igitur, non ego cauillis eludere conaris, quæ firmius à me poſita ſunt, quàm vt tui ſophiſmatis ariete concuti valeant, qui ſpeciem à reipſa non diſtinguis, & pro vero conſenſu cum Chriſto, impiã perſuaſionẽ ſubſtituis. Præterea, addis omnes hæreticos hoc ſibi & ſuis certiſſime perſuadere, ſua dogmata cum Chriſti & apoſtolorũ doctrina ad amuſſim quadrare, cùm tamẽ Apoſtolus dicat, hæreticũ hominẽ, qui poſt vnã & alteram admonitionẽ non reſipiſcat, peccare ſuo ipſius iudicio condẽnatũ. Quin “ & multo facilius eſſe dicis ex ipſis ſcripturis, veræ “ doctrinæ fucũ facere, quã ſucceſſiones Epiſcoporũ “ ementitas producere, quia illud innumerabiles “ hæreſes præſtiterunt, hoc nullus hæreticus attẽtare “ auſus eſt. At multi tamen hæretici habuerũt ſucceſſionẽ Epiſcoporũ de qua criſtas erigere potuiſſent, vt Liberius, Honorius, Anaſtaſius, Ioannes 23. Romanę ſedis Epiſcopi, Neſtorius, Dioſcorus, Sergius, alijq; plures aliarũ ciuitatũ Epiſcopi. Sed quia fruſtra obtenditur perſonarũ ſucceſſio, vbi nõ eadẽ doctrina perpetuo tenetur, vt tu tandẽ concedis, prorſus inutile fuiſſet hæreticis Epiſcoporũ ſucceſſionem confingere. Quoties igitur in Eccleſiaſticæ ſucceſſionis arenam prouocarunt hæreticos antiqui patres, Tertullianus, Irenæus, Optatus, Auguſtinus, Epiphanius, & alij, non nudam ſolum perſonalis ſucceſſionis ſeriem exigebant, quod quibuſdam hæreticis vt Samoſateno, Georgio, Neſtorio, Dioſcoro, alijſque infinitis promptum erat oſtendere, ſed doctrinæ ab

Apo-

Apoſtolis deriuationem, per talem ſucceſſionem ſibi demonſtrari vrgebant. Inſignis eſt Tertulliani locus in libro de præſcriptionibus aduerſus hæreſes, vbi poſtquam ab hæreticis poſtulaſſet vt *origines ſuarum Eccleſiarum ederent, ordinem Epiſcoporum euoluerent*, adiungit etiam, *ita per ſucceſſiones ab initio decurrentes, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex apoſtolis, vel apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, authorē habuerit & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum à Ioanne conlocatum refert: ſicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum eſt? ſed etſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum, cum Apoſtolica comparata, & diuerſitate, & contrarietate ſua pronunciabit, neque Apoſtoli alicuius authoris eſſe neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis deſciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Eccleſijs, quæ licèt nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferant, vt multò poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Vtinam ex hoc tam illuſtri Tertulliani teſtimonio, litem de ſucceſſione motam componere liceret. Primùm enim non alio fine ſucceſſionem ab hæreticis exigebant, quàm vt conſtet eos aliundè quàm ab Apoſtolis peruerſæ doctrinę ſuæ virus hauſiſſe. Deinde non incredibile eſſe (quod tu nullum hæreticum attentare auſum ſcribis) vt hæretici ſucceſſionem ab Apoſtolis non minus ſpecioſam, quàm fuit illa Smyrnæorum ab Ioanne, Romanorum à Petro mentirentur & confingerent, qui tamen nihil promouerent, cùm ex Apoſtolica doctrina errores eorum planiſſimè reuincerentur, confutarentur, damnarentur. Poſtremò quòd poſteriores omnes Eccleſiæ, quæ nullum ex Apoſtolis aut Apoſtolicis viris proferre poſſunt, tamen in eadem fide cum Apoſtolis conſpirantes, non minus deputentur Apoſtolicæ pro conſanguinitate doctrinæ, quàm quæ ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris origines ſuas ædere valeant. Vnde doctrinæ Apoſtolicę conſanguinitas eſt, vtcunq; obſcura aut interrupta ſit ſucceſſio, aut extraordinaria vocatio, & conſpiratio cum Apoſtolis in eadem fide, quæ ſatis ſit ad Apoſtolicam veramq; Eccleſiam demonſtrandam. Irenęus etiam libro 3. cap. 3. contra ſui temporis hęreticos, qui à ſcripturis, quas ambiguitatis & incertitudinis accuſabant, ad traditionem prouocabant, eam peti iudicat oportere, ab ijs qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi, & eorum ſucceſſoribus, vſque ad nos, *qui nihil* (inquit) *tale docuerunt, neque cognouerunt qualia ab* (hæreticis) *hijs delirantur*. Optatus & Auguſtinus, quibus res erat cum Donatiſtis, qui ſe à reliquo Eccleſiæ corpore præſciderant, primùm ex ſcripturis docent Eccleſiam eſſe vnam, eamque perpetuò in terris duraturam, nō in vno Aphricæ angulo, vt ſentiebāt Donatiſtæ, ſed vbicūq; veræ

fidei Chriſtianæ doctrina vigeret per vniuerſum orbem. Cui veritati cùm ſuffragaretur tum temporis, ſucceſſio Romanæ ſedis Epiſcoporũ, ab Apoſtolis vſq; ad ipſorum ætatem, eam merito proferunt aduerſus nouos hæreticos, qui à Catholicæ Eccleſię communione ſuperbè non minus quã impiè, ſeſe amputauerant. Nec alia eſt Epiphanij ratio, qui ad Manetis manichæorum autoris impudentiſſima mendacia refutanda, qui aliquando ſpiritum ſanctum, aliquando Ieſu Chriſti Apoſtolum ſeipſum appellare auſus eſt, ſeriem & ſucceſ-
Hær.66. ſionem Hieroſolymitanorum Epiſcoporum à Iacobo vſq; ad Hyminęum, & cum his etiam Romanorum Cæſarum à Nerone vſq; ad Aurelianum, & Probum, quibus demum anno ab aſſumptione Chriſti 276. imperantibus, prodijt ille Perſa peſtiferi ac diabolici dogmatis autor. Ab hijs etiam ad ſua tempora ſucceſſionem deducit, notans Halarionem hæreſe Arriana infectum, ne quis putet eum ſola ſucceſsionis recenſione hæreticos volu-
Hær.27. iſſe peſſundare. Non aliter contra Carpocratẽ, Romanorum Epiſcoporum ſucceſsionem vſq; ad Anicetum producit, ſub quo Marcellina quædam, à Carpocratitis decepta, multos Romæ corruperat. Cumq; rationem facti ſui reddit, ne quis miretur quòd ſingula ita exactè in hac ſucceſsione recenſuerit, addit per hæc ſemper claritatem oſtendi, hoc eſt lucem adferri narrationi, cùm ſingula accuratè diſcutiuntur: quod ille præſtitit in Lini, Cleti, ac Clementis ſucceſsione, de qua non conſtat apud hiſtoricos. Tu verò neſcio quem authorem ſequutus, ſi non ipſe fingis admodum li-

center, aliam nobis ſententiam loco à te margine citato profers, his verbis: *Per hos enim ſemper id quòd manifeſtum eſt in fide oſtenditur.* Epiphanij autem verba ſic ſe habent: Καὶ μή τις θαυμαζέτω, ὅτι ἕκαστα οὕτως ἀκριβῶς ἐπήλθομεν. διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται. Vides additum eſſe *in fide* & pronomen neutrius generis quod antecedenti ἕκαστα reſpondet, in maſculinum conuerti. Hæ ſcilicet ſunt artes eximiæ, quibus antiquos patres non rarò in veſtram ſententiam, quamlibet inuitos pertrahere ſoletis. Sed reprimam me, & ad cætera feſtinanter progrediar. Duplici argumento vſus es, contra latentes verbi miniſtros, quos dixeram (te referente) omnibus ſæculis fuiſſe a Deo excitatos vtcunque illi mundo ſemper conſpicui & cogniti non fuerint. prius argumentum à fine deſumptum erat: « Si mundo incogniti fuerũt, mundo prorſus inuti- « les erant. Poſterius (vt ais) à natura veræ Eccleſię « hoc modo, nihil ſimile cũ illa eccleſia quã chriſtus « in mũdo plantaturus venit, illi belli miniſtri habe- « bãt. Hic ſanè fateor, ſophiſticã tuã vanitatẽ deriſi, ꝗ captata vnius voculæ ambiguitate, longe aliter in mundi ſignificatione luſeris, quã ego ſenſi, qui ne falli niſi ſponte potuiſſes, in illa mea ad quęſtiones Alani reſponſione, Antichriſti Eccleſiã cum mundo coniunxi, his verbis: *Vtcunq; mundus & Eccleſia Anchriſti eos ſemper non videret.* Art. 8. q. 1. Per mundum igitur apertè intelligere me oſtendi, impios, & hoſtes Chriſti, quibus aliquando incogniti eſſe poſſunt, & etiam inutiles veræ Eccleſiæ paſtores. Quam dextrè igitur à fine & Eccleſiæ natura, quod à me poſitum erat repellis, cùm mundũ

Lib. 4. cap. 6.

pro Eccleſia Chriſti (vt nunc agnoſcis) potiſſimũ accipias? Ita vt diſcuſſis ambiguæ vocis tenebris, non alia ſit vis argumenti tui, quã vt Eccleſiæ inutiles dicas paſtores, quòd impijs non eſſent ſemper conſpicui. Hos fumos atque hanc caliginem, cùm tute excitaueris, me tamen accuſas, quaſi per has tenebras hoſti obiectas effugere cuperem. Cumq́; te redarguerẽ, quòd aperto fallẽdi ſtudio amphibolias captares, cauere me iubes ne eadem petulantia diuum Ioannem feriam. Abſit ò bone, vt tantam contumeliã ſanctiſſimo Apoſtolo imponerem. Sed cur hoc timeas, meq́; ire iubeas & dicere D. Ioannem aperto fallendi ſtudio amphibologiam aucupari? Scilicet quia mundi vocem, quæ plura in ſcripturis ſignificet, aliter atq; aliter accepit. Quid enim (inquis)? verbo ambiguo non licet vti? Itáne Stapletone, non aliud eſt amphibolias aucupari, etiam eas quæ ex altera parte nullam niſi ab omnibus exploſam ſententiam habere poſſunt, quàm verbo ambiguo vti? Non quòd verbo ambiguo vſus ſis, ſed quòd ex ambigua verbi ſignificatione ſophiſticam quaſi aranei telam contexueris, à me reprehenſus eras. Vt cùm argumentis à fine in, quem inſtituti ſunt paſtores, & à natura Eccleſiæ petitis, euertere te glorieris quòd à nobis allatum erat, de latẽtibus mundoq́; impiorum nonnunquam incognitis verbi miniſtris: tu mundi voce alio ſenſu vteris, nimirum vt fateris ipſe, pro Eccleſia & mundo piorum.

Progrederis eadem fide, & peiore etiam: non enim ſub amphiboliæ vmbra lates, ſed abſq; colore fingis, dum ea reperis, quæ poſteriori argumento

mento reſponderem. Sic enim præter alia me dicere aſſeris: *coniunxit Ioannes cum mundo Antichriſti Eccleſiam cui fieri potuiſſe dixit, ut non ſemper conſpicui eſſent piorum cœtuum paſtores & miniſtri.* Deinde paulò pòſt, videre me vis paucis, dum te ignauiſſimum ſophiſtam iratus appellitare volui, quàm meam & ignauiam & inſcitiam, ne dicas malitiam prodiderim. Qui ſic mi homo? *Ais illo in loco Ioannem cum mundo Antichriſti Eccleſiam coniunxiſſe. Deinde eum dicere fieri potuiſſe, ut illi non ſemper eſſent conſpicui piorum cœtuum paſtores. At utrunq; falſum eſt: Neque enim vel illo vel ullo alio in loco de Antichriſti Eccleſia loquitur Ioannes.* Quin & tertiò repetis ſub finem capitis. *Quod autem addidiſti dicere Ioannem potuiſſe fieri, ut huic mundo impiorum non ſemper eſſet conſpicua Eccleſia piorum, vanius adhuc eſt. Nihil enim prorſus huiuſmodi habet Ioannes.* Ioan. 17. *Profer verba, & me mendacij, ſi potes coargue.* Imò mea verba typis excuſa, putidiſſimi mendacij te iamdudum coarguunt, nuſquam enim dixi Ioannem cum mundo coniunxiſſe Eccleſiam Antichriſti. Nuſquam addidi Ioannem dicere, potuiſſe fieri vt mundo impiorũ non ſemper eſſet conſpicua piorum Eccleſia. Qui mos hic eſt fingendum Stapletone, & ſemel confictum toties inculcandi, quaſi quod falſum eſt ſæpius aſſeuerando in verum tandem transformari poſſit? De meipſo enim hæc dixi, qui ad quæſtiones Alani Anglico ſermone reſpondi, cuius tu reſponſionem eo loco refutare aggreſſus ſis, cuius tu aſſertionem de mundo incognitis verbi diuini miniſteris, tuis a fine miniſtrorum & à natura Eccleſiæ ductis argumentis conuellere annixus ſis.

Cujus deniq; verba hęc ſunt: *Ne verò in mundi ſignificatione falli potuiſſes, ignauiſſime ſophiſta, niſi ſponte alijs imponendi anſam captaſſes, coniunxit* IS CVIVS VERBA MVTILATE RECENSES *cum mundo Antichriſti Eccleſiam, cui fieri potuiſſe dixit, vt nō ſemper conſpicui eſſent piorum cœtuum paſtores, & miniſtri, etiamſi tales nunquam Eccleſiæ defuiſſent.* Quem tu Ioannem in hijs verbis ſomnias? An is cuius tu verba mutilatè recenſuiſti, Ioannes eſt? an potius qui dixit: Nunquā defuiſſe Eccleſiæ paſtores vtcunq; mundo & Antichriſti Eccleſię non ſemper conſpicuos? Sed non proſequar hanc iniuriā pluribus: ſatis eſt enim æquos lectores admonuiſſe, te non minus quàm ter, falſum crimen mihi impingere, ex eoque neſcio quas lites mihi intendere. Ad cætera quæ adfers, breuiter reſpondebo. Primum concedis intellexiſſe Chriſtum veram tantummodo Eccleſiam in illis verbis: *vt cognoſcat mundus, &c.*: deinde oſtendi tibi poſtulas fideles verbi pręcones, quos iactito, huic veræ Eccleſię fuiſſe cognitos. Obſecro qui potuerunt eſſe his incogniti, quibus verbum vitæ aſſiduè predicarunt? Non ceſſas tamen principium mendiciter petere, & vrgere, vt hos pios, hunc mundum, cui illuxerint, qui lux mundi extiterunt, proferam: quos tamen cum Eccleſia cui præfuerunt latuiſſe contendo. Quanquam non ſic ab omni memoria remoti ſunt, quin nonnullorum & nomina & Eccleſias, in quibus docuerunt tibi recenſuerim. Tu verò non niſi omnium & ſingulorum per omnes ætates ordine ſuccedentium recenſionem admittis. Quin & illud me intelligere debere ais,

Ioan. 17.

ais, mundi nomine, etiam incredulos & impios intelligi poſſe, cùm dicit Chriſtus, *vt cognoſcat mundus quia tu me miſiſti*. Vt alijs etiam locis quibus " mittit Euangelici verbi præcones in mundũ impiorum, " vt ex eo faciat mundum piorum quem " Chriſtus reconciliat ſibi. " Age agnoſco, modò non omnes impios ſed electos tantum comprehẽdas: Nec enim alium quam electorum mundum, ſibi recõcilat Chriſtus, vel vt Apoſtolus loquitur, Deus qui in Chriſto erat mundũ ſibi reconcilians. Et erãt quidẽ Apoſtoli lux mundi, partim (vt dicis) illuminans impios, & poſita in lucem gentium, vt apertis eorum oculis à tenebris conuerterentur ad lucem, dum Chriſtũ qui vera lux eſt illis annũciarent: partim verò lucens hijs qui in domo ſunt. Hoc tamen reſtat vt validis rationibus confirmes, omnium Eccleſiæ paſtorũ ac doctorũ munus, tam latè patere quam Apoſtolorum, vt neceſſe ſit eos ſemper poni in lucem gentium vt cæcitate ab oculis remota à caligine ad veram lucem reuocarentur. Hunc enim finem paſtorum nunquam oſtendes eſſe perpetuum, vt infideles ad ſtudium pietatis conuertant, cum diſertis verbis pronunciet ſpiritus ſanctus, ſequente Antichriſto miſſurũ deum in infideles *efficaciã* erroris, vt credant mendacio ad ipſorum internecionem, qui veritatis dilectionem non ſuſceperunt vt ſeruarentur. ſatis erat ergo, dum illa prophecia adimpleretur, vt electorum reliquiæ, qui ex horrenda illa à Chriſto ad Antichriſtum apoſtaſia ſeruarentur, ſuos paſtores & doctores agnoſcerent, vtcunq; mũdus infideliũ eos vel neſciret, vel pro hereticis ac impoſto-

Act. 13.47. & 26.18.

Ep. lib. 4. E. 76. & in ſequentibus 82. & lib. 7. ep. 69.

Moral. lib. 33 cap. 14.

paſtoribus haberet. Eccleſia enim quam Chriſtus in mũdo plantaturus venit, nunquam demonſtrabitur eius eſſe naturæ & conditionis, vt nunquam in anguſtias aut latebras detrudi poſſit, nunquam ab impiorum conſpectu occultari queat, ſemper deniq; tam omnium oculis ſit aſpectabilis, quàm ciuitas aliqua terrena. Cùm vera & Catholica Chriſti Eccleſia quæ eſt electorum congregatio, & Chriſti corpus myſticum, Cœleſtis Hieroſolyma, materq; omnium fidelium, nunquam in aſpectum mortalibus oculis cadere valeat. Illa verò pars eius, quæ diuerſis in locis ad tempus in terra peregrinatur, quanquam eius ſit naturæ vt ab hominibus conſpici poſſit, non ſemper tamen eſt cœtus eius omnibus conſpicuus. Immò hac ratione interdum conſultum voluit miſericors pater Eccleſiæ periclitanti, vt hoſtes eius bruta cæcitate percuteret, quo minus eam deprehendere, deprehenſam cæco furore vaſtare et diſſipare poterant. At falſum eſſe dicis quod Antichriſti Eccleſiam cum mundo coniunxerit Ioannes; nulla enim eſt talis, vnica eſt in terris Chriſti ſaluatoris Eccleſia. De Ioanne prius vidimus: ego verò Antichriſti Eccleſiam vt malignantium Eccleſiam dici poſſe arbitror, vt nihil interim decedat veræ ac vnicæ Chriſti ſaluatoris in terra Eccleſiæ. An non tu ipſe Stapletone Eccleſiam Lutheranorum, proteſtantium, Græcorum, quam nullam pro vera Chriſti Eccleſia agnoſcis, identidem inculcas? Quod verò nec nomen nec titulum Eccleſiæ Antichriſtus vnquam præſeferet, id tu quidem aſſeueranter dicis, ſed dicitur tantum; nulla enim vel vmbra rationis probatur. Immò & ſtultiſſimũ noſtrum paradoxon te ſcire profiteris, de Antichriſto Eccleſias occupaturo ex obſcuro illo Apoſtoli loco 2. ad Theſſ. 2. etiam contra communem patrum ſenſum à nobis intellecto. Immò quẽ tu patrem producis, qui locum hunc ex propoſito interpretetur qui Antichriſtum Eccleſias occupaturũ neget? Theodoretus apertè dicit quòd ſeipſum Chriſtum nominabit, non alibi igitur quàm in Eccleſia ſedebit. Immò diſertè aſſerit Paulum appellaſſe *templum Dei Eccleſias in quibus primam ſedem arripiet.* Chryſoſtomus, Oecumenius, alijq; cum eo Græci, templum Dei in quo ſeſſurus ſit Antichriſtus non Hieroſolymitanum ſolùm ſed Eccleſias præcipuè interpretantur. Ambroſius Antichriſtum ait *ſub ſaluatoris nomine appariturum, & in domo domini in ſede ſeſſurum Chriſti, vt credentes in Chriſtum decipiat.* Gregorius Regem ſuperbię ſacerdotum exercitu ſtipatũ deſcribit, cùm aduerſus Ioannis Conſtantinopolitani arrogantiam inuehitur, quem Oecumenici titulum vindicantẽ, pro Antichriſti præcurſore, vt reuera fuit agnoſcit. Idem aſſerit quòd Antichriſtus in ſignis & miraculis tantus erit, vt à multis Chriſtus ęſtimetur. Quod nunquam accidere poſſet niſi Eccleſias occupaturus eſſet, ſuaſq; fraudes & impoſturas ſub Chriſti & Eccleſiæ ipſius nomine palliaret. Beda noſter ex Auguſtino, etſi incertum eſſe dicat, vtrùm ſeſſurus ſit in ruina templi à Salomone conſtructi, an verò in Eccleſia, docet tamen nonnullos velle non ipſum principem, ſed vniuerſum quodammodo corpus eius, id eſt ad eum perti-

Ep. lib. 3. E. 76. & in ſequentibus. 82. & lib. 7. Ep. 69.

Moral. lib. 33. cap. 34.

nentem hominum multitudinem, ſimul cum ipſo ſuo principe intelligi, rectiuſque putant etiam Latine dici, ſicut in Gręco eſt: ne in templo Dei, ſed in templum Dei ſedeat, tanquam ipſe ſit templum Dei, quod eſt Eccleſia: ſicut dicimus ſedet in amicum, id eſt velut amicus &c. Primaſius etiam iactaturum Antichriſtum ſcribit, quod ipſe ſit Eccleſia. Tu videris itaque quo ore locũ illum Apoſtoli. 2 Theſſ. 2. contra communẽ patrum conſenſum, nos intelligere dixeris, cum vno ferè ore omnes quotquot in illam Epiſtolam commentarios ſcripſerunt antiqui patres, Antichriſtum Eccleſias occupaturum interpretati ſunt. Quod poſtremo loco ſcribis, voluiſſe Chriſtum, Eccleſiam ſuam ſic ſemper eſſe a prima ſua propagatione per omnes ætates conſpicuam, vt ſemper eſſet lux mundi etiam impiorum quoties impios a tenebris ad lucem opera & miniſterio huius Eccleſiæ conuertere voluit, id quidem facile tibi concedimus. Sed voluiſſe Deum, per omnes ætates, quoſlibet impios ad lucem Euangelij ex ignorantiæ & erroris caligine reuocare, id quidem pernegamus; quando Antichriſtum, & erroris efficaciam, in pœnam incredulitatis ac ingratitudinis, impijs à Deo immiſſã, diſerte teſtatur Apoſtolus. Fuerunt quidẽ lux mundi, & ſal terræ Apoſtoli, & ſunt pro ſuo modulo paſtores ac doctores Eccleſię, non quod omnibus ſemper illuxerint, ſicut nec omnes ſacro Euangelij ſale condiuerũt, ſed quod non alia lux, nec aliud ſal, quam Euangelij doctrina, cuius theſauros ſoli ſibi cõcreditos portabant, vſpiam in mundo, aut in vlla terræ parte reperiri potuerit.

QVOD

QVOD MVLIER FVGIENS in deſertum, non ſit Eccleſia *Catholica in toto curſu & progreſſu eius,* & quòd Proteſtantes docent Eccleſiam Chriſti periiſſe *de orbe terrarum.*

CAPVT II.

Staplétonus.

Nunc Apocalypſis locũ à te prolatum, & à me ad tuam cauſã iuuandã nihil pertinere oſtenſum tueris ac defendis. Quo in loco illud primùm arrodis, quod ad perpetuam Eccleſiæ Chriſti durationem euertendam hunc locum à nemine hactenus prolatum eſſe dixerim, & ais: Nos ne Eccleſiæ Chriſti perpetuam durationem euertere paramus mendaciſſime calumniator, quod eam latere aliquandiu debuiſſe docemus? An tuæ grammaticæ idem ſonant occultare Eccleſiam aliquam, tantiſper donec deſæuiat ſerpens, & eandem penitus ex mundo perire? *Reſpondeo vir modeſtiſſime, te tuoſque Eccleſiæ Chriſti perpetuam Durationem euertere, qui eum latere aliquandiu debuiſſe docetis. Quod enim aliquandiu latet, perpetuò non exiſtit: non exiſtit inquam in luce & conſpectu populorum, quo ſanè modo ſuam Eccleſiam perpe-*

tuam

Quod proteſtā-tes Eccleſiæ perpetuitatem negant.

Matth.28.

Matth.5.

tuam perpetuo exiſtere Chriſtus voluit. Perpetuitatem expreßit, quum diceret; Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. *Lucem perpetuam expreßit quum eiſdem diceret;* vos eſtis lux mundi: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. *Hæc Ciuitas eſt Eccleſia Chriſti, vt ſæpenumero Auguſtinus contra Donatiſtas demōſtrat. Hæc abſcondi non poteſt. Hæc eadem omnibus diebus exiſtit, quia Chriſtus cum illa eſt, vſque ad conſummationem ſæculi. Nunquam igitur latet. Si nunquam, quomodo aliquandiu? Vide nunc an malè ſonet non ſolum grammaticæ meæ, ſed etiam veræ Theologiæ idem prorſus eſſe perpetuitatem Eccleſiæ negare, & eam aliquandiu latitantem ponere. Vide etiam an non idem ſit occultari aliquantiſper Eccleſiam, & eandem penitus ex mundo perire. Si enim non niſi conſpicua exiſtit Eccleſia, profectò ſi aliquantiſper non eſt conſpicua, aliquantiſper non exiſtit, id eſt ex mundo perit. Sed quale iſtud eſt vt nunc aliquandiu & aliquantiſper tantum, non autem in perpetuitate aliqua latitantem Eccleſiam te docere fingas, cuius doctrina ſi vera eſt, non aliquantiſper ſed quam diutißimè adeoq; multis ſeculis Eccleſia deperdita eſt? Illā enim ſectam tenes quæ noſtra ætate recenter nata, ſuos in fide & religione Maiores, paſtores & Epiſcopos ſuos, nullo planè poſt Chriſtum ſæculo poteſt oſtendere, vnde factum eſt vt noui iſti mendaces magiſtri quibus tu adhęres, multis etiam argumentis probare nitantur, longo temporis tractu ac multis ſæculis, latitare & è conſpectu hominum tolli Eccleſiam poſſe. Illa argumenta nos in hoc opere ex eorum ſcriptis recenſuimus & confutauimus. Quid, quod & diſertis verbis à multis iam ſęculis, alij à quingentis, alij à nongentis & amplius, alij demum ab*

Lib.2.cap.8. & ſeq.

ipſo Apoſtolorum tempore fœdiſſimis erroribus contaminatam fuiſſe, ideoque à vera religione turpiter excidiſſe, Eccleſiam Chriſti Catholicam ijdem tui magiſtri damnârunt? Quod nos in hoc etiam opere planum fecimus. Quæ ſanè omnia me à calumnia liberant, ſi perpetuam Chriſti durationem euertere vos dico. Sed vtinam calumniator ego, & vos hac vna in re peſtilentes hæretici non eſſetis. Nihil enim magis peſtilenter hæreticum quàm Eccleſiæ Chriſti lapſum & eclipſes, quales vos ponitis aſtruere. Negas tamen tu homo religioſus tanti temporis lapſum & tenebras Eccleſiæ accidiſſe, & ais Proteſtantium Eccleſiam à Romano Antichriſto oppreſſam, totis mille vt minimum annis in deſerto latuiſſe, vt nunquam interim caput exerere auſa ſit, vt nulli hominum conſpicua eſſet, id eſt, omnino à vero alienum. *Oſtende igitur vir doctiſſime, quo demum in loco & in qua gente totis his mille annis, illa tua proteſtantium Eccleſia caput ſuū exeruerit, & hominum conſpectui ſeſe obtulerit. Aio te non alios proferre poſſe quàm hæreticos: ídque etiam (vt magis mirere) tuo ipſius iudicio hæreticos. Quoſcunque enim protuleris, aut non omnia docebunt & affirmabunt ad fidem & religionē ſpectantia quæ vos hodie proteſtātes docetis & affirmatis; aut quædam opinionum portenta docuerint, quæ tecum tuis non ſecus aduerſaris & exhorres, quàm nos & vera Chriſti Catholica Eccleſia. Quare etiam tuo iudicio hæretici erunt. Subiungis tamen vt quod temere aſſeruiſti, falſum tenuiſſe probes, & dicis.* Nam quamuis nongenti amplius anni ſunt ex quo Bonifacius Antichriſtianam tyrannidem apertè inuaſit, non tamen vno momento diabolus omnem Eccleſiam in loca ſolitaria detrudere valuit: Vix enim quin-

Lib.3.cap.4.

Proteſtantium maiores non alij quàm hæretici.

» gentis poſtea annis, veram ſalutis doctrinam ex
» Eccleſijs Europeis exterminare potuit, vtcunque
» per multas corruptelas id maximè iam olim cer-
» tum cuperet. *Tuus ergo calculus à nongentis quidem*
» *annis cœpiſſe, ſed à quadringentis tantum prorſus præ-*
» *ualuiſſe Antichriſtum, verámque Eccleſiam in latebras*
» *protruſiſſe, ponit. Quid igitur? totis ſaltem quadringentis annis latitaſſe in deſerto Eccleſiam veram, hocce tibi aliquantiſper tantùm; aut breue illud tempus videtur, quale locus ille Apocalypſeos deſcribit? An non vel iſtud ſolum perpetuitatem Eccleſiæ in luce & ſplendore ſubuertit? Quomodo enim perpetuò illa ſubſiſtit iuxta propheticas & euangelicas promiſſiones, quæ ſecundum veſtrum mendacium totis ſaltem quadringentis annis vbi ſubſtiterit nemini perſpectum eſt? Quanquam & tuus iſte calculus G. F. vtcunque iuxta Foxi tui & Pantaleonis rationes initus, longiſſimè tamen à vera ratione aberrat, ſi magnos illos magiſtros tuos, Wiclephum, Caluinum, Lutherum, Melanchthonem, Magdeburgenſes Centuriaſtas audire vis: quorum ſanè calculus longè ante Bonifacium orditur: vt alij à Zoſimo, alij à Silueſtro, alij à Victore, alij denique ab ipſis proximis Apoſtolorum ſucceſſoribus hanc corruptæ doctrinæ, & latitantis Eccleſiæ lineam ducant. Quod ex ipſorum verbis in hoc opere explicatum dedimus. Sed profectò & tuus & illorum calculus pari veritate ſubſiſtit; vterque mendax & Blaſphemus eſt, ſi verax & ſanctus Chriſtus eſt, qui ſuę Eccleſiæ promiſit,* Vt ſpiritus veritatis eam doceret omnem veritatem, *non aliquas veritates multis næuis & ſtipulis falſæ doctrinę contaminatas:* idque in æternum, *non aliquot ſeculis tantum, poſtea Eclipſes neſcio quas patiendo: ac præterea*

Lib.3.cap.4.

Ioan.17.

vt eſſet Ciuitas quæ abſcondi non poſſet, *id eſt, quæ latitare in deſerto quod tum blaſphemè ponis, nunquam debuerit. Apage ergo tu cum tuis mendacijs. Nos Chriſto credimus qui* via noſtra, veritas, & vita eſt.

Matth. 5.

Ioan. 14.

Ad Apocalypſis locum tandem explicandum venis, & oſtendere vis loci circumſtantiam contra ſenſum veſtrum nihil facere, quod ego luculenter reclamare dixeram: hac ſanè de cauſa, quòd fuga illa in deſertum ad mille ducentos ac ſexaginta dies tantum, id eſt, ad tres annos cum dimidio, non amplius extenditur: veſtra autem fugitiua multis iam ſæculis latitauerit. Reſpondes fatere quidem his numeris ac nominibus tempus breue ad conſolationem piorum deſignari, dimidium ſcilicet ſeptimanæ myſticæ & propheticæ, ſed quibus dierum, annorum, aut menſium curriculis finiendum, nobis qui temporum articulos, quos pater in ſua poteſtate poſuit, curioſiùs inueſtigare prohibemur, penitus incognitis. *Si tempus breue fateris, qua tu fronte ad tot ſæcula hanc fugam extendis? Si horum temporum & dierum curriculi tibi ſunt incogniti, quare definis à Bonifacio hanc fugam cœpiſſe, & quingentis poſt annis in deſerto totam Eccleſiam receptam fuiſſe? Si ad conſolationem piorum, tempus breue deſignatum eſt, profectò in tot ſæculorum fuga & latebris non conſolatio ſed deceptio piorum erit hæc prophetia. Deinde Chriſtus promittit fore* vt dies abbreuietur propter electos. *Vos autem illos extendiſtis immaniter propter veſtros reprobos & hæreticos, quos vultis Eccleſiam latitantem eſſe. Sed tibi ſemper negamus ad Eccleſiæ lapſum & interitum, vel etiam latebras & fugam aliquam niſi fortè in fine ſæculi ſub Antichriſti aduentu, hanc prophetiam ſpectare: idque propter manifeſtiſſimas Chriſti promiſſi-*

Locus Apoc. 12. de muliere in deſertum fugiente.

Matth. 24.

ones in contrariũ, Tui Bullingeri, Cÿthrei, Marlorati cõmentarios quos profers, nihil moramur. Te cæci cæcũ ducunt, & omnes in foueã cecidiſtis. Profer mihi ſãctos patres, veræ Eccleſiæ lumina, paſtores, & Doctores: hos audiam. Sed malè te habet, quod hanc mulieris in deſertum fugam in finem ſæculi reÿciam, & ais. Craſſum hoc eſſe delirium (*ita ſemper modeſtus es*) in mundi finem relegare, quod ſtatim à partu mulieri euenturum Spiritus ſanctus pręmonuit. *Si ſtatim à partu hęc fuga mulieri, id eſt, Eccleſiæ euentura prædicitur, quare tu illã ad tempus Bonifacÿ, imo ad quingentos poſt annos, id eſt, ad annos mille poſt partũ eius modo reieciſti? Vides vir acutiſſime, ſi craſſũ hoc delirium eſt, nõ me ſolũ delirare. Addis:* in tantas temporum anguſtias; quantas nos fingimus, ſub finem ſæculi regnante Antichriſto, nulla ratione compelli poſſe, quæ Scriptura commemorat: nempè poſt fugatam mulierem aquam ex ore ſerpentis profluentem à terra abſcriptam, bellumque à Dracone geſtum cum reliquiis ſeminis eius qui cuſtodiunt mandata Dei. *Hoc quidem aſſeris, ſed aſſertionis tuæ nullam cauſam adfers; quaſi tu is eſſes, quo aſſerente ſatis ſit dicere: αὐτος ἔφα. Ego verò non video cur de perſecutione Antichriſti hoc totum intelligi nequeat. Vtcunque enim breuis, grauiſſima tamen illa erit ſanctorum perſequutio, calamitas & deſolatio:* qualis non fuit ab initio mundi vſque modo neque fiet. *Subiungis poſtea vt validius adhuc reſponſionem hanc noſtram confutet, & ais.* Quod ſi vel ſub finem ſæculi ad implendam hanc prophetiam de Eccleſia negare non audet, quin in deſertum ab Antichriſto pellenda ſit: quomodo Chriſtus tam apertis verbis vetuit, ne vnquam

Matth. 24.

in deſerto Eccleſiam quæreremus, quam ipſe ſuo Ioanni in deſerto per aliquod tẽpus alendam prędixerit? *Hæc tu: moxq́; quaſi læthali plaga hoſte cõfecto triumphũ canis, & ſolitæ tuæ modeſtiæ colophonẽ annectis, dicens.* Vides inſulſiſsime oſtẽtator, quo futiliſsime ineptiæ tuæ recidant. *Ego verò reſpondeo vir manſuetiſſime, & Antichriſti tẽpore in deſertũ pelli Eccleſiam poſſe, & tamen in deſerto illo quod Chriſtus dicit Eccleſiã quærendã non eſſe. Pelli ſanè in deſertum poterit Eccleſia regnante Antichriſto, & illo momento temporis in deſerto, id eſt, in locis abditis, in latibulis, in ſpeluncis quò ſancti ſe recipient, non incõmodè quæretur Eccleſia. Cæterũ illa deſerta non erunt hic & illic, ſed erunt vbiq; per omnes gentes, per quas Chriſti nomen propagatum eſt, & in quibus Chriſti nomen profligabit quantũ poterit Antichriſtus: Talis enim eſt* dilecta ciuitas, *& talia ſũt* caſtra ſanctorum, quę ſoluto diabolo cingentur à Goget magogi, *id eſt*, Eccleſia Chriſti toto terrarũ orbe diffuſa ab omnibus inimicis ſuis (quia & ipſi in omnibus gentibus cũ illa erunt) perſequutionis illius immanitate cingetur: *vt aliũ Apocalypſis locũ ca. 20. exponit Auguſt. de Ciuit. Dei li. 20. ca. 11. Chriſtus autem docet non eſſe in deſerto illo quærendã Eccleſiam, de quo dicetur,* ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, *id eſt, ſic hic & illic vt non vbique, non in cõmunione omnium gentium, non in Catholica multitudine per orbem vniuerſum diſperſa; ſed in hæretica paucitate, hic & illic per partes & ſciſſuras diuiſa atque diſiuncta. Nempe diſertè Chriſtus de Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis loquitur, qui eo tempore ſurgent & dicent:* Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. *Vna hæreſis hic altera illic. Vna ſecta Geneuæ; altera ſecta Wittenbergæ, Lipſiæ, &* in

In deſertũ pelli Eccleſia poteſt, & tamen in deſerto Eccleſia quærenda non eſt.

Apocal. 20.

Matth. 24.

In Anglia Chriſtus hic & illic.

in reliqua Saxonia ſuperiori. Imò in vno & eodem loco variæ ſectæ ſeorſim auocabunt & abducent poſt ſe diſcipulos. Hodie in Anglia præter Caluiniſtas, ſeorſim ſuos ducunt Puritani, & aiunt: ecce hic eſt Chriſtus, hic eſt Euangelium; hic eſt pura puta adminiſtratio verbi & ſacramentorum. Seorſim ſuos ducit familia amoris & dicit: Ecce hic eſt Chriſtus: hic eſt. H. N. hic homines dÿ fiunt & Deus ipſe in homines transformatur. Seorſim ſuos ducunt ſuperilluminati, noui Iudæi, Anabaptiſtę, noui Arriani, & quidem deteriores in eadem Anglia. Nec enim defuit Matthæus quidam qui Chriſtum prorſus non ſolum deum ſed & aliquo modo redemptorem eſſe negauit, ideoque Nordouici in Anglia menſis Maÿ 20. an. 79. flammis abſumptus eſt, non modica etiam poſt ſe impietatis ſuæ ſecta relicta. Si Antichriſtus noſtro tempore regnaret, omnes iſtę ſectæ (niſi fortè ad Antichriſti caſtra tranſirent), vnà cum Catholica multitudine deſerta loca peterent, & in deſerto latitarent ad tempus, tam vera Eccleſia quàm vnaquæque hęreſis. Sed latum & maximum diſcrimen hoc eſſet, quòd de Catholica non diceretur, ecce hic, vel ecce illic eſt Chriſtus; ſed ecce & hic & illic, & per alias gentes quaſcunque, vbi Chriſti nomen auditur, eſt Chriſtus, eſt Eccleſia. Ab vnaquaque autem ſecta diceretur, ecce hic eſt Chriſtus & non illic. vnaquæque ſuas partes oſtenderet ſua ſacramenta proferret, ſua fragmenta indicaret. Et hoc ſenſu ac modo in deſerto quærendã Eccleſiã prohibuit Chriſtus. In deſerto autem quoad loca ad breue momentum latitare Eccleſiã docere potuit Ioannes in ſenſu ac modo quẽ diximus, nec quicquam tamen Chriſti verbis contrarium docere, quæ de deſerto quoad ſectas & partes potiſſimũ loquũtur.

Sed quum Chriſti Saluatoris verba hic manifeſtiſſi-

ma ſint, tam de Eccleſia in deſerto non quærenda, quàm de Eccleſia in perpetua luce & veritate conſeruanda; Ioannis autem verba vehementer ſint obſcura, nec certò conſtet de Eccleſia ipſa loquatur necne; etſi de Eccleſia loquitur, de quo tempore ac ſtatu loquatur adhuc magis incertum eſt; profectò dementiſſimum eſt à Chriſti verbis quæ ſunt manifeſtiſſima recedere, & obſcuræ prophetię in ſpeciem repugnanti adhęreſccre. Ego verò ab Auguſtino didici, apertis Scripturarum locis paſci, obſcuris exerceri: *vos contra appetitu præpoſtero & malè ſano, aperta loca faſtiditis, obſcura temere deuoratis. Et vt Donatiſtis Auguſt. acutiſſimè dicit.* libenter in opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini. *Apertiſſimas prędictiones propheticas & promiſſiones Euangelicas, de Eccleſia Chriſti per omnes gentes diffundenda, perpetuò & in perpetua luce atque ſplendore duratura (quas in hoc opere ſtudioſe produximus) ſurdis auribus præteritis. Obſcuram prophetiam de mulieris fuga in deſertum vnicè amplectimini & perpetuò vrgetis. Quare tu ſanè diſertè profiteris,* te Chriſtum quidem in cælo tantum quærere; at corpus eius id eſt in terris peregrinantem Eccleſiam (*quaſi caput à corpore diuelli queat, aut quaſi ipſum caput ſuo corpori non dixiſſet,* Ego vobiſcum ſum omnibus diebus &c.) nonnunquam (*id eſt, ſecundum te, multis ſæculis*) etiam in angulis, in carceribus, in fodinis, in ſpeluncis ac ſpecubus ſubterraneis te agnoſcere, non quidem totam in vnius loci anguſtias concluſam, ſed per vniuerſum orbem varijs in locis diſperſam. *Hæc ſanè quam deſcribis, non eccleſiæ in toto curſu & progreſſu, ſed perſecutionum & crucis, quas in exordio ſuæ propagationis perpeſſa eſt, & in fine*

Manifeſta Chriſti verba deſerẽda non ſunt propter obſcuras prophetias.

Præfa. in Pſal. 140.

De vnitat. Eccleſ. cap. 19.

Matth. vlt.

„ *paſſura eſt, forma & facies eſt. Nos autem Eccleſiam*
„ *quærimus iuxta eam formam & faciem quam in toto*
„ *curſu & progreſſu ſuo maximè his totis mille & ampli-*
„ *ùs annis (quod tempus errori deputaris) in terris obti-*
„ *nuit. Hanc illuſtrem & conſpicuam per paſtorum & po-*
„ *pulorum certas ſucceſsiones, & in communione omnium*
„ *gentium iuxta Scripturas ponimus.* *Quare ſi fuit in deſerto Eccleſia in toto curſu & progreſſu ſuo, aut aliquot ſæculis profectò ex vniuerſo mundo perieris: tum quia talis non extiterit, qualem eam fore Scripturæ deſcripſerunt; tum etiam quia nuſquam apparuerit; vtcunque tu neſcio quibus electis in ſpirituali gloria illuſtrem illam fuiſſe vaniſsimè muſsites. Quod & poſtea oſtendemus.*

Eccleſia in toto ſuo curſu conſpicua eſt.

Addis poſtremo, ne vnius obſcuræ propheſiæ prætextu ad obſcuram in deſerto Eccleſiam quærendam abductus videare, & dicis.
„ An non prædictam ab Apo-
„ ſtolo, à Chriſto ad Antichriſtum apoſtaſiam toti-
„ us ferè orbis in memoriam vobis reuocamus? 2. *Theſſ. 2. Quaſi verò ille Apoſtoli locus, de diſceſſione primùm, ac deinde reuelatione hominis peccati, non ſit obſcuriſsimus, non quidem quoad perſonam Antichriſti* (de qua ibi loqui Apoſtolum & de die Iudicij, nulli dubium eſſe *affirmat Auguſt.*) *ſed quoad ſpeciem illam diſceſsionis; quam quatuor diuerſis modis exponunt vetuſtiſsimi interpretes: deinde quoad illa verba,* ita vt in templo Dei ſedeat, *quod etiam variis modis exponunt veteres, & ipſe Auguſtinus multum in eo exponendo deſudat, ac denique quoad illa verba,* Nunc quid detineat ſcitis: & teneat qui tenet, donec de medio fiat: *ad quorum* verborum intelligentiam ſe non potuiſſe peruenire *ſcribit Auguſtinus. Quinetiam*

De ciuit. Dei. Lib. 20. cap. 19.

Vbi ſuprà.

piam ad illa verba. Iam myſterium iniquitatis operatur: *Ego (inquit Auguſtinus)* me prorſus quid dixerit Apoſtolus, fateor ignorare. *Et tamen iſte tibi locus G.F. nihil planè obſcurum habere videtur. Adeo quicquid tuam hereſim iuuat, apertum tibi eſt, vtcunq; veteribus & doctiſsimis patribus obſcurum ſit viſum. An verò iſte locus Apoſtoli, apoſtaſiam totius orbis doceat, maximè qualem tui fingunt, lege Nicolaum Sanderum toto lib.8. viſibilis Eccleſiæ Monarchiæ copioſè & accuratè diſputantem. Subiungis,* Quid illa pro- "
phetia etiam obſcura eſt Apocalyp.13. de beſtia "
quam omnes gentes, tribus, populi, & linguę "
adorarunt? Quid autem altera cap.18. de mag- "
na meretrice non in deſerto ſed in luce & con- "
ſpectu omnium ſeptem collibus inſidente ciuita- "
te inquam quæ habet imperium in reges terræ, "
de furioſo cuius fornicationis vino omnes gentes "
biberunt? *Quaſi vero quicquam in Apocalypſi ſit non* "
obſcurum, de qua grauiter & verè ſcripſit Hieronymus. "
Apocalypſis Ioannis tot habet ſacramenta quot "
verba. *Sanè illam beſtiam de qua Ioannes c.13. & c.20. agit, quam tu cum tuis ſine vlla dubitatione aſſeueras, Romanam eſſe vel ciuitatem vel Eccleſiam, longè aliter exponit doctiſſimus Auguſtinus, idq; magis ſuſpendendo quàm præcipitando ſententiam.* Quæ ſit, *(inquit)* iſta beſtia, quamuis ſit diligentius inquirendum, tamē non abhorret à fide recta, vt ipſa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli, &c. *Imaginem porrò beſtiæ vult* zizania quæ ſunt in Eccleſia ſignificare, quia non veraci effigie ſed fallaci imagine ſunt Chriſtiani. *Vobis autem nihil eſt obſcurum, quia facit vos vel ſecuros ip-*

In Epiſt. ad Paulinum.

De ciuit. Dei, Lib. 10. cap. 9.

ſa ignorantia, vel præcipites arrogantia. Porrò altera
prophetia Apoca.18. quam profers quàm nihil ad Romanam
Eccleſiam pertineat, ſatis accuratè demonſtrauit
Lib.8.cap.47. *Nicolaus Sanderus in viſibili Eccleſiæ monarchia. Tu*
tamen quaſi nihil in his omnibus prephetiis eſſet obſcurum
(quibus tamen omnibus indiuiduus comes & proprium
quodammodo inſeparabile ſolet eſſe obſcuritas) ita
" *ſubiungis.* Hæ ſi tibi obſcuræ prophetiæ videntur,
" quæ in multos probabiles ſenſus à multis trahi
" poſſunt (quod tamẽ nemo niſi nobilis huius ſcorti
" meretricio amore captus penitus atq; obcæcatus
" dixerit) ſaltem ſpiritus manifeſtè ac diſertè
" loquitur, futuros qui à fide deficerent attendentes
" ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum
" eſſe quorum hæ ſunt notæ, matrimonium, cibosq;
" à Deo ad percipiendum cum gratiarũ actione
" creatos prohibere. *Itane verò G.F.? Nemo niſi*
meretricis Babyloniæ amore captus & obcæcatus ſuperiores
illas prophetias obſcuras dixerit? I ergo & Auguſtinum
atque Hieronymum huius ſcorti amaſios atque
mancipia pronuncia. Sed & Theodoreto, Chryſoſtomo,
Ambroſio, Sedulio, Theophilacto eandem turpitudinis
notam homo audaciſsime inurito. Deſudant enim hi omnes
in ſuis cõmentariis ad illum Apoſtoli locum 2.Theſſ.
2. & coniectura magis quàm certa aſſeueratione ſenſum
Apoſtoli eruunt. Quod autem nunc ex Apoſtolo adfers,
de futuris qui à fide deficiant &c. *eſt illud quidem*
ſatis manifeſtè dictum, ſed futuros in Eccleſia per varias
ætates & loca hæreticos, non totius Eccleſiæ aut orbis
Auguſtin. de vnit. Eccleſ. cap.12. *apoſtaſiam Apoſtolus ibi prædicit; vt tu ex hoc loco cum*
Donatiſtis concludis. Illorum enim vox erat orbem
terrarum apoſtataſſe. *Fingis tamen me aliud dicere,*

&

& ais, Sed & hanc prophetiam Stapletonus in ſolis Manichæis locum habere conſtanter aſſerit. *Et deinde multis verbis oſtendere conaris ad ſolos Manichæos hæc verba pertinere non poſſe. Sed vbi vir ſagaciſſime vel legiſti, vel audiuiſti, vel animaduertiſti me aſſerere, idque conſtanter, in ſolis Manichæis hanc prophetiam locum habere? Cur adeo impudenter mentiris vir bone, niſi quia* poſuiſti mendacium ſpem tuam, & mendacio protectus es? *Ego verò id nuſquā dixi, ſcripſi, aut ſenſi: Solis inquam Manichæis hanc prophetiam peculiarem eſſe. Sed in Manichæis potiſſimum hanc prophetiam locum habere, & Stapletonus & Auguſtinus conſtanter aſſerunt; Imo ex Auguſtino vt alia multa, ſic iſtud etiam Stapletonus didicit.* Chriſtianos non hæreticos ſed Catholicos edomandi corporis cauſa, non quod immunda illa eſſe credant, non ſolùm à carnibus ſed etiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinere. *Rurſum* Eccleſiam quæ verè Chriſti Eccleſia eſt, ſic bonum eſſe nuptias dicere, vt tamen meliorem dicat virginitatem: ideoq; illum prohibere nuptias qui hoc malum eſſe dicit, vt *Manichæi*; non qui huic bono aliud melius anteponunt, *vt Catholici: Hæc ex Auguſtino didicit libenter Stapletonus, vt ad Manichæos potiſſimum, non ad Eccleſiam Chriſti omnino propter ieiunia ſancta & cælibatus propoſita, hanc prophetiā pertinere indicaret. Tu tamen furore cæco adhuc Eccleſiæ hoc crimen impingis, quo illam ab annis iam mille ducentis tantus Doctor tam perſpicuè liberauit. Addis quoque rabie hæretica percitus*, “eadem impietatis & hypocriſeos ſigna & “manifeſtiora & diutius perdurantia in Romana “Eccleſia omnibus oculis conſpici, *Sic tu quidē muliebriter*

Iſaiæ. 28.

Contra Fauſt. Manich. lib. 30. cap. 5. & 6.

„ *liebriter conuiciaris & impotenter debaccharis, ſed conuitij tui nullam planè probationem adfers; ad maledicendum promptus, ad probandum quod dicis planè mutus.* „ *Concludis tamen qua re de bene geſta.* Non igitur vnius obſcuræ prophetiæ prætextu à Romanenſium cætu diſiungimur, quem tam multis tamq; perſpicuis ſanctæ Scripturæ oraculis Antichriſtianã eſſe tyrannidem edocti ſumus. *Imo planè propter obſcuras quaſdem prophetias (vt iam oſtendimus) luculentiſſimas, & creberrimas promiſſiones in lege, in pſalmis, in prophetis, in Euãgelio, Eccleſiã Chriſti per omnes gentes viſibiliter diffuſam, & perpetuo durantem deſcribentes deſeritis. Iſtæ promiſſiones, prædictiones, deſcriptiones Eccleſiæ Chriſtianæ creberrimæ, apertiſſimæ & manifeſtiſſimæ ſunt, adeo ſanè* vt nullo egeant interprete, *ait ſæpeque repetit Auguſtinus. Prophetiæ allatæ obſcuræ ſunt, paucę ſunt, cordato & perito interprete egent. Illæ promiſſiones ſtatum Eccleſiæ Chriſtianæ in toto ſuo curſu & progreſſu deſcribunt. Prophetiæ à te allatæ* de Antichriſto & die Iudicij, (*ait Auguſtinus de loco 2. Theſſ.2.*) *certè de poſtrema Eccleſię perſecutione & tribulatione, omnium ferè veterum iudicio loquuntur. Has tu promiſſiones legales, propheticas, Euangelicas, Eccleſiæ amplitudinem, perpetuitatem, lucem atque ſplendorẽ verbis clariſſimis, iterum atque iterum inculcantes (quas diligenter lib.2. & 3. huius operis produximus) tu cum veteribus Donatiſtis ſurda aure prętergrederis. Et quod illi de illo obſcuro loco,* vbi cubas, vbi paſcis in meridie, *egerunt, hoc tu de iſtis obſcuris prophetiis agis, vt propter obſcura pauca* quibus exercemur ad edomãdam labore ſuperbiam & intellectum à faſtidio reuocandum (*ait Auguſtinus*) *deſeramus manifeſta*

De vnit. eccl. cap. 9. 10. & 16.

De Ciuit. Dei. Lib. 20. cap. 19.

De vnit. Eccl. cap. 14.

De doctrina Chriſtiana. Lib. 2. cap. 6.

quam plurima; quibus paſcimur & erudimur. Sed non feremus vt tua lupina rabies à paſcuis ſaluberrimis nos auertat. Oues ſumus, paſtoris vocem audiuimus, & eam ſequi volumus. Dicam cum Auguſtino. Habeo manifeſtiſſimam vocem paſtoris mei commendantis mihi & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam mihi imputabo ſi ab eius grege aberrare voluero. *Et paulò poſt.* Iſtæ diuinæ voces de vniuerſa Eccleſia ita manifeſtę ſunt, vt contra eas niſi hæretici animoſa peruerſitate & cæco furore latrare non poſſint. *Sed (vt Donatiſtis dixit Auguſtinus, ita & vos)* libenter in opertis immoramini ne fateri aperta cogamini. Ecce Eccleſia. Rogo quid patimini? Ecce Eccleſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis commendata & expreſſa, prædicta & demonſtrata. Sicut audiuimus ita & vidimus Noli ergo putare (*vt eiuſdem Auguſtini verbis adhuc magis vtar*) verás oues Chriſti, quibus dictum eſt, Nolite credere, vſq; adeo cor non habere, vt lupum audiant dicentem, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce in deſerto, & paſtorem non audiant dicentem, per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem.

De vnit. eccl. cap. 10.

Ibidem ca. 19.

Contra Petil. Lib. 2. cap. 6.

Fulco.

CVm duo poſueris huius capitis argumenta, prius tibi concedimus: poſterius à te confictũ eſt. Quod mulier illa Apocalyptica quam deſcribit Ioannes Apoc. 12. Eccleſia ſit Catholica, ſi negare auderes, omnium tum veterum, tum recentiorum Theologorum in hanc ſententiam con-

ſpirantium autoritate opprimereris. Quæ ſi nullius apud te ponderis eſſe videretur, ſaltem ex ipſius prophetię teſtimonio apertiſſimo reuincereris. Quæ enim alia mulier tanto omnium cæleſtium ſplendore ornata, ab ipſis naſcentis euangelicæ prædicationis incunabulis, Diaboli furore, atq; odio exagitata, tandem in deſertum aquilæ magnæ alis adiuta profugit, niſi Eccleſia Chriſti Catholica, pro cuius ſalute, ac incolumitate prælium in cęlo factum eſt, Michael Dracone in terram expulſo, cum ſanctis martyribus triumphos agit, vt cætera breuitatis cauſa omittam. Nam quod ad Mariam virginem à nonnullis trahitur, nullo negotio refellitur, cum nō hiſtoriam rerum pręteritarum, ſed futurarum prædictionem, hæc prophetia complectatur, teſte Chriſto cap. 1. ver. 2. Quod verò mulier hæc per totum curſum & progreſſum vitæ eius, in deſerto ſit habitatura, quaſi Eccleſia Catholica nunquam è latebris & ſpeluncis in apertam hominum lucem proditura eſſet, id quidem nunquam cogitauimus, neque nunc tuemur. Sed quod aliquo ſaltem tempore, latitura ſit in deſerto, quia ſpiritus ſanctus prodi-
„ dit, non poſſumus non agnoſcere. Sed Eccleſiæ
„ Chriſti perpetuam durationem euertunt (ſi tibi
„ credamus) qui eam latere aliquandiu debuiſſe
„ docent. Quòd enim aliquandiu latet, perpetuo
„ non exiſtit: non exiſtit, inquis, in luce & conſpe-
„ ctu populorum: quo ſanè modo ſuam Eccleſiam
„ perpetuam perpetuo exiſtere Chriſtus voluit. Si
hoc verum ſit, non de exiſtendo, ſed de modo exiſtendi quæſtio erit. Nos quidem exiſtere etiam

latentem Eccleſiam confitemur. at tibi non exiſtit niſi in luce & conſpectu populorum. Perijt igitur funditus Diocleſiani & Maximiani tyrannide, in tantas anguſtias & latebras redacta, vt nuſquã exiſtere, vel nomen Chriſtianorum tyrannis, & eorum impietatis miniſtris, populiſq; videretur. Sed lucem perpetuam expreſſit Chriſtus, cum Apoſtolis diceret, vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ridiculè, quaſi ſatis ſit lucem eſſe vt videatur: oculis vero non opus eſſet omnino, aut oculorum ſenſu. Ergo & lapides, & cæci ſolem qui lux mundi naturalis eſt, neceſſario vident, aut ſol non eſt perpetuo, & omnibus lux mundi. At mundus impiorum non magis cernit quam lapis, niſi oculos quorundam aperiat gratia preueniente Deus vt videant. Idẽ de ciuitate ſuper montem poſita ſentio, quæ non Eccleſiam vt alicubi Auguſtinus, ſed Eccleſiæ paſtores vt Chryſoſtomus alijque ſanius interpretantur deſignat, quorum vita ſuis in exemplum propoſita, non magis latere poteſt oculos diſcipulorũ, quam ciuitas ſuper montem ſita eos qui circumquaq;, in propinquo habitant. Nam ciuitatem ſuper montem exædificatam, nemo ſanus omnibus per vniuerſum terrarum orbem hominibus aſpectabilem dixerit, ſed hijs ſolum qui non admodum longè poſiti ſunt. Haud ſecus Eccleſiæ doctores hijs quos docent ſunt in conſpicuo, alijſque qui nõ longè remoti ſunt, nõ tamen omnibus vbiq; hominibus, etiamſi in locis toto orbe celeberrimis doceant. At non aliquantiſper, ſed quã diutiſſime, adeoq; multis ſęculis, Eccleſia deper-

» dita eſt, quæ per quingentos vt alij, nongentos vt
» alij annos latuerit. Totum tempus Eccleſiæ in
terris peregrinantis breue eſt, ſi ad perpetuitatẽ
regni Chriſti conferatur. Quanquam per tot ſæ-
cula latuiſſe à conſpectu mundi Eccleſiam nemo
noſtrum aſſerit, vtcunque non multis poſt Apo-
ſtolorum tempora ſæculis fædas errores in Ec-
cleſia inualuiſſe quidam aſſerunt. Sed non ideo
vt tu inconcinnè colligis, à vera religione turpi-
ter excidiſſe Eccleſiam Chriſti Catholicam ijdẽ
docuerunt. Non enim ſtatim à vera religione ex-
cidit, qui fædiſſimis etiam erroribus irretitus ſit,
modò vnicum Chriſti fundamentum retineat.
Quis enim eſt ex ſanctiſſimis patribus, in quo nõ
fædos errores animaduertere liceat, quos ne vos
ipſi quidem probare audetis. Nec tamen ideo à
vera religione eos excidiſſe quiſquam prudens
» temere dixerit. Nego tamen (vt tu me per
» iocum vocas) homo religioſus, tanti temporis
» lapſum & tenebras Eccleſiæ accidiſſe: Iubes
» igitur (ſed non ſine ſcommate, quo me virum do-
» ctiſſimum appellitas) vt oſtendam quo demum in
» loco, & in qua gente totis his mille annis, illa mea
» proteſtantum Eccleſia caput ſuum exeruerit, &
» hominum conſpectui ſeſe obtulerit. Quanquam
hoc non difficile foret, vt etiam ſub Antichriſti ty-
rannide pluribus in locis ſanam de ęterna ſalute
per Chriſtum ſolum adipiſcenda, doctrinam, per
totum hoc tempus partim publicè, partim occul-
tè, varijs in locis ac gentibus traditam, ſuſceptam-
que oſtenderem, tamen fruſtra me hoc facturum
præuenis, cum hæc tanto ſupercilio è ſublimi Ca-

thedra pronuncias. Aio te non alios proferre poſſe, quam hæreticos: idque etiam (vt magis mirere) tuo ipſius iudicio hæreticos. Cur ita vero? quoſcunque enim protulero, aut non omnia docebunt, & affirmabunt, ad fidem & religionem ſpectantia, quæ nos hodie, aut quædam opinionũ portenta docuerunt, quę non ſecus quam vos & Papiſmum aduerſamur, & horremus: Quare etiam meo iudicio hæretici erunt. Sed hanc ego concluſionem pernego. Nec enim meo iudicio hæretici ſunt, quicunque non omnia nobiſcum ac verè ad fidem & religionem ſpectantia docent: nec omnes quos proferre poſſum tanta opinionum portenta quanta fingis docuiſſe probantur. Tibi enim ſine argumento & teſtibus aſſeueranti in his quæ mihi ipſi incognita ſunt, nunquam fidem adhibuero. Soletis vos vt veros doctores in odium apud incautos facilius rapiatis, horrenda opinionum monſtra eis affingere, quæ illi nunquam ne per ſomnium cogitarunt, quod non aliud eſt, quam torrens ille mendaciorum è draconis ore profuſus, quo mulierem in deſertum fugientem abripi poſſe ſperatis. Sed fruſtra terra enim ſuccurrit mulieri, & illa calumniarum portenta exſorbet.

Sed meus Calculus qui à nongentis quidem annis vt tu ais cęperit, à quadringentis tantum præualuiſſe Antichriſtum ponit, vt Eccleſiam in latebras protruderet, & hoc mihi aliquantiſper tantum & breue tempus videtur. Quid ni? ſi ad perpetuam Eccleſiæ durationem referatur. Quãquam ſi duo hinc ſæcula dempſeris, quibus Wicleſus & Bohemi publicè docuerunt, adhuc tẽpus eſt contractius. Hic nihil habes quod opponas, niſi toties emendicatũ, nunquam tamen conceſſum principium, de perpetua luce & ſplendore Eccleſiæ, de qua ſumma eſt controuerſiæ inter nos agitatæ. Quin & iſtum meum calculum vtcunque iuxta Foxij & Pantaleonis rationes initum, longiſſime à vera ratione aberrare dicis, ſi magiſtros meos Wiclefum, Caluinum, Lutherum, Melanchthonem, Magdeburgenſes audire vellem, quorum calculus longe antè à Bonifacio orditur: vt alij à Zozimo, alij à Sylueſtro, alij à Victore, alij deniq; ab ipſis proximis apoſtolorum ſucceſſoribus hanc corruptæ doctrinæ & latitantis Eccleſię lineam ducant. Sed peſſimè vt ſemper concludis, dum Eccleſiam ſine ruga, aut macula quæris in terris, in cuius pulcherrimo corpore ſi næuos adeò faſtidis, vt eam propter labeculas contemnas, indignus es eius qui gremio ſuſcipiaris. Si fundamentum propter ſtructurã ſtramineam non probas, & architectos damnas, qui ſtipulam forte aut lignum ſuper ædificauerint, longe quidẽ à iudicio & ſentẽtia ſpiritus ſãcti aberras. Proinde & mera calũnia eſt, quod latitãtis Eccleſiæ lineã à doctiſſimis ſanctiſſimiſq; Eccleſię luminibus duci prædicas, ab illis tẽporibus, in quibus errores, corruptelas atq; ipſũ porro iniquitatis myſterium deprehenderint. At Chriſtus promiſit Eccleſiæ ſuæ, vt ſpiritus veritatis eam doceret omnem veritatem Ioan. 17. non aliquas veritates multis næuis & ſtipulis falſę doctrinæ contaminatas. Promiſit igitur te interprete, omnibus Eccleſię membris tantam ſpiritus ſancti gratiam, vt nunquam ne in leuiſſimos quidem errores labi poſſint, pro quibus orauit, vt in veritate ſanctificati eſſent. Sed docuit ſpiritus ille veritatis, ſemperq; docebit electos omnem veritatem ad ſalutē cognitu neceſſariam, non illam veritatem næuis aut ſtipulis contaminatam. Impiè enim & fallaciter coniungis quæ à diuerſiſſimis principijs habent originem. A ſpiritu veritatis nihil niſi purum ſanctumq; proficiſcitur: errores, qui in ſanctiſſimis quibuſque reperiuntur, humanæ fragilitati acceptos referre par eſt. Quod nullas Eclipſes, nullas occultationes Eccleſiam paſſuram autumas, quæ à ſpiritu veritatis in æternum ſit edocenda: Auguſtini ſententia tibi apertè reclamat, qui non rarò Eccleſiam lunæ ſimilem profitetur, cui præter menſtruas occultationes, & eas quæ nubibus interpoſitis eueniunt, etiam eclipſes interdum accidunt, pręcipuè verò regnante Antichriſto, ſub aduentum ſeruatoris Chriſti. *Quando inquit Sol obſcurabitur, & Luna non dabit Lumen ſuum, & Eccleſia non apparebit.*

In Pſal. 10.

Heſych. Ep. 78.

Vt verò locum illum apocalypſeos nobis extorqueas, tria mihi abſurda atque ἀσύστατα proponis. Primùm quo ore fateri poſſum breue tempus numeris illis apocalypticis deſignari, cum fugam hanc ad tot ſæcula extendam. Sed ſine cauillo iam obuiam itum eſt, tempus breue in ſcripturis æternitatis reſpectu ſæpe appellari. Secundò quomodo dicam, horum temporum ac dierum circulos mihi incognitos, qui à Bonifacio hanc fugam cæpiſſe definiam, & quingentis poſt annis

Eccleſiam in deſertum receptam fuiſſe? At ego Bonifacium apertè Antichriſtianam tyrannidem inuaſiſſe dixi, neque certum aliquod tempus, initæ fugæ aſſignaui, vtcunq; vix quingentis poſtea annis veram ſalutis doctrinam ex Eccleſijs Europæis exterminare potuiſſe Antichriſtum aſſeruerim. Immo nec hanc ſolam fugam mulieris in deſertum interpretor, ſed quotieſcunque diaboli malitia, aſtu, aut crudelitate tanta in Eccleſiam mota fuerit perſecutio, vt vaſtatis vbiq; locorum fidelium cætibus, extra orbem terrarum pulſa, ad internecionē perducta videretur. Tertiò ſi ad pi-
orum vt aſſerui conſolationem, tempus breue
» deſignatum eſt: profectò inquis in tot ſæculorum
» fuga ac latebris, non conſolatio ſed deceptio pi-
» orum erit hęc prophetia. Bona verba Stapleto-
ne. Quot ſæcula præterijſſe arbitraris, ex quo ſe citò venturum pollicitus eſt Chriſtus ad piorum conſolationem? Certè vltra quindecim iam elapſa ſunt, non tamen pios feſellit clementiſſimus ſeruator, qui breui veniet & non tardabit. Non enim tardus eſt Dominus, vt quidam tarditatem æſtimant. 2.Pet.3. Quin illud potius tibi cogitandum fuit, diem vnum apud Dominum eſſe vt mille annos, & mille annos vt diem vnum. Quod verò promittit Chriſtus abbreuiandos dies propter electos, de clade Hieroſolymorum gentiſq; Iudaicæ intelligendum eſt, quæ tanta illius populi merito futura erat, niſi Dominus proſpexiſſet Eccleſiæ, vt ſimul cum incredulis Iudæis, etiam omnes fideles abriperentur, tanto in Iudæos odio exarſerant Romani. Tu verò ad latebras & fugam ali-

quam Eccleſiæ, niſi fortè in fine ſæculi ſub aduentu Antichriſti, hanc prophetiam ſpectare conſtanter negas. Fortè igitur hęc prophetia ſuo carebit effectu, ſi ante finem ſæculi certò, non implendam eſſe tibi conſtet. In fine autem ſæculi, incertus ſis an ad fugam aliquam Eccleſiæ ſpectare poterit. Si verò fidem prophetiæ non derogas, quin aliquando ſuum ſortitura ſit euentum, quamuis ſub finem ſæculi, vbi ſunt illæ de Eccleſiæ perpetua luce promiſſiones, quas pleno ore vſque ad nauſeam iactitas? Liceat mihi tuam ipſius vocē in te retorquere. *Si enim non niſi conſpicua exiſtit Eccleſia, profectò ſi aliquantiſper non eſt conſpicua, aliquantiſper non exiſtit, id eſt ex mundo perit.* An non hæc tua vox eſt Stapletone? Peribitne tunc ex mundo Eccleſia, quia non erit cōſpicua? Certè vel hoc conſequi neceſſe eſt, vel te vt minimum dicam, hactenus parum acutè diſſeruiſſe. Quod Commentarios Bullingeri, Chytræi, Marlorati, tanto cum faſtu reijcis, & ſanctos Patres, veræ Eccleſiæ lumina, tibi proferri poſtulas: Non ſatis aduertere videris, quem in finem eorum nomina vſurpauerim, non quod te illorum autoritate commotum iri ſperarem, ſed vt manifeſtum facerem, non me primum omnium vt tu cauſabaris, hanc prophetiam ad latentem Eccleſiam à calumnijs vindicandam adaptaſſe. Quin & antiqui omnes, quorum de hoc loco extant commentarij, per mulierem intelligunt Eccleſiam, vt apud Aretham, Andræas & Methodius, Primaſius etiam, Auguſtinus, vel quiſquis veterum illius commentarij auctor eſt, qui ſub eius nomine fertur, &

Victorinus, Vt Haymonem & Rupertum taceam
inferioris notæ ſcriptorȩs.

” Sed male me habere dicis, quod hanc mulieris
” in deſertum fugam in finem ſæculi reijcias: quam
” ſtatim à partu mulieri euenturam, ſpiritus ſanctus
” præmonuit, cum ipſe tamen illam ad Bonifacij
” tempus, imò ad quingentos poſt annos modò reiecerim.
Certe niſi mihi propoſitum eſſet omnino
maledictis abſtinere, quoties & quam latum campum
aperis, in quo libere in te excurrere poſſim,
dum iſta mihi tam audacter affingis. Ego enim
non ſemel, ſed ſæpius hanc prophetiam adimplendam
cenſeo quotieſcunque Diaboli odio ac
ſæuitia, ad latebras quęrendum compulſa fuerit
Eccleſia. Et quidem Ioannes bis fugæ in deſertum
mentionem facit. Ad cętera quę eodem capite
commemorat Ioannes, quæ in tantas temporum
anguſtias quantas vos fingitis ſub finem
ſæculi regnante Antichriſto apud ſanos & ęquos
lectores compelli poſſe, nego. Quereris me nullam
” aſſertionis cauſam adferre, quaſi is eſſem,
” quo afferente ſatis eſſet dicere αὐτὸς ἔφα, Vtcunq;
” enim breuis, grauiſſima tamen erit illa ſanctorum
” perſecutio. Vt ſemper iniquum agis cenſorem,
” cum ego ad ſanos & æquos lectores iudicium detulerim.
Sed quia omnia illa, quæ refert Apoſtolus,
in tam exiguo temporis ſpatio adimpleri perficiq;
poſſe putas, ſaltem reputent mecum cordati
lectores, non vltra tres annos vulgares cum dimidio
à vobis Antichriſto concedi, ad regnum eius
inchoandum, ſtabiliendum, finiendum. Eccleſiam
verò per totum terrarum orbem diſperſam,

tantulo temporis ſpatio vix peragrare per ſe, vel emiſſarios eius valebit Antichriſtus, nedum multo maximam mundi multitudinem fallacibus ſignis, ac Diabolicis aſtutijs ſeducere, ac in ſuas partes pertrahere poterit, vt omnes mundi principes in eius obſequium tam ſubito concedant, vt omnibus terræ hominibus iugum ſeruitutis imponat, vt deniq; Eccleſiam Catholicam in deſertum pellat. Atqui tanto tempore latebit Eccleſia, quantum vos ad ſummum Antichriſti regno deputatis. Quid? ſubito & vno quaſi momento apparebit, omnes gentes ſubiugabit, Eccleſiam vno momento tam grauiter affliget, vt illa in deſertum profugere cogatur? An tum primùm pariet Chriſtum in ſuis mēbris Eccleſia, cum Antichriſtus ſuæ tyrannidis ſolium occupauerit? Saltem, an tum primùm prælio cæleſti ſuperatus Satanas deijcietur in terras, vt Eccleſiā in terris peregrinantem perſequi incipiat? Poſtremò nuſquam comparente Eccleſia, tum primùm ad reliquias ſeminis illius toto orbe protetendas profligandaſq; animum adijciet? Expendant hæc prudenter lectores qui ſunt veritatis ſtudioſi an nullam meæ aſſertionis cauſam comprehendant.

Ad aliam nunc quæſtionem tranſis, annon quærenda ſit tum demum in deſerto Eccleſia, nō prohibente Chriſto, cum ipſe eam per aliquod tem-
pus in deſerto alendam prædixerit. Hîc tu con- «
cedis pelli poſſe in deſertum Eccleſiam, regnan- «
te Antichriſto, & illo momento temporis in de- «
ſerto, id eſt, vt ais in locis abditis, in latibulis, in «
ſpeluncis quo ſancti ſe recipient, non incōmodè «

» quæretur Eccleſia. Accipio libenter, nec enim aliam ſolitudinem in quam propelleretur Eccleſia, initio commentus ſum. Non ſatis appoſite itaque meo argumento ab huius prophetiæ authoritate deſumpto ſatisfactum eſt, cum vetitum omnino Chriſtianis diceres, vt in deſerto quærerent Eccleſiam. Excipis verò illud deſertum non futurum hic, & illic, ſed vbique per omnes gentes per quas Chriſti nomen propagatum eſt, & in quibus Chriſti nomen profligabit quantum poterit Antichriſtus. Et ego prius dixeram, tam late patere deſertum hoc in quod profugerit Eccleſia, quam patet orbis terrarum: vtinam in omnibus pari modo tibi mecum conueniret. Quòd vero, hic & illic, non quoad loca, ſed quoad ſectas & partes interpretaris, mihi quidem parum firmum videtur, tamen quia ſenſum ex iſta interpretatione non alium elicis, quam pium & ſanctum, de hæreſibus ſectiſq; fugiendis, nolo tibi litem intendere. Tantum te diligentius expendere cupio, quam ipſe cauſam reddat Saluator, quare neque in deſerto, neque in ſecretioribus locis quærendus ſit, neque credendum pſeudoprophetis qui hic aut illic Chriſtum demonſtrare profitentur. Quia inquit ſicut fulgur ab oriente egreditur, & apparet vſque ad occidentem, ſic erit aduentus filij hominis: vbi enim erit cadauer illuc congregabuntur æquilæ. Quod Angliam noſtram tam varijs ſectis infamem reddere ſtudes, vide quam hoc parum conueniat ciui, & ne hoſtilem potius animũ in patriam prodat, quam honeſtum illum amorem quem ſolum natale ab omnibus ſuo quodam iure poſtulat. Quin & hoc deterius, quod crimina fingis quæ nullo modo probare poteris. Nam pręter Caluiniſtas, (ſic enim odioſe vocas publicam totius illuſtriſſimi regni Eccleſiam) puritanos cum ſuis ſeorſim collocas. Fuerunt quidem, vt nihil diſſimulem, qui præpoſtero Eccleſiæ à fæcibus Papiſticis reformandæ zelo ſeducti à communione Eccleſiæ ſeſe ſegregauerant. At nunc diuinæ bonitati gratias agimus, omnes illi vel ad Eccleſiam redierunt vel exulant apud Belgas. Pernicioſiſſima ſecta eorum qui familia amoris dicuntur, vt primum detecta fuit, omnibus modis oppugnata eſt, & ſi non omnes eius farinæ homines ad ſaniorem mentem reducti ſint, ſaltem nullus ex illa fæce deprehenſus eſt, quin aut carceribus & vinculis coerceatur, vel nefariam illam doctrinam H. N. publice eiurauerit. Talis eſt autem illa doctrina, vt multo ſimilior ſit papiſticæ, quam Euangelicæ, & multo melius illis conueniat cum papiſtis, quam cum Euangelij profeſſoribus. Vnde enim teterrima illa proluuies dimanauit, niſi ex colonia Agrippina? Vbi radices altius fixit quam apud Batauos & Belgas, etiam antea quam liber religionis vſus quibuſlibet conceſſus eſſet. Sed præter iſtos ſeorſim introducis cum hijs ſuper illuminatos, nouos etiam Iudęos, Anabaptiſtas nouos Arrianos, & hijs deteriores, qui ſi non ijdem ſunt omnes cum Nicolaitis illis prioribus, tui cerebri figmenta ſunt, non patrię noſtræ dedecora. Quin etiam inde nobis inuidiam conflare vis, quod de blaſphemo quodam ac phanatico nebulone qui omnem Chriſtianam religionē quæretur Eccleſia. Accipio libenter, nec enim aliam ſolitudinem in quam propelleretur Eccleſia, initio commentus ſum. Non ſatis appoſite itaque meo argumento ab huius prophetiæ authoritate deſumpto ſatisfactum eſt, cum vetitum omnino Chriſtianis diceres, vt in deſerto quærerent Eccleſiam. Excipis verò illud deſertum non futurum hic, & illic, ſed vbique per omnes gentes per quas Chriſti nomen propagatum eſt, & in quibus Chriſti nomen profligabit quantum poterit Antichriſtus. Et ego prius dixeram, tam late patere deſertum hoc in quod profugerit Eccleſia, quam patet orbis terrarum: vtinam in omnibus pari modo tibi mecum conueniret. Quòd vero, hic & illic, non quoad loca, ſed quoad ſectas & partes interpretaris, mihi quidem parum firmum videtur, tamen quia ſenſum ex iſta interpretatione non alium elicis, quam pium & ſanctum, de hæreſibus ſectiſq; fugiendis, nolo tibi litem intendere. Tantum te diligentius expendere cupio, quam ipſe cauſam reddat Saluator, quare neque in deſerto, neque in ſecretioribus locis quærendus ſit, neque credendum pſeudoprophetis qui hic aut illic Chriſtum demonſtrare profitentur. Quia inquit ſicut fulgur ab oriente egreditur, & apparet vſque ad occidentem, ſic erit aduentus filij hominis: vbi enim erit cadauer illuc congregabuntur æquilæ. Quod Angliam noſtram tam varijs ſectis infamem reddere ſtudes, vide quam hoc parum conueniat ciui, & ne hoſtilem potius animũ in patriam prodat, quam honeſtum illum amorem quem ſolum natale ab omnibus ſuo quodam iure poſtulat. Quin & hoc deterius, quod crimina fingis quæ nullo modo probare poteris. Nam pręter Caluiniſtas, (ſic enim odioſe vocas publicam totius illuſtriſſimi regni Eccleſiam) puritanos cum ſuis ſeorſim collocas Fuerunt quidem, vt nihil diſſimulem, qui præpoſtero Eccleſiæ à fæcibus Papiſticis reformandæ zelo ſeducti à communione Eccleſiæ ſeſe ſegregauerant. At nunc diuinæ bonitati gratias agimus, omnes illi vel ad Eccleſiam redierunt vel exulant apud Belgas. Pernicioſiſſima ſecta eorum qui familia amoris dicuntur, vt primum detecta fuit, omnibus modis oppugnata eſt, & ſi non omnes eius farinæ homines ad ſaniorem mentem reducti ſint, ſaltem nullus ex illa fæce deprehenſus eſt, quin aut carceribus & vinculis coerceatur, vel nefariam illam doctrinam H. N. publice eiurauerit. Talis eſt autem illa doctrina, vt multo ſimilior ſit papiſticæ, quam Euangelicæ, & multo melius illis conueniat cum papiſtis, quam cum Euangelij profeſſoribus. Vnde enim teterrima illa proluuies dimanauit, niſi ex colonia Agrippina ? Vbi radices altius fixit quam apud Batauos & Belgas, etiam antea quam liber religionis vſus quibuſlibet conceſſus eſſet. Sed præter iſtos ſeorſim introducis cum hijs ſuper illuminatos, nouos etiam Iudęos, Anabaptiſtas nouos Arrianos, & hijs deteriores, qui ſi non ijdem ſunt omnes cum Nicolaitis illis prioribus, tui cerebri figmenta ſunt, non patrię noſtræ dedecora. Quin etiam inde nobis inuidiam conflare vis, quod de blaſphemo quodam ac phanatico nebulone qui omnem Chriſtianam religionē penitus auerſabatur, ſupplicium Nordouici in Anglia ſumptum ſit, qui etiam non modicam (vt tu aſſeris) poſt ſe impietatis ſuę ſectam reliquerit. Ah, quando tandem calumniarum aduerſus Eccleſiam Chriſti confictarum te pœnitebit? Saltem tam multis tamque mendacibus ſatiari te oportuit. Vnus omnium poſt annos viginti repertus eſt Mathæus ille, cum non reſipiſceret flammis adiudicatus eſt, qui ſceleratā illius apoſtaſiam imitaretur adhuc repertus eſt nemo. Et tu tamen non modicam eiuſdem impietatis ſectam relictā quereris. Saltem vel vnum indica, vel te turpiſſimi mendacij reum coram Deo & hominibus agnoſcito. Quod omnes ſectas, cum Catholica Eccleſia (niſi ad Antichriſti caſtra tranſierint) deſerta loca petituras, regnante Antichriſto prędicis: tu videris vnde illam prophetiam hauſeris: mihi ſatis eſt, quod concedis, in deſerto quoad loca, ad breue momentum latitare Eccleſiam potuiſſe.

Quanquam quod altera manu das, altera re-
» petere videris, cum non certo conſtare dicis de
» Eccleſia loquatur Ioannes necne: & ſi loquatur,
» de quo tempore, & ſtatu loquatur adhuc magis
» incertum eſſe. Quod de Eccleſia loquatur prophetia, quæ mulierem in deſertum fugientem deſcribit, ſi tot patrum antiquorum teſtimonijs quos citaui, non fidis, tamen à tuis Rhemenſibus opinione disiungi nolito, qui ſuis in hunc locum annotationibus, quod Ioannes de muliere loquitur *proprie & principaliter de Eccleſia dictum eſſe*, conſtanter aſſerunt. Quod vero de ſtatu Eccleſię perſecutionibus à Satanæ excitatis obnoxiæ loqui-

tur, clarius eſt ex verbis Ioannis, quam vt dubitari poſſit. *Et cum vidiſſet draco quod in terram eiectus eſſet, perſecutus eſt mulierem quæ maſculum pepererat.* Reſtat controuerſia de tempore, quod ego non ſemel contigiſſe arbitror, neque bis tantum, vt tu in exordio propagationis, & in fine ſub Antichriſto, ſed quoties Diaboli malitia tam graues perſecutiones motæ fuerunt, vt pij omnes qui perſecutorum cruentas manus euaſerunt latebras quærere coacti eſſent, pręcipue vero fateor ad Antichriſti furorem, fugam illam ſpectare. Non igitur an latitura ſit aliquando Eccleſia, quod vtriq; aliquando futurum fuiſſe concedimus, ſed an iam venerit Antichriſtus inquirendum fuit. Nulla enim hîc tanta eſt in hac prophetia obſcuritas, vt quaſi ex ea nihil certi elicere poſſimus, eam miſſam facere oporteat. Quod ſæpius ingeris, de apertiſſimis prędictionibus propheticis, & promiſſionibus Euangelicis, de Eccleſia Chriſti, in perpetua luce ac ſplendore duratura, quę in hoc opere ſtudioſè produxeris, id totum vanum eſt. Nihil enim huiuſmodi producere poteſtis, vnde hoc, quod de aſpectabili ſemper Eccleſiæ forma in toto ſuo curſu conſpicua aſſeris, legittima diſputandi ratione concludere valeas. Nam de ſpirituali gloria, quam dixi fore in Eccleſia perpetuo illuſtrem cõtemnis. Si ἀπόδειξιν veram ſemel meditatus fueris, experiere quod dixi eſſe veriſſimum. Quare liberam hanc & excurſoriam diſſerendi rationem omitte, preſſius & ſubtilius analyſim librorum tuorum ſyllogiſticis anguſtijs coarctatam omitte. Profer in lucem quæ copioſę orationis latebris inuoluta iacent, hoc & factu facillimũ, & vtiliſſimum cauſæ, & tua profeſſione digniſſimum, ſi à tuis partibus veritatem ſtare tibi perſuaſum erit. Tantum enim abeſt vt aperta faſtidiamus, obſcuris delectemur, quod crimen nobis iniquè impingis vt nihil ſuſcipi velimus, quod non apertiſſimè ex ſacræ ſcripturæ oraculis ſyllogiſmo apodictico cõcludi, ac conuinci poterit. Quod disertè profiteor, *nos Chriſtum in cælo tantum quærere, at corpus eius id eſt peregrinantem in terris Eccleſiam nonnunquam in locis abditis, carceribus, fodinis, &c.* accuſas me quaſi caput à corpore diuellere coner, ac ſi caput ſuo corpori non dixiſſet: Ego vobiſcum ſum omnibus diebus. Sed in promptu eſt ſolutio, Chriſtus corpore tantum in cęlo eſt, iuxta illud Petri, quem oportet cælo capi δεχθῆναι vt locum interpretatur Nazianzenus: at ſpiritu nunquam diſiunctus eſt ab Eccleſia, ſéque in deſerto quærendum negat Chriſtus, hic [illegible] illic iuxta corporis modum, glorioſum aduentum ipſius fore promittens inſtar fulguris ab oriente vſq; ad occidentem ſubito cum maximo ſplendore comparentis, quod ſiue de ſpirituali eius pręſentia in Euangelij propagatione, ſiue de vltimo aduentu in iudicium intelligimus, de corporali eius in terris pręſentia quam futuram negat, illud de Chriſto in deſerto non quærendo exponendum indicat.

Act. 3.

Hom. de filio.

Addo poſtremo *me vnius obſcuræ prophetiæ prætextu ad obſcuram Eccleſiam quærendam abductus videar prædictam ab Apoſtolo à Chriſto ad Antichriſtum apoſtaſiam*. Sed hunc locum de diſceſſione primum, deinde de reuelatione hominis peccati obſcuriſſimum eſſe ais, non quoad perſonam Antichriſti, ſed quoad ſpeciem illam diſceſſionis, & reliqua quæ ſequuntur. Quæ omnia Auguſtinus aut ſe prorſus ignorare fatetur quid fuit, aut multum in illis ſudando nihil certi inuenire. Primum de diſceſſionis ſpecie Auguſtinus nihil dubitat, imo nec diſceſſionis aut apoſtaſiæ vocem habet, ſed legit corruptè pro ἀποστασία refuga. Deinde iniquum eſt ſi cætera quæ ſequuntur de myſterio iniquitatis, de reuelatione hominis peccati, de eo qui tenet &c. Auguſtino obſcura videantur, vt ſunt quædam fateor non vſque adeo aperta, idcirco apoſtaſiam quam fore prædicit Apoſtolus, antè aduentum Chriſti notam certiſſimam, adeò eſſe obſcuram vt nihil certi aut explicati ex ea colligere fideles poſſint. Quanquam enim nonnulli ex veteribus diſceſſionem ab imperio Romano interpretentur, multo tamen congruentius eſt, vt à Chriſto ad Antichriſtum apoſtaſiam fore maximam pronunciet Apoſtolus. Et apoſtaſiam à fide apertè docet 1. Tim. 4. Baſilius certè non ſemel hanc apoſtaſiam ab hæreticis cæptam ad Antichriſti reuelationem pertinere exiſtimat. Theodoretus ſuſpicatur ipſum Antichriſtum defectionem vocatum, a re ipſa ei nomine impoſito, conatur enim a veritate abducere & efficere vt deficiant.

Ep. 70. & 71.

Occumenius Theodoretum ſecutus: defectionem dicit ipſum Antichriſtum, quod multos ſeparaturus eſſet à Chriſto. Aut apoſtaſiam ſiue defectionem ipſam, ait, à Deo ſeparationem. Beda ex Au-

Auguſtino,refugam à Domino Deo vocat Antichriſtum,vnde ſi apoſtaſiam aut defectionem legiſſet,eam à Domino Deo ad Antichriſtum interpretaturus fuiſſe videtur. Primaſius diſceſſionem defectionem veritatis appellat. Theophylactus defectionem appellari ipſum Antichriſtum dicit,eo quod multos faciet deficere, etiam electos ſi fieri poſſet. An verò totius orbis apoſtaſiam,doceat ille locus Apoſtoli me Nicolai Sanderi librum 8. de viſibili Monarchia,conſulere ſuades. Sed nihil opus eſt,non enim totius orbis, ſed maximæ partis hominum à vera fide ad impoſturas Antichriſti,defectionem intelligimus,quod & altera illa prophetia de beſtia,quam omnes gentes,tribus,& linguæ adoraturæ ſunt Apo. 13. & illa etiam Apoc. 18. de magna meretrice Babylone, de furioſo cuius fornicationis vino,omnes gentes hauſturæ ſunt,nec tamen deficient omnes ſancti, quorum patientiæ & fidei exercendæ locus erit, ſub illa teterrima beſtia. Et licet mulier ad ebrietatem vſq;, ſe ſanctorum Ieſu Martyrum ſanguine ingurgitauerit, ſupererunt tamen quibus caſus eius prædicabitur,quique ex ea exire, voce ange-
„ lica admoneantur. Attamen nihil eſt in Apoca-
„ lypſi non obſcurũ,cum de ea grauiter & verè ſcri-
„ pſerit Hieronymus: Tot habet apocalypſis ſacra-
„ menta quot verba. Sed memineris hoc magnæ meretricis ſacramentum non vſque adeo abſtruſum atque abſconditum Hieronymo fuiſſe, quin ipſum ſæpius de Romana ciuitate explicare non dubitauerit. *Cum* inquit *in Babylone verſarer & purpuratæ meretricis eſſem colonus & iure Quiritum viuerem.*

Pręfatione ad Paulinum.

viuerem. Item *ſecundum apocalypſim Ioannis in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt Romæ æternæ.* Quin etiam, *vrbem Romanam (ait) in apocalypſi Ioannis, Babylonem ſpecialiter appellari:* Ipſe etiam Auguſtinus, qui quæ ſit illa beſtia diligentius inquirendum monet, abſque vlla tamen hæſitatione, per meretricem Babylonicam, Romanam ciuitatem deſignari aſſeuerat. Romam itaque appellat nunc alteram in occidente Babylonem, nunc ſecundam Babylonem, nunc alteram Babylonem & prioris Babylonis filiam, ſicut & orientalem Babyloniam primam Romam appellitat. Hijs adijciamus quod Tertullianus contra Marcionem ſcibens ait: Babylonem apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figuram portare, perinde & magnę, & regno ſuperbæ & ſanctorum debellatricis. Denique vix vllus eſt interpretum, qui ad Romanam vrbem non accommodat, quæ de Babylonica meretrice à Ioanne myſtice deſcribuntur. Et ſi omnes refragarentur tamen clariora ſunt illius prophetiæ ſigna, eam ad vrbem Romanam ſpectare, quam vt de interpretatione eius, ambigi poſſit. Nam vt ſepticollem ciuitatem taceam, quæ pueris etiam Roma eſſe agnoſcitur: cum Angelus interpretetur mulierem, ciuitatem eſſe, quæ eodem tempore imperium haberet in reges terræ, nihil clarius aut apertius de Romana ciuitate dici potuit, vt quæ ſola ea ætate omnium orbis terrarum ciuitatum, imperium in reges terræ exerceret. Quam verò hæc ad Romanam Eccleſiam nihil pertinere Sanderus veſter ſatis accuratè vt ais demonſtrauerit, vel vnico argumento

Alg. 9. 11.

In Eſa. lib. 13. cap. 4.

De ciuit. lib. 16. cap. 17.

Lib. 18. cap. 2. & cap. 22.

Lib. 3.

gumento palam fiet. Antichriſtum Romæ ſedem habiturum hic locus apertè docet, at non alibi quam in templo Dei, hoc eſt Eccleſia, ſeſſurum ex omnium penè veterum conſenſu, antea oſtendimus, ad Romanam itaq; Eccleſiam hæc prophetia quam maximè pertineat neceſſe eſt. Arrodis tu quidem quod ſcripſeram, *neminem niſi nobilis huius ſcorti meretricio amore captum atque obcæcatum, dicturum has prophetias obſcuras, quæque in multos probabiles ſenſus trahi poterunt.* meque ire iubes & Auguſtinum ac Hieronymum huius ſcorti amaſios, atque mancipia pronunciare, cum vterque tamen alteram de Romana ciuitate, abſque vlla obſcuritatis mentione exponendam ſtatuat. Quin & alijs, vt Theodoreto, Chryſoſtomo, Ambroſio &c. eandem turpitudinis notam inurere me vis, qui ſenſum Apoſtoli 2. Theſſal. 2. coniectura magis quam certa aſſeueratione eruunt. Hoc quam verum ſit prius oſtendimus, ſed licet eſſet veriſſimũ, mea verba non ſunt de veteribus, quibus eo obſcurior viſa erat prophetia, quod de futuris diuinandum erat, ſed de noſtri ſæculi hominibus, quibus aperiendi ſunt oculi, vt quæ futura prædixit ſpiritus ſanctus, cernant præſentia, quas rei exitus iam ſatis docere poteſt, non alij quam Romano pontifici conuenire, quę vel hic ab Apoſtolo, vel in apocalypſi. cap. 17. & 18. de Antichriſto, ſpiritu prophetico prodita ſunt. Quod autem ex Apoſtolo adfero 1. Tim. 4. de futuris qui à fide deſiciant, eſſe quidẽ illud ſatis manifeſte dictum concedis, ſed futuros in Eccleſia per varias ætates & loca hęreticos nõ totius Eccleſiæ, aut orbis apoſtaſiam

Aug. 2. d.

In Eſaiam 19. cap. 4.

De ciuit. lib. 18. cap. 2.
Lib. 18. cap. 4. & cap. 12.

Lib. 3.

ſtaſiã ab Apoſtolo prædici, vt ego cum Donatiſtis concludo. At quoties dicendum eſt me nunquam totius Eccleſiæ defectionem à Chriſto ſtatuiſſe, ſed maximę partis eorum, qui oblatæ veritatis dilectionem non ſuſceperunt vt ſalui fierent: Deinde hæreticos per varias ætates in quibus illæ notæ fortè deprehenſæ fuerunt comprehendi illa Pauli deſcriptione nunquam negauerim: Ita tamen, vt principem locum obtineant Antichriſtiani Romanenſes, in quibus ſunt manifeſtiora illa talis prohibitionis matrimonij & ciborum ſigna, quàm in vlla alia hæreticorum ſecta. Cum Donatiſtis autem, totius orbis terrarum apoſtaſiam, ita vt nulli vſquam reſtarent fideles, nunquam concluſi, vt tu me calumnia oneras. Sed de Apoſtaſia, & defectione à fide, non aliter quàm ipſe Auguſtinus, loco à te citato ſentio in his verbis, quibus Donatiſtarum illud delirium retundit. *Item dicunt de apoſtaſia orbis terrarum dictum eſſe, quod ait Dominus: filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? quod nos intelligimus dictum vel propter ipſam fidei perfectionem quæ ita difficilis eſt in hominibus, vt in ipſis quoque admirabilis ſanctis, ſicut in ipſo Moyſe inueniatur aliquid vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua ſatis diximus.* Sed impudenter mentiri me, inquis, qui Stapletonum conſtanter aſſerere dixerim in ſolis Manichæis hanc prophetiã locum habere, quod tu nuſquam vel dixeris, ſcripſeris, vel ſenſeris. Quęris itaque vbi vel legerim, vel audiuerim, vel animaduerterim, te hoc aſſerere? Quid ſi ſic tibi reſpondeam, de

De vnit. Eccleſ. cap. 12. & 13.

de ſolis Manichæis te aſſerere, quod de alijs hæreticis pręterquam Manichæis te aſſerere non legerim. Vtcunque enim nunc neges ſolis Manichæis eſſe peculiarem hanc prophetiam, at de nullis alijs niſi Manichæis, hoc eſt de ſolis Manichęis ante hoc ſcriptum euulgatum à te expoſitam fuiſſe legimus. Non mentiti ſumus itaque, ô bone vir, qui aſſerere te in ſolis Manichæis locum habere hanc prophetiam ſcripſimus. Sed quid ſi peculiarem Manichęis dixeris? aut ſaltem ineptè à vobis ad Manichæos illam prędictionem relegaueris, niſi in ſolis Manichæis locum haberet. Sic enim in propugnaculo tuo fidei papiſticæ part. prim. cap. 11. huic accuſationi reſpondes; *Vt breuiter reſpondeam, aio hoc dictum Apoſtoli, adimpletum fuiſſe in Manichæis ſupra duodecim ab hinc ſæculis, abſtinentibus à quibuſdam cibis vt immundis & pollutis.* Hic ſi ſolos Manichæos non intelligis, ridiculè in illis adimpletum reſpondes, quod & in alijs & in vobis ipſis adimpleri poteſt. Si te offendit quod conſtanter te aſſerere dixerim, cum in eo forſan tibi non conſtes, peccatum fateor. Sed in Manichæis potiſſimum locum habere hanc prophetiam, & Stapletonus, & Auguſtinus conſtanter aſſerunt. Nos verò Manichæis, tanquam membris quibuſdam in myſterio iniquitatis Antichriſto deſeruientibus, eam aliquo modò conuenire poſſe non inficiamur. ſed potiſſimum in papiſtis locum habere non dubitamus, & potius quam in Manichęis, aut id genus hæreticis. Quotquot enim nuptias, ciboſq; quibus abſtinebant à malo Deo fuiſſe, vel per ſe immunda extitiſſe docuerunt. Non mendacium in hypocriſi loquebantur, ſed apertas blaſphemias in contumeliam creatoris omnium Dei euomebant, vt ipſe fatetur Auguſtinus loco à te citato: Vos autem ſub prætexu corporis edomandi, non abſtinetis ſolum à coniugio cibiſq́;, ſed abſtinere iubetis. Hoc Eccleſia Catholica Auguſtini ſæculo nunquam admiſit, vt ipſe teſtis eſt *qui non ſolùm à carnibus, ſed à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinere ſcribit, vel ſemper, vt pauciores, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes, quanto magis quiſque, vel minus, ſeu voluerit, ſeu potuerit.* Vos autem leges abſtinendi à carnibus quibuſdam ſemper, omnibus verò certis diebus atque temporibus imponitis, laqueoſq́; conſcientijs inijcitis. Prohibet nubere (ait Auguſtinus) qui hoc malum eſſe dicit, vos autem prophanari ſacri miniſterij dignitatem honeſto coniugio docetis, omneſq́ue coniugatos à ſacris ordinibus arcetis, tanquam impuros, nec dignos qui ſacra tractent, mendacium in hypocriſi loquentes, cum ſpiritus ſanctus vnius vxoris virum ab Epiſcopi aut presbyteri officio non repellat, vos ſanctiores ſcilicet, duriores cœlibatus vouendi conditiones ab ordinandis exigitis: in vobis igitur potius quàm in Manichæis locum habet hæc prophetia. Tu itaque ad maledicendum promptus, quod mihi impingis, qui me planè mutum ad probandum quod dico calumniaris. Quæ ad finem vſque capitis de promiſſionibus legalibus, propheticis, euangelicis toties inculcatis crepas, vt perpetuam Eccleſiæ lucem & ſplendorem omnium hominum oculis cōſpicuum

Contra Fauſt. Manich. lib. 30. cap. 5. & 6.

conſpicuum tuearis, in fumos abibunt omnia, niſi iſtam concluſionẽ neceſſarijs ſyllogiſmorũ nexibus cum illis tam illuſtribus promiſſionibus cohærere, quod hactenus non feciſti apertè demonſtraueris. Quæ enim Auguſtinus recenſet vel ad perpetuam Eccleſiæ durationem, vel ad eius in omnes terræ partes propagationem manifeſtè pertinent, ad iſtam verò quam iactas ſemper aſpectabilem omnibus, non pijs modò, ſed impijs etiam Eccleſiæ Catholicæ faciem nunquam niſi inuita prorſus, atque reluctantia trahi abs te poterunt.

DEFENSIO LATITANtis in deſerto Proteſtan*tum Eccleſiæ, refutata.*

CAPVT III.

Stapletonus.

DONATISTARVM *crimẽ, qui in ſola Africa Eccleſiam ponebant, & ſecundum exordium reparatæ Eccleſiæ poſuerunt, tibi à me rectiſſimè obiectum, qui in deſerto Eccleſiam ponis, & ſecunda etiam exordia illuceſcentis hodie Euangelij demonſtras, hoc fuco ac nomine à te repellis, quòd* deſertum illud tuum, in quod profugiſſe Eccleſiam ſacram Prophetiam teſtari *dicis*, tam latè patet quàm orbis terrarum. “ Fuit igitur Eccleſia toto orbe diffuſa etiam tum “ cum in ſolitudinem pulſa draconis ſæuitia ad “ tempus à Deo definitum ipſius patrocinio tuta “ lateret. *Iſta quidem à te perfricta fronte aſſeruntur, ſed iſta à te nulla ratione oſtenduntur. Oſtendere autem debes non tantum dicere, Deſertum hoc tuum tam latè patere quàm orbem terrarum, id eſt Eccleſiam veſtram ſic in deſerto latuiſſe, vt tamen totum orbem terrarum latens occupauerit atq; repleuerit.*

Deſertum Proteſtantum toto orbe non patuit.

Hoc tu G.F. oſtendere diligentiſſimè debebas, ſi tibi in re tanta, ab aliis quam ab amicis & ſodalibus tuis, credi volebas. Si enim hęc latitans in deſerto Eccleſia, tibi tamen tanquam electo & ſpirituali viro conſpicua fuit, idque adeo toto orbe terrarum, oſtendere eam, & manifeſtare aliis debebas, qui non tam lyncei ſunt vt has latebras inueniant vel tenebras videant. Sed repeto quod ſuperius dixi. Profer quando voles latitantes toto orbe electos tuos: non alios proferes quàm etiam tuo ipſius iudicio hæreticos.

Sed vide quàm tu hoc loco Donatiſtis impudentior es. Illi in Africa quidem ſola, & in paucis Montenſibus Romæ, ſuam quam vocabant Eccleſiam ponebant. Sed id quod res erat, dicebant. Habebant enim in Africa ducentos ſeptuaginta ſectæ ſuæ Epiſcopos, vt ex collatione Carthaginenſi conſtat apud Auguſtinum. Habebant quoque quandam ſucceſſionem in ſpeluncis circa Romam Montenſes Donatiſtę, quam commemorat Optatus lib. 1. & 2. Tu autem G. F. qui toto orbe terrarum latitaſſe tuos maiores dicis, nullam tamen ante Lutherum ſectæ tuæ ſucceſſionem proferre potes.

Proteſtãtes Donatiſtis impudentiores.

In breuiculo collat. diei 1.

Iam verò, vt retorſione criminum tuam probes innocen-

„ *centiam quam recta ratione probare non poſſes, ais.* Sed
„ vos, vos inquam Papiſtæ in eadẽ cauſa eſtis cum
„ Donatiſtis, qui de cæteris quidem gentibus Ec-
„ cleſiam Chriſti iam multis abhinc ſæculis in ſola
„ Europæ parte, vt illi in Africa demonſtratis cæ-
„ teros omnes ab ea reſecando qui Romanæ Ec-
„ cleſiæ non parent. *Quod autem obijcis multipliciter
falſum eſt. Primùm enim non à multis ſæculis Græco-
rum ſchiſma ſeu Orientalium Eccleſiarum ab Occiden-
talibus diuiſio penitus inualuit (quam rem perſtringere
videris dum Eccleſiam Romanam in ſola Europæ parte
à nobis poni aſſeueras) ſed quum antè annos circiter ſep-*

De ſchiſmate Græcorum.

*tingentos cæpiſſet quidem illud ſchiſma, Photio Patri-
archa Conſtantinopolitano intruſo, hæreſim illam con-
tra proceſſionem ſpiritus Sancti publicè defendere, (quã
tamen etiam poſtea retractauit) cuius hæreſis defenſio
præcipua ſchiſmatis illius cauſa erat, vt in Concilio
Florentino ſeſſ 2. ipſi Grȩci affirmarunt, tamen & 60.
annis poſt vſque ad Chriſtopherum Papam cum Roma-
na Eccleſia Græci conuenerunt, vt Nilus author Græ-
cus affirmat, & trecentis annis poſt in Concilio Latera-
nenſi ſub Innocentio 3. Græci Patriarchæ, Hieroſoly-
mitanus & Conſtantinopolitanus, cum alijs Epiſcopis
Græcis & cum legato Grȩci Imperatoris contra errores
Abbatis Ioachim, ipſamque Berengarij hæreſim vnani-
miter cum Latina Eccleſia conuenerunt; & præterea*
3. *ſeptuaginta pòſt annis iterum Lugduni ſub Gregorio 10.
cum Græcis Latini conuenerunt, & in multis articulis
conſenſerunt, vt tuus Pantaleon in Chronologia ſua ex*
Hiſt. lib. 5. *Sabellico notauit; certius autem referunt Nicephorus
Gregoras & Pachymeres Græci: & denique in Conci-*
4. *lio Florentino, ſub Eugenio 4. ante annos 140. prorſus*

&

& per omnia cum Latinis Græci conuenerunt, ipſo Imperatore Græco Ioanne Paleologo, & Ioſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, multiſque aliis Gręcis Epiſcopis præſentibus; conſenſuq; vnanimi vnionem fecerunt, ſolo Marco Epheſio excepto, qui domum rediens renouandi tam fœdi ſchiſmatis author fuit, in cuius vindictam Deus vniuerſam Græciam in manus Turcæ Mahometani paucis poſt annis dedit. Non igitur propter Orientalium ſchiſma antè annos tam paucos confirmatum, & per tredecim vniones (vt notauit Trithemius,) ſubinde ac identidem reparatum, à multis ſæculis, vt tu falſo affirmas, in ſola Europæ parte Eccleſiam ponimus. His accedit quod & in eodem Concilio Florentino, antè annos tam paucos Armeni & Indi (qui vtique extra Europam ſunt) per legatos ſuos vnionem cum Romana Eccleſia redintegrarunt; quam etiam nouiſſimè in Concilio Tridentino Abdiiſu Patriarcha Aſſyrius profeſſione fidei ſuæ ad Concilium miſſa, publicè ſuorum omnium nomine profeſſus & conſtanter retinere pollicitus eſt. Deinde quam latè extra Europæ fines, in latiſſimis non ſolùm totius Americæ ſeu noui orbis, ſed etiam totius Orientalis Indiæ ampliſſimis gentibus, etiam vſque ad latiſſimos & remotiſſimos Sinorum populos, atque adeo in inſulis Iapanicis adhuc magis diſſitis & remotis, Romanæ Eccleſiæ communio & primatus etiam hodie ſe extendat, alibi in hoc opere commemorauimus. Vnde iterum alia ex parte falſa deprehenditur hæc tua cauillatio. Quam autem ipſemet vocas Europæ partem, quot regna populos ac gentes vel illa ſola complectatur, in hoc etiam opere recenſuimus, vt propterea etiam hoc nomine nihil ſimile cum Donatiſtis noſtra cauſa haberet, ſi in illa ſola (vt tu dicis) Eccleſiam poneremus. Gentes enim

In Chronico Monaſt. Hirſang.

5.

Surius an. 62.

Lib. 3. cap. 5. & Lib. 4. cap. 7.

Ibidem.

ac nationes multò plures & ampliores hæc ſola Europæ pars complectitur, quàm diſperſio illa Donatiſtarum, ſiue in Africa, ſiue extra eam, complexa eſt.

Catholicæ eccleſiæ communio etiam hodie eſt totius orbis communio.

Sed (quod caput totius rei eſt) nos Catholici nec in Europa, nec in Africa, ſed in omnibus gentibus & in communione totius orbis terrarum, Eccleſiam Chriſti ponimus: eò quòd non huius tantum temporis ac ætatis, ſed omnium temporum atque ætatum Eccleſiam à primo ſuo exordio quo cœpit ex Hieruſalem, tenemus. Nam ideo fit vt omnium gentium communionem, quas vel olim occupauit vel hodie occupat Eccleſia Chriſti; noſtra Eccleſia complectatur. Et propterea etſi verum eſſet nunc & hodie in ſola Europæ parte Eccleſiam diffundi cuius communionem tenemus, quia reliquas gentes vel paganiſmus vel hæreſis obtineret, tamen quia omnium gentium per quas olim Eccleſia Chriſti diffuſa erat communione iungimur, noſtra Eccleſia & noſtra communio non in ſola Europæ parte ſed in omnibus gentibus rectè conſtituta dicitur. Et hanc cauſam Eccleſiæ Catholicæ adeoque Romanæ per omnes gentes diffuſę alibi quoque in hoc opere explicuimus.

Lib.2.cap.5.
Lib.4.cap.19.

Quæ tamen omnia G.F. ac ſi nuſquam vel à me vel ab alio Catholico ſcriptore ſcripta eſſent, in vniuerſum diſſimulas Scilicet nihil ad te pertinere arbitrabare, quæ in toto hoc opere de vera Eccleſia & eius ampliſſima authoritate diſputaui, niſi hæc duo capita lib. 4. in quibus tuas cauillationes dilueram. Ita quod tuam perſonam perſtringit, id demum ad te pertinet. Quod autem communi cauſæ deſeruit, te nihil tangit. Bene ſe habet, quod hac in parte manifeſtum nobis feceris te magis tuo ſtomacho indulgére & honori conſulere, quàm cauſæ fidei & religionis orthodoxæ in hac tua ſcriptione ſubſeruire voluiſſe,

voluiſſe.

Addis porro vt tuum ſchiſma magis purges, alteram
criminis retorſionem, qua tamen (vt natura dictat) innocentia “
non probatur. Quod nos (*inquis*) à Wittenberga “
Saxoniæ quaſi Donatiſtas à Carthagine, “
non ab Hieruſalem initium ſumpſiſſe impudentiſſimè “
aſſeueras, tam falſum eſt quàm vos ad Romam “
ipſius Antichriſti omnium veterum conſenſu “
ſedem veſtræ impietatis originem referre verum “
eſt. Vbi contra Chriſtum non Epiſcopum ſed “
apoſtatam Antichriſtum in ſolio locauiſtis. *In* “
his paucis verbis vide obſecro quàm multa abſurda &
vana dixeris: Si ego impudenter aſſeuero veſtrā Eccleſiam 1.
ab Wittenberga initium cœpiſſe, age, oſtende aliud
initium; & ab illo initio perpetua ſerie & temporum
ſucceſſione decurrendo, veſtræ Eccleſię paſtores & Epiſcopos
(ſine quibus nulla ſubſtitit Eccleſia) demonſtra.
Vide an non hoc multò impudentius à te ſit factum, rem 2.
tantam, tam claram, & manifeſtam tibi obiectam negare,
& nullam negationis tuæ cauſam proferre. A Luthero
qui Wittenbergæ ſua dogmata primò promulgauit, Sleidanus Ca-
veſtram ſectam & ſocietatem cœpiſſe, ipſimet veſtri rion. Henric.
hiſtorici & ſodales ſcripſerunt: eſtque res toti orbi notiſſima. Pantaleon.
Simili planè impudentia, omnium veterum conſenſu 3.
Romam Antichriſti ſedem eſſe, ſcripſiſti; nec tamen
vnum veterem qui hoc dixerit protuliſti. Quid? An
tibi vt Euangeliſtæ dicenti tantum credi poſtulas? Illud 4.
verò etiam blaſphemè, non impudenter tantum, abs te
adiectum eſt, nos Romæ apoſtatam Antichriſtum in ſolio
locauiſſe. Chriſtus Dominus Petro claues regni cœlorum Matth. 16.
dedit, & Petro dixit, Paſce oues meas: *ac denique* Ioan. 21.
eundem Petrum ne alibi quàm in vrbe Roma

Ibidem. Egeſyppus Lib.3.cap.2.

morte ſua Chriſtum glorificaret (quam etiam mortem illi Chriſtus prædixit) Romæ abeuntem retinuit, vt authores grauiſſimi memoriæ prodiderunt. Hunc ergo Petrum Chriſtus Dominus principem paſtorum fecit, & in ſolio locauit, adeoque Romæ.

Huic Perpetua & nunquam interrupta ſerie, ad preſentem vſque Pontificem, Optimum & Maximum, Gregorium 13. alij Epiſcopi Romani ſucceſſerunt. Si quis à maiorum ſuorum fide ita apoſtatauit vt Antichriſtus euaſerit, hoc tibi G. F. demonſtrandum diligenter, non aſſerendum impudenter eſt. Illud vnum inter tot mendacia verum dixiſti, nos Romanam originem noſtram referre, quia ſanè ad Petrum qui Romæ ſedit illam referrimus, & à Petro ad Chriſtum. Vos talem originem demonſtrate.

Fulco.

DOnatiſtarum crimen qui in ſola Africa Eccleſiam ponebant & ſecundum exordium reparatę Eccleſiæ commenti ſunt nobis à te iniquiſſimè obiectum, qui in deſerto Eccleſiam ponimus, & ſecunda exordia illuceſcentis Euangelij demonſtremus hoc fuco ac nomine me repellere ſcribis: Quod deſertum illud in quod profugeret Eccleſia tam late patet, quam orbis terrarum, adeo vt tum etiam fuerit Eccleſia in toto orbe diſperſa. Duo cum ſunt huius accuſationis capita, poſterius omnino falſum eſt, nuſquam enim ponimus interijſſe Eccleſiam ex vniuerſo orbe, vt ſecunda eius exordia demonſtrare opus ſit. At diligentiſſimè oſtendere debebam, deſertum hoc tam latę patere quã orbem, id eſt (vt tu vis) Eccleſiam noſtram ſtrã ſic in deſerto latuiſſe, vt tamen totũ terrarum orbẽ latens occupauerit, atq; repleuerit. Atqui nõ ideo ſequitur, Eccleſiã totũ terrarum orbẽ occupare atq; replere, etiã in pace florentem, quia toto ſit orbe diſperſa ac diſſeminata: Hac enim ratione nunquam catholica fuiſſet, etiam cum mundo maxime aſpectabilis eſſet, ita vt totum terrarum orbem occuparet atque repleret. Satis eſt quod in pluribus mundi partibus, eodem tempore vigeret, adeo vt ne eas quidem partes penitus impleret cum plurimæ etiam ſint orbis terrarum regiones, in quibus ne veſtigium quidem Chriſtianę religionis conſpici queat. Quam putidum igitur ſit hoc cauillum, quo veram Eccleſiam in deſerto per totum orbem non potuiſſe latere inſinuas, niſi latens totum orbem occupauerit atque adeo repleuerit, nemini obſcurum eſſe arbitror. Quod vero pluribus non oſtenderim, Eccleſiam etiam in deſerto latentem, eſſe tamen catholicam, hoc eſt per orbem terrarum diſperſam, cum vtrunque ſcriptura euidenter doceret, ſatis confirmatum putabam. Maxime cum tute fatearis præcedente capite, hijs verbis, *Cæterum deſerta illa non erunt hic & illic, ſed erunt vbiq; per omnes gentes, per quas Chriſti nomen propagatum eſt, & in quibus Chriſti nomen profligabit quantum poterit Antichriſtus.* Vide igitur an diligentius confirmare debueram, quod tu ſponte mihi concedis abſq; controuerſia. Ergo qui in deſerto Eccleſiam latuiſſe ponunt, non in vnum aliquem orbis angulum, eam cum Donatiſtis detrudunt, cum deſerta illa, te ipſo teſte, erunt vbiq; per omnos gentes, per quas Chriſti nomen

propagatum eſt. Sed proferre me iubes toto orbe latitantes electos. Vah, quam iniquum poſtulas, vt quos latuiſſe contendo, eoſdem in lucem protraherem. Sed etſi protulero non alios proferam, ſi tibi credendum eſt, quam meo ipſius iudicio hæreticos. Verum huic paradoxo ſupra à me omnis veri larua ac ſpecies detracta eſt. Me tamen Donatiſtis multo impudentiorem videri
„ vis: cum illi in ſola Aphrica & paucis quibuſdam
„ Montenſibus Romæ Eccleſiam ponerent, id quod
„ res erat dicebant. Habebant enim in Africa 270.
„ ſuæ ſectæ Epiſcopos, ſucceſſionem etiam quandam
„ in ſpeluncis circa Romam, ego vero qui toto
„ orbe maiores noſtros latitaſſe dicam, nullam ante
„ Lutherum ſectæ meæ ſucceſſionem proferre poſſim.
„ Sed latum eſt diſcrimen inter me & Donatiſtas, illi enim non latuiſſe, ſed remanſiſſe in ſola Africa Eccleſiam garriebant, deinde alijs teſtimonijs quam tabulis ordinariæ ſucceſſionis, extitiſſe etiam tum cum occulta fuit maximè, Eccleſiam demonſtramus.

Sed retorſione criminum, cum recta ratione non poſſum, meam innocentiam probare aggredior, vt tibi videtur, cum aio. *Sed vos vos inquam Papiſtæ, in eadem cauſa eſtis cum Donatiſtis, qui de cæteris quidem gentibus Eccleſiam Chriſti iam multis ab hinc ſæculis periſſe, in ſola Europæ parte vt illi in Africa remanſiſſe demonſtratis, cæteros omnes ab ea reſecando, qui Romanæ Eccleſiæ non parent.* Hoc quod vobis obijcio, multipliciter falſum eſſe dicis. Primum quod non à multis ſæculis, orientalium Eccleſiarum ab occidentalibus diuiſio, penitus inualuit.

luit. Sed cum ante annos circiter ſeptingentos cæpiſſet illud ſchiſma, per tredecem vniones vt ex Trithemio notas, ſubinde ac identidem reparatum fuit. Accipio quod das, circiter ſeptingenti ſunt anni, ex quo ſchiſma cœperit, cuius licet vnio centies attentata ſit, nunquam tamen verè reparata eſt, cum in hodiernum diem duret diuiſio. Sed hæreſis contra proceſſionem ſpiritus ſancti defenſio, præcipua illius Schiſmatis cauſa fuit, vt Græcos fateri ais in Conc. Flor. Seſſ. 2. Immo tam ex illa quam ex vltima illius Concilij Seſſione perſpicuum eſt, de voce procedendi, abſque generalis ſynodi authoritate ſymbolo addita á Latinis, litem cæpiſſe, & dum neutri alteros intelligerent, ſed Latini Græcorum dubitationi de duabus cauſis in triade proceſſionis ſpiritus ſancti ſatisfacere, ſuperbe recuſarent, in maiorem contentionis flammam exarſiſſe. Quod quidem cupidè arripuiſſe Romanos Pontifices vero ſimile eſt, vt iuſtam orientales Eccleſias à ſe repellendi occaſioné habuiſſe viderentur, Cum & primalus æmulus eſſet conſtantinopolitanus Antiſtes, & alioqui orientales, Romanæ ſeruitutis iugum ſuſcipere recuſarent. Quod 60. poſt Photium annis, vſque ad Chriſtopherum Papam conueniſſe cum Latinis Græcos ex Nilo doces, nullum adhuc ſæculum noſtræ computationi detrahis. Deſcendis porro ad trecentos annos, tépus nempe Lateranenſis Concilij. Tribus igitur ſęculis illa ruptura non coaluit. Ac ne tum quidé perſanatum eſt vulnus. Vtcunq; Græcos patriarchas, Hieroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum,cum alijs Epiſcopis Græcis,contra errores abbatis Ioachimi ipſamque Berengarij hæreſin vnanimiter cum Latinis conſpiraſſe dicas: Nam vel ex actis huius Concilij , vel aliqua certa hiſtoria hoc non conſtat , conueniſſe inquam Græcorum Eccleſiam cum Latinis, etſi quoſdam Græcorum interfuiſſe memoriȩ proditum ſit,imo caput 4.de ſuperbia Græcorum contra Latinos aliud innuere videtur , quam vnanimem conſenſum cum Eccleſia Romana vt tu aſſeris,initum fuiſſe.

In Concilio vero Lugdunenſi,etſi conatus eſſet Michael Palæologus Græcorum imperator , quo Pontifici Romano gratificaretur , vt Eccleſiam Græcorum Romanæ tyranndi ſubijceret,tantum tamen abſuit vt ſimulatȩ huic ſubmiſſioni Eccleſia Cõſtantinopolitana conſentiret, vt imperatori paulo poſt defuncto ſepulturæ locum & honorem ob hoc factum denegaret. Quod denique in Concilio Florentino prorſus , & per omnia cum latinis Græcos conueniſſe ais,ex actis illius Concilij falſum deprehenditur : Nam de ſola ſpiritus ſancti proceſſione conuenit.Solicitati enim Græci , vt de papæ principatu , igne Purgatorio , de pane azymo , & fermentato, & panis in Euchariſtia tranſmutatione ageretur , reſponderunt: ſe ſine totius orientalis Eccleſiæ authoritate , quæſtionem aliam tractare non poſſe , cum pro illa tantum de ſpiritus ſancti proceſſione ſynodus conuocata fuerit.Quæ igitur ſequũtur,de Ioſephi Patriarchæ ſubito defuncti ſubmiſſione,cęteriſq; Romanæ religioni per omnia conſentientibus,

Bapt.Egn.
Rom.prin.
lib.7.

ficta videntur & adulterina, cum non ſit vero ſimile, Græcos nulla habita de tantis controuerſijs inquiſitione, tam ſubito voluiſſe cedere. Maximè cum duodecem ex vtraque parte electis qui coniunctionis literas conſcriberent, Græci poſtularent, vt de ſummi pontificis nomine nulla prorſus in eis mentio fieret. Quod nunquam facturi fuiſſent, ſi de Romani pontificis primatu, vt literæ illæ fictitiæ ſonant, eadem cum Papiſtis ſenſiſſent. Poſtremò ſi prorſus, & per omnia vti dicis, cum latinis Græci conueniſſent, quî fieri potuit, vt vnus Marcus Epheſius, tam ſubito, hoc eſt quam primum domum rediſſent, ſchiſmatis renouandi author fuiſſet? De Armenis, Indis, & Aſſyrijs quę refers, quis tibi credet? cum eandem doctrinam eoſdemq; ritus quos olim habuerunt, vſque in hodiernum diem retineant. Quæ de America & orientali India iactantur, recentia ſunt, vt ſi vera eſſent omnia, nondum ſæculum ſit, ex quo vltra Europam Eccleſiæ veſtræ pomeria produxeritis. Quod ſi prouincias Romano imperio ſubditas, totumque maris mediterranei tractum ab Herculis columnis vſq; ad Ægyptum percenſere velles, pars illa Europæ olim Romanæ Eccleſiæ ſubdita, non plures gentes complectitur, quam olim diſperſio illa Donatiſtarũ per Africam complexa eſt. Quod vero Eccleſiæ Catholicæ communionem, totius orbis terrarum communionem eſſe dicis, quia non huius tantum temporis ac ætatis, ſed omnium temporum atque ætatum Eccleſiam comprehendat, in eo tibi libenter conſentimus: quamuis enim in ſola Europæ parte, eccleſia diffunderetur, quia reliquas gentes vel paganiſmus, vel hæreſis occuparet, tamen quia omnium gentium per quas olim Eccleſia Chriſti diffuſa erat communione iungeretur, vera Eccleſia & vera communio, non in ſola Europæ parte, ſed in omnibus gentibus rectè conſtituta diceretur. Hæc tuis verbis ideo recitare placuit, tum quia vera ſunt, tum quia multis cauillationibus quibus noſtram communionem vt particularem & ſchiſmaticam impetitis, abunde ſatisfaciunt veſtraſque calumnias oppido opportunè diluunt. Hoc vero diſplicet, quod ad Romanenſem veſtram ſectam, ea ſpectare contendis, cum prius ex ſacris literis demonſtrare debueras, vos eandem per omnia fidei & ſalutis doctrinam amplecti, quam ſpiritus ſanctus edocuit Apoſtolos, Apoſtoli in Eccleſia per totum orbem propagata diſſeminauerunt. Quod me diſſimulare fingis, quæ alibi à te alijſque papiſtis de hac re ſcripta ſunt, vt qui de communi cauſa ſecurus aut parum ſollicitus, magis ſtomacho meo indulſerim, quam publicæ orthodoxæ fidei aut religioni in illa mea ſcriptione inſeruierim, inualidum eſt: nam qui magis adſtringor ego vt ad omnia tua quæ ſunt extra illa capita, quæ refutanda mihi deſumſeram, reſponderem: quam tu vt neglectis varijs ſcriptionibus meis, etiam ijs quæ de hoc eodem argumento in tuum fidei propugnaculum euulgauerim, duas aut tres tantum de ſucceſſione Eccleſiæ quęſtiunculas arriperes. Sed ne me publicæ cauſæ oblitum putes, hanc tibi conſilij mei rationem reddo. Quæ latine ſcribis paucis nocere poſſunt , vt niſi impudenter iactatum fuiſſet te omnes illas ad Alani poſtulata reſponſiones meas duobus capitulis refutaſſe, etiam illa in me ædita ſilentio præterijſſem. *Quod negem nos à Witenberga initium ſumere ſed ab Hieruſalem, voſque ad Romam ipſius Antichriſti omnium veterum conſenſu ſedem veſtræ impietatis originem referre aſſeruerim vbi contra Chriſtum non Epiſcopum , ſed Antichriſtum in ſolio locauiſtis :* multa me abſurda & vana dixiſſe affirmas. Primum enim ſi à Witenberga Eccleſiam noſtram initium cæpiſſe negem, aliud initium oſtendi poſtulas. Atqui iam oſtendi Hieroſolymã. Sed tu hoc non contentus, ab illo initio perpetua ſerie & temporum ſucceſſione decurrendo noſtræ Eccleſiæ paſtores & Epiſcopos (ſine quibus nulla ſubſiſtit Eccleſia)demonſtrari tibi vrges. At hoc non eſſe neceſſe iamdudum demonſtraui, cum ſatis ſit nos eandem fidei ac religionis regulam profiteri,ac docere,quæ ab Hieruſalem initio ſumpto,iuxta Saluatoris mandata,in omnes poſtmodum gentes Apoſtolorum prædicatione propagata fuerit . Quæ enim vera eſt Chriſti Apoſtolorumq; doctrina, nunquam præconibus caruit , qui eam Eccleſiæ notam facerent , ſaltem in præcipuis & ad ſalutem neceſſarijs capitibus. Impudenter igitur vt fere ſemper, id vnum petis, ac mendicas , quod caput ac principium eſt initæ inter nos diſſentionis , cognitionem ſcilicet ordinariæ ſucceſſionis in locis & perſonis neceſſariã eſſe Eccleſiæ notam . Quanquam & loca & perſonas quorundam doctorum non tacemus. Secundo,cæpiſſe ſectam noſtram ac ſocietatem à

Luthero, qui Witembergæ docuit hiſtoricos noſtros Sleidanum, Curionem, Pantaleonem ſcribere aſſeris, in quo viros doctos & de Eccleſia ac republica optimè meritos, ſumma iniuria afficis: quin & rem toti orbi notiſſimam eſſe non erubeſcis aſſeuerare, quo nihil fingi potuit demẽtius, ac ſi huius orbis pars maxima, quæ in hanc fidem conſentit non Chriſti eiuſq; Eccleſiæ, ſed Lutheri hominis noui, fidem ſe profiteri atque amplecti probè ſciret. Romam verò omnium veterum conſenſu Antichriſti ſedem eſſe argumento eſſe poterunt, non pauca doctiſſimorum veterum teſtimonia, quæ in hanc rem capite præcedenti contuli. At non impudenter tantum, ſed blaſphemè à me adiectum eſt, vos Romæ Apoſtatam Antichriſtum locauiſſe. Obſecro cur ita? *Quia Chriſtus Dominus Petro claues regni cælorum dedit*. Quid tum? dedit & omnibus Apoſtolis. *Et Petro dixit paſce oues meas.* Et omnes Apoſtolos paſtores vniuerſæ Eccleſiæ inſtituit. Ite in vniuerſum mundũ, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Antichriſtus verò non paſcit Euangelio oues Chriſti, ſed deglubit, ac deuorat. *Eundem denique Petrum ne alibi quàm in vrbe Roma morte ſua Chriſtum glorificaret Romæ abeuntem retinuit.* Demus hoc tam certum eſſe, ac ſi Euangeliſtæ ore proditum fuiſſet, quid hinc conſequitur? Tua verba adſcribam, *Hunc ergo Petrum Chriſtus Dominus principem paſtorum fecit & in ſolio locauit adeoq; Romæ.* Apage tenebrio, quis lucem iudicij dialectici in hac tam portentoſa illatione non requiret tibique conſequentiam negaret? Sed finge te hanc concluſionem

Marc. 16.

nem ſolidis argumentis confirmaſſe. quid demum ſequitur? *Huic Petro perpetua & nunquam interrupta ſerie, ad præſentem vſque Pontificem optimum & maximum* (ſi Ioui Capitolino placet) *Gregorium* 13. *alij Romani Epiſcopi ſucceſſerunt*. Quanquam nec hoc verum eſt, ſæpe enim interrupta fuit ſucceſſio per ſchiſmata, ſemel etiam per mulierem, quæ ſedem hanc peſtilentiæ peccatis onuſta inuaſerat. At fuerit legitima ſucceſſio, & ordinaria perſonarum, non tamen fuit doctrinæ, nam qui nuper fuerunt Pontifices, non eandem cum Petro eiuſque primis ſucceſſoribus, ſanctis Eccleſiæ luminibus, per aliquot ſæcula, fidei doctrinam retinuerunt. Vt taceam Liberium, Honorium, Anaſtaſium, Vigilium, alioſque melioribus etiam ſæculis hereſeωn fœdiſſimarum labe infectos, notatos, aut publicè etiam damnatos. Hic iam nihil iuuat ſucceſſionis ſeries, doctrina ex ſacra Scriptura examinanda eſt, vt legitimi Petri ſuceſſores cognoſcantur à ſpurijs & apoſtatis. Non igitur ſucceſſionis argumentum litem terminat, ſed examen doctrinæ, idque miſſa hac inutili de ſucceſſionis ſerie concertatione, ſubeamus vtrinq;, ſi finem litibus de fide & religione agitatis, tandem aliquando imponi cupimus. Vos ideo ad Romam quia ad Petrum originem veſtrum referre, haud mihi facilè perſuaſeris. Non enim Romam propter Petrum, ſed Petrum potius propter Romam colere videmini, cum in illius perſona ac dignitate, quam ei præter ſacræ ſcripturę authoritatem affingitis, non in fide ac doctrina, præſidium veſtræ cauſæ collocari tutius exiſtimatis.

QVOD PROTESTANTES Eccleſiam aliquot ſeculis interiiſſe docent, & cum Donatiſtis ſecundum Eccleſiæ exordium ponunt.

CAPVT IIII.

Stapletonus.

MALE *ſe habet, quòd* fugien-
» te in deſertū Eccleſia, iux-
» ta *figmentum tuum*, ceſſare
» fingo neceſſaria ad eam
» regendam Epiſcoporum
» & paſtorum munera: *& i-*
» *ſtud ais* mendacium eſſe à
» me excogitatum magno
» impudētiſſimorum men-
» daciorum artifice. *Tuum igitur erat vir ſolertiſſime, Epiſcopos & paſtores Eccleſiæ tuæ fugitiuæ & latentis in deſerto nobis proferre; loca & tempora quibus ſinguli ſederunt, & munera paſtoralia exercuerunt, deſignare; ordinem Epiſcoporum tuorum euoluere; origines Eccleſiarum veſtrarum edere; vt ita me mendacij conuinceres: Nunc, vt antea dixi, dicendumq́ eſt ſæpius, ad maledicendum promptus es: ad probandum quod dicis elinguis es.*

Simile figmentum & mendacium eſſe dicis, quòd de-
» fecerit illa ab Apoſtolis cœpta & propagata Ec-
» cleſia, ipſa in deſertum his aliquot ſæculis fugien-
» te, vt noua reparatione opus ſit à Wittenberga,

Bohæmia, Geneua. *Quare ad id quod hanc nouam reparationem nobis legi ex Scripturis poſtulo, reſpondes de more modeſtiſſimè.* Quid tibi legeremus (inepte) quod nunquan ne per ſomnium quiſquam noſtrû dixerit, defeciſſe Eccleſiam quæ in deſerto latuit, ab alio initio cœleſtis doctrinæ propagationẽ quã ab Hieruſalem cœpiſſe, quum illud idẽ Euangeliũ quod ſumpto ab Hieroſolymis exordio in totũ terrarum orbem Apoſtolorum laboribus diſſeminatum ſit, & non aliud amplectamur, credamus, doceamus? *Itane verò Guliel. Ful. nemo veſtrum defeciſſe Eccleſiam aliquando dixit quæ in deſerto latuit? Nemo veſtrum nouam & ſecundam reparationem Euangelij docuit? Quis igitur ille eſt, qui in hac ipſa diſputatione paulò ante dixit,* iam à nongentis amplius annis Bonifacium Papam Antichriſtianam tyrannidem apertè inuaſiſſe, quamuis non vno momento omnem Eccleſiam in loca ſolitaria detrudere valuerit quingentis tamen poſtea annis, aut circiter veram ſalutis doctrinam ex Eccleſijs Europæis exterminaſſe? *Nonne hæc tua ipſius verba ſunt?*

Quod Proteſtãtes docẽt perijſſe Eccleſiam.

Et quid aliud eſt Antichriſtianam tyrannidem ſub Romano Pontifice cui cæteræ omnes Eccleſiæ communicabant, Eccleſiam inuaſiſſe, quàm Eccleſiam defeciſſe? Quid aliud eſt Eccleſiam deficere, quàm veram ſalutis doctrinam ex Eccleſia exterminari? Nam quod Europeas Eccleſias dixiſti, iuxta tuam opinionem perinde eſt ac ſi omnes ſimpliciter Eccleſias dixiſſes. Dicebat enim modo, nos qui Romanæ Eccleſiæ communionem tenemus, in ſola Europæ parte Eccleſiam ponere; *quia videlicet viſibilem & florentem Eccleſiam his poſtremis* *ſeculis in ſola Europa Romano Pontifici parentem imaginaris. Si ergo totam viſibilem Eccleſiam Antichriſtus à nongentis annis occupare cæpit, à quingentis autem poſt plenè occupauit, nonne tu ipſe diſertè doces defeciſſe Eccleſiam?*

At tibi non defeciſſe aut periſſe videtur, quia in deſerto latuit. Sed iterum quæſo aduerte. Eccleſia Chriſti eſt Ciuitas ſupra montem poſita quæ abſcondi non poteſt. *Quæ ergo latuit in deſerto, quæ abſcondita fuit, quæ oculis hominum conſpicua non erat, cuius politia, cuius paſtores & capita, cuius ſedes & loca oſtendi non poſſunt, illa Eccleſia Chriſti non erat. Idem eſt igitur dicere in deſerto Eccleſiam latuiſſe, q̃ eſt dicere, Eccleſiã defeciſſe. Sed vt magis hoc aduertas, repetam hoc loco, quod ſemel antea in hoc opere poſui; Sancti Auguſtini argumentum; vt ſi meum te minus moueat, tanti Doctoris etiam commoneat. Sic argumentatur Auguſtinus contra Petilianum Donatiſtam, qui obſcuram quoque & latentem propriam Eccleſiam poſuit, ſicut tu ponis.* Eccleſia eſt Ciuitas ſupra montem poſita, quæ certũ ſignum hoc habet quod abſcõdi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus. Pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus. Non eſt ergo ipſa vera Eccleſia. *Hæc ille. Subſumo & ego. Pars autem Lutheri, Caluini, aut cuiuſcunq; alterius ſectæ proteſtãtium, ignota eſt pluribus gentibus etiam hodie. Ante Lutherum autem Witembergæ docentem, id eſt, ante annos plus minus ſexaginta, ignota erat omnibus gentibus & latuit in deſerto. Ergo non eſt Proteſtantium ulla ſocietas Chriſti Eccleſia hodie. Multò autem minus ante Lutherum natum, erat Chriſti Eccleſia, quæ prorſus tam latuit; ſaltem à quadringentis annis iuxta calculum*

Matth.5.

Eccleſia latitans non eſt Eccleſia.

Lib.2.ca.104.

tum tuum, quem tamen quingentis antea annis, latere cœperis ſub Bonifacio. Imò vt poſtea exactius ſupputas, à quinque aut ſex centurijs. Quod ſi ergo veſtra Eccleſia toto illo tempore nulla erat, & quæ mundo viſibilis erat, Romana Eccleſia cum cæteris illi adiunctis, veſtro iudicio Eccleſia Chriſti non erat, nonne euidenter ſequitur, Eccleſiam Chriſti defeciſſe? Deinde te rogo Gul. Ful. Qui docet apoſtaſiam totius ferè orbis à Chriſto ad Antichriſtum per Apoſtolum 2. Theſſal. 2. & per Ioann. Apocaly. 13. & 18. prędictam fuiſſe, illamque Apoſtaſiam ad finem ſæculi reijciendam non eſſe, ſed potius ſtatim à partu mulieris euenturam illam Spiritum ſanctum docere, *An non idem docet Eccleſiam Chriſti & quidem celeriter defeciſſe? Tu autem illis ipſis verbis à me poſitis in hac diſputatione hoc totum docuiſti.* Tu apoſtaſiam totius fere orbis à fide Chriſti & quidem ſtatim à partu mulieris, *ſtatim à prima Eccleſiæ propogatione cum veteribus Donatiſtis docuiſti. Donatiſtæ* de apoſtaſia totius orbis dictum eſſe docebant, quod dixit dominus; filius hominis veniens, putat inueniet fidem in terra? *vt commemorat Auguſtinus in lib. de vnit. Eccleſiæ. Tu ex Prophetijs præallegatis eandem orbis apoſtaſiam prædictam eſſe docuiſti: Auguſtinus eodem ſtatim libro contra hanc Donatiſtarum inſaniam,* prouocat illos ad certum aliquem & manifeſtum S. Scripturæ locum quo demonſtrent Eccleſiam de toto orbe perijſſe & in ſola Africa remanſiſſe, tanquam ab alio initio non ab Hieruſalem, ſed à Carthagine. *An ego igitur tibi vel ineptus vel mendax videri potero, ſi eadem te cum Donatiſtis aſſerentem, eodem cum Auguſtino argumento premam? An ve-*

Donatiſtarum ſententia & Proteſtantum eadem.

cap. 13.

cap. 14.

rò aliter fieri debuit, quàm vt quorum facta imitaris & inſaniam ſequeris, eorum exitus perhorreſcas & reprehenſionem ſubeas.

Repetam igitur adhuc ſemel, quia hæc te abſurditas ita premit, vt eam excutere magis à tuis humeris quàm tueri ac defendere, totis viribus coneris. Ais in hoc li-
» *bello tuo,* apoſtaſiam totius ferè orbis à Chriſto ad
» Antichriſtum ab Apoſtolo prædictam *eſſe 2. Theſſ. 2. Item à Ioan. Apocalyp. 13. & 18. Et mihi vehementer ſuccenſes, qui has prophetias obſcuras dico, vel in fine demum ſæculi locum habituras exiſtimo: & vis vt* ſtatim à partu mulieris euenerint. *Eſto igitur, Iuxta te totius ferè orbis à Chriſto ad Antichriſtum apoſtatauerit, idque ſtatim à partu mulieris. Doces ergo periiſſe de toto ferè orbe Eccleſiam Chriſti, & in ſolis vobis proteſtantibus hodie remanſiſſe, tanquam ab alio initio illuceſcente nobis Euangelio;* non incipiendo à Hieruſalem, per totam Iudęam, ac deinde Samariam, poſteaque per omnes gentes vſque ad vltimum terræ, ita vt bonum ſemen ſeminatum in agro dominico *per ſeminatores, id eſt prædicatores verbi legitimè miſſos* (quomodo enim prędicabunt niſi mittantur) creſcat vſque ad meſſem, id eſt vſq; ad finem ſæculi, *vt ipſe Saluator ſuam parabolam expoſuit;* quia dedit paſtores & doctores Eccleſiæ ſuæ ad conſummationem ſanctorum, *& cætera.* donec occurramus omnes in vnitatem fidei; *id eſt*, donec intret plenitudo gentium, vt tunc demum veniat conſummatio, *quia* vſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus, *ſine vlla interruptione, ſine vllis eclipſibus, cum Eccleſia ſua paſtor paſtorum eſt,* ne contra eam portæ inferi aliquando præualeant,

Proteſtantes nõ ab Hieruſalem ſuam Eccleſiam ordiuntur.

Luc. 24.
Act. 1.
Matth. 13.
Rom. 10.
Epheſ. 4.

Matth. 24.
Matth. vlt.

Matth. 16.

aut fides Petri *ſui ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*, aliquando deficiat, *ſed potius* confirmaret cæteros omnes, *accepta poteſtate* paſcendi & agnos & oues ſuas *ſuprà cæteros*, *ſicuti dilexit pluſquam cæteri.*

Luc.22.
Ioan.12.

Tale Eccleſiæ principium, talem progreſſum, talem firmitatem, in Sanctis Scripturis nobis deſcriptam tu Guliel. F. negas, docendo apoſtaſiam totius fere orbis ſtatim à partu mulieris euenire debere. *Sequitur ergo vt iuxta te poſtquam ex toto ferè orbe apoſtatauerit, ab alio demum initio reuiuiſcat. Minimè (inquis) ſed in deſerto latuit. Sit ita. Et omiſſo nunc quòd talis Eccleſia latitans in deſerto, Chriſti Eccleſia eſſe non potuit,* cuius certum ſignum hoc eſt (*ait iuxta Scripturas Auguſtinus*) quod abſcondi non poteſt. *At hoc abs te quæro; hodiene Chriſti Eccleſia lateat in deſerto aliquo, hominum conſpectum fugiens an non? Minimè, inquies, floret iam enim illuſtris & conſpicua eſt noſtra Eccleſia in magna Germaniæ parte, in Anglia tota & Scotia, in quibuſdam Heluetiæ pagis, in Gallia quoque non obſcura eſt. Imò vt paulò poſt glorioſè narras, præualuit nũc contra papiſticam & cæteras. Iam rurſum quæro quando aut quo tempore ita florere, ita illuſtris & conſpicua eſſe veſtra cæpit Eccleſia, vt populos ac ciuitatei totas occuparet? An hîc aliud reſpondere potes, quàm in Bohemia quidem per Wiclephi diſcipulos, in Germania per Lutherum, in Heluetia per Zuinglium, Geneuæ per Caluinum, in Anglia & Scotia per horum diſcipulos, hanc Eccleſię veſtræ faciem, hunc ſplendorem, ortum & initium ſuum habuiſſe? Hoc eſt ergo ſecundum initium, hæc eſt noua & altera Eccleſiæ reparatio, quam vos ponere dicimus.*

Contra Petil. lib.2. cap.104.

Quod Proteſtãtes nouam reparationem euangelij cum Donatiſtis ponunt.

At inquies, antea tamen ſubſtitit vera Eccleſia etſi
occulta, & quidem per totum orbem, quia tam latè pa-
tet deſertum noſtrum quàm totus orbis. *Sed huic*
abſurdiſſimæ defenſioni tuę vide quam multipliciter re-
1. *ſpondeam. Primùm hanc latitantem & fugitiuam in*
deſerto Eccleſiam, affirmas tu quidem ſæpe, probas, de-
monſtras, oſtendis nunquam. Itaque dico non eſſe tibi in
re tanta, aſſeueranti tantum, & nihil probanti, creden-
2. *dum. Deinde reſpondeo ſi latuit, non erat vera Chriſti*
3. *Eccleſia quæ abſcondi non poteſt. Rurſum aio, ſi Anti-*
chriſtus contra eam ita præualuit, vt in deſertum tot ſe-
culis eam compulerit, non erat vera Chriſti Eccleſia,
Matth. 16. contra quam portæ inferi non præualebunt. *Ite-*
4. *rum quoque cum Auguſtino reſpondeo.* Quicunque
In lib. de Ouib. cap. 16. dicet, fortè ſunt aliquæ oues Dei, neſcio vbi, quas
curat deus, & ego illas nõ noui; abſurdus eſt nimis
humano ſenſui qui iſta cogitat. *Hęc ille. Tua igitur*
aſſertio abſurda nimis eſt humano ſenſui, quæ ponit oues
Eccleſiæ latitantes toto orbe terrarum, neſcis vbi, demon-
5. *ſtrare enim nullas potes. Denique hanc tuam abſurdita-*
tem validè confutant quæ in huius operis, libro tertio,
6. *capite nono, diſputauimus. Poſtremò aduerſaris cætero-*
rum Proteſtantium ſententiæ, negando defectionem Ec-
cleſiæ, & latitantem illam tuam atque fugitiuam chi-
mæram comminiſcendo. Brentius enim in prolegomenis,
Muſculus in locis communibus, capite de miniſtris Ec-
cleſiæ, Caluinus Inſtitutio. libro quarto, vocationem ſu-
am extraordinariam ſine vlla miſſione Eccleſiaſtica &
impoſitione manuum presbyterij factam, hoc nomine ac
prętextu tuentur ac defendunt, quod in erigendis Ec-
cleſiis vbi nullæ antea fuerant, *vt loquitur Calui-*
nus, ordinaria ſucceſſio non eſt neceſſaria: non magis
quàm

quàm Apoſtolis immediate à Chriſto miſsis opus erat. Ponunt igitur illi nullas Eccleſias amplius extitiſſe, quũ docere inciperent, à quibus ordinarie mitti & per manuum impoſitionem ad verbi miniſterium conſtitui poſſent. Tu antẽ extitiſſe vis, etiam toto orbe, *tuæ religionis Eccleſias:* latentes quidem, & mundo impiorum abſconditas, pijs tamen & ſpiritualibus viris ſatis cognitas atque conſpicuas. *Sic enim in hoc libello ſuperius ſcripſiſti. Quæro igitur abs te Guilielm. Fulco hoc loco. Lutherus, Brentius, Caluinus, Muſculus, nonne pij & ſpirituales viri tibi viſi ſunt?*

Ante Lutherum nullam latitaſſe Proteſtantium Eccleſiam.

Quare igitur ab illa latitante in deſerto Eccleſia non ſunt ad verbi miniſterium ordinati? Quare à paſtoribus & Epiſcopis illius latitantis tuæ Eccleſiæ impoſitionem manuum non acceperunt? Quare Caluinus ſe & ſui ſimiles, Apoſtolos vel ſaltem Euangeliſtas eſſe vult, à Deo hoc tempore excitatos & extra ordinem ad prædicationis munus vocatos? Quare Lutherus ſe in Epiſtola ad Argentinenſes Euangeliſtam ſcribit, alioſque ibidem prædicantes Euangeliſtas vocat? Quare Muſculus, Brentius, Beza in cõuentu Poiſſiaco, & alij ſuam extraordinariam miſſionem & vocationem defendunt, ac non potius à latitantis tuæ Eccleſię epiſcopis ordinari potuerunt? Quare in Comitijs Imperialibus Wormatiæ habitis principes Proteſtantes apud Imperij Ordines egerunt, vt ab Epiſcopis Miſnenſi & Numbingenſi ipſorum miniſtri ordinarentur? Quid? An etiã ante ipſos nobiliſſimos Proteſtantes, ſic fugit in deſertum longè tua Eccleſia, vt nec illi eam inuenire potuerint, nec ea illis apparere voluerit? Vidéſne quot abſurda tuam latitantem & fugitiuam chimæram conſequantur? Sanè de hac tua ſuſcepta & latitante Eccleſia, nunquam iſti admirabiles

Inſtit. lib. 4. cap. 3. ſect. 4.

viri vel per ſomnium cogitarunt.

Nec extra Europam ſubſtitit latitans Proteſtãtium Eccleſia.

Quod ſi extra Europam aliquas eſſe Eccleſias exiſtimarunt, qui factum eſt vt ab illis vel ordinationem & miſſionem legitimam non acceperint, vel ſaltem toto hoc tempore ad confirmationem miniſterij ſuſcepti Euangelium cum illis non contulerunt, ne fortè in vanum currerent vel cucurriſſent? *Quare cum Gręcis, cum Armenis, cum Moſcouitis, cum Bohemis, & alijs gentibus quas extra Romanæ Eccleſiæ communionem & intra veſtram communionem eſſe exiſtimatis, tanto tempore nullum commercium, fœdus nullum reperati in hac orbis parte Euangelij inijſtis? Quare dexteras ſocietatis non dediſtis & accepiſtis? An quia nec Græci, nec Armeni, nec Moſcouitæ, nec ipſi Bohemi vobis per omnia placent, vtpote qui & quamplurima negent nobiſcum quæ vos nouiter introduxiſtis, & quædam etiam eorum quidam tenent, quæ pariter nobiſcum & vos exhorretis? Reſtat igitur, vt nullas planè illi in toto orbe Eccleſias ſuis dogmatibus conuenientes ſupereſſe ſibi prorſus perſuaſerint. Tu tamen magnis illis Proteſtantibus prudentior, ne defectionem Eccleſiæ (quam tanta abſurda ſequuntur) cum illis ponas latitantem Eccleſiam, quæ non minus abſurda eſt, contra illos affirmas.*

Gal. 2.

Angli Proteſtãtes ſecũdum initium Eccleſiæ apertè affirmarunt.

Quid? tu homo Anglus, Eccleſiæ tuæ Anglicanæ apologiam ante annos iam penè viginti latinè & Anglicè conſcriptam non legiſti, in qua diſertè vocatur hoc tempus beatiſſimum lux Euangelij in herba, *in qua Anabaptiſtæ, Libertini, Memnonitæ, & Zerenckfeldiani* ſtatim ad exortum Euangelij *emerſiſſe dicuntur? in qua denique diſerte ſcribitur:* Lutherum & Zwinglium ad Euangelij cognitionem & prædicationé primos acceſſiſſe? *Aut libellũ illũ Anglicè conſcriptũ non*

Fol. C. 1. b. & 7. b.

non vidiſti, in quo collationes quædam & literæ familiares inter Latimerum & Ridleium continentur, in quarum præfatione Latimerus Angliæ Apoſtolus *vocatur? Ille inquam Latimerus qui ſub Henrico.8. Rege primus ferè omnium veſtras hæreſes è ſuggeſtu docuit, poſteáque Oxonij ſub Maria pientiſsima Regina, iuſtas impietatis ſuæ pœnas, flammis abſumptus, luit. Aut poſtremo de illo libello anglico olim apud vos celeberrimo & nominatiſsimo, cui titulus erat;* The Harbourough, *quaſi portus & refugium piorum, nunquam audiuiſti, in quo ſic ad ſuos loquitur per Proſopopeiam Angliæ?* Ego ſum patria illa tua, Anglia, quę beatum illum vibegum Ioannem Wiclephum genuit, qui genuit Hus, qui genuit Lutherum, qui genuit veritatem. *Et ad marginem eiuſdem loci aſcribitur, ne oſcitanti lectori fortè excidat tam nobilis ſententia.* Secundus Chriſti partus. *Sanè & hoc ipſum de ſeipſo Lutherus in Epiſt. ad Argentinenſes anno* 1525. *ſcripſit.* “Chriſtum (*inquit*) à nobis primo vulgatum au“demus gloriari; at huius negatione iam traducit “nos Zuuinglius. *Hæc igitur omnia G. F. hæc* lux Euangelij iam primum in herba (*adeo non eſt ex illo ſemine quod ſemel ſeminatum per Apoſtolos* creſcit vſque ad meſſem) *hic* exortus Euangelij (*adeo non incipit à Hieruſalem*) *hæc* prima Euangelij notitia (*adeo nuſquam prius ne latenter quidē extitit*) *hic* nouus Angliæ Apoſtolus (*adeo ante iſtum neſciuit planè Chriſtum vniuerſa Anglia*) Hæc ſecunda natiuitas Chriſti, *& altera genealogia præter illam D. Matthæi, quid aliud docent, leguntur, clamant, quam Anglis tuis confratribus in Sathana, id eſt, in hæreſi & ſchiſmate, perſuaſiſſimum & altiſſimè animis impreſſum hoc fuiſſe,*

Orat. vlt. circa finem.

Matth. 13.

Luc. 24.

fuiſſe, vſque ad hęc noſtra tempora defeciſſe Eccleſiam Chriſti, nec vllam omnino vſquam terrarum latitantem (qualem tu fingis) extitiſſe?

Vide nunc iterum & expende diligentius G. F. an nemo veſtrum ne per ſomnium quidem dixerit Eccleſiã defeciſſe. Sed & plura ad hanc rem habes in hoc opere libro tertio capite quarto, ad quem locum, ſi fortè hæc tibi ſatis multa non videntur, remitto.

Quod Proteſtã tium Euãgelium ab Hieroſolymis non incepit.

Ais quidem, id Euangelium amplecti te & docere quod ſumpto ab Hierololymis exordio, in totum terrarum orbem Apoſtolorum laboribus diſſeminatum eſt. *Sed vide quam breuiter te mendacij conuinco. Euangelium quod à Hieroſolymis inceptum per Apoſtolos toto orbe diſſeminatum eſt, per eorundem Apoſtolorum ſucceſſores perpetuos* legittimè miſſos, *(& ita conſpicue miſſos, vt ſemper* lux mundi *eſſent &* Ciuitas ſuper montem poſita quæ abſcondi non poteſt) *creuit &* creſſet vſque ad meſſem, id eſt finem ſæculi. *Euangelium autem quod tu cum tuis tenes & doces; fides, doctrina, religio quam tu amplecteris & profiteris, ita his multis ſæculis totum orbem latuit, vt non creuerit per ſucceſſores Apoſtolorum, per paſtores & Epiſcopos in luce mundi poſitos, ſed poſt Euangelium illud per Apoſtolos diſſeminatum &* per apoſtaſiam totius ferè orbis prædictam, *iuxta te in deſertum multis ſæculis detruſam, Euangelij lux nunc demum in herba eſt, nunc demum exoritur, nunc demum per nouos Apoſtolos & Euangeliſtas hoc tempore datos (vt tuus Caluinus diſerte ſcribit) reparatur. Non eſt ergo Euangelium quod tu tenes, Apoſtolicum illud toto orbe diſſeminatum. Rurſum hanc etiam ob cauſam verum eſt te nouam reparationem ponere, non à Hieruſalem ſed à Wittenberga,*

Rom. 10.
Matth. 5.
Matth. 13.

ga, Bohemia, Geneua. Quare rurſus te premo. Hanc ſecũdã reparationem futurã lege nobis ex Scripturis: ſicuti noſtræ religionis fidei principiũ, curſum atq; progreſſum ex ſcripturis tibi legimus. Nempe, quod incipiendo à Hieruſalem prædicabitur per omnes gentes, & creſcet vſque ad meſſem; *& ita creſcet, vt operarij miſſi in meſſem ſuam ſunt* lux mundi & ciuitas, *ſeu politica & ordinata ſocietas*, quæ abſcondi non poteſt, quia ſuper montem poſita eſt, *id eſt Chriſtum prædicat, & ſuper Chriſtum fundata eſt, ad cuius gloriam pertinet*, vt ſciat mundus quia pater eam miſit, & vt ſciant omnes quia ille eſt dominus, &c. *denique* vt omnis lingua confiteatur, quia Ieſus eſt in dextera patris &c. *quæ latius alibi in hoc opere produximus.*

Luc. 24.
Matth. 13.
Matth. 5.
Ioan. 17.
Philip. 3.
Lip. 2. cap. 7.

QVæ de Chriſto vnico animarum noſtrarum Epiſcopo ſummoque paſtore contempto; de euerſo vnico crucis altari, abrogatoque æterno Chriſti ſecundum Melchiſedechum ſacerdotio infinitis aris, & ſacerdotibus innumeris excitatis, ad vnicum illud & ſolum verum, vt Auguſtini & Ambroſij verbis vtar, ſingulare & inſacrificabile mortis filij Dei ſacrificium, quo omnia nobis peccata remittuntur, auferendum, virtutem eius eneruandam conqueſtus ſum, hęc inquam omnia, alto multoque ſilentio inuoluis, & id vnum accipis, quod te mendacij arguam, qui fugiente in deſertum Eccleſia, neceſſaria ad eam regendam Epiſcoporum & paſtorum munera ceſſare fingis: teq;

mendacij conuinci poſſe negas, niſi Epiſcopos & paſtores fugitiuæ ac latentis Eccleſiæ, vobis proferam, immo loca & tempora quibus ſinguli ſederint deſignem &c. Ita ſemper miſerè principium petis. Quaſi neceſſe eſt ceſſaſſe munera paſtorum, quorum nomina, & ſucceſſionum ſeriem, temporis longinquitas, locorum diſtantia, perſecutionis rabies, poſteris inuidit. Reliquias verò Eccleſię in plurimis gentibus diſperſas, ac difficillimis illis temporibus conſeruatas vſque ad fœliciſſimum hoc ſæculum, quo diſſipatis Antichriſti nebulis, ac tenebris, lux Euangelij pleno fulgore reſtituta ſit, hiſtorię Eccleſiaſticę demonſtrant, quo argumento ſatis conſtat omnibus, qui vel micam ſani iudicij poſſident, quod impedita licet fuerint, nunquam tamen ceſſarunt, paſtorum & doctorum munera. *Simile figmentum aio eſſe, quod defecerit illa ab Apoſtolis cœpta & propagata Eccleſia, vt noua reparatione opus eſſet à Witemberga, Bohemia, Geneua: quod nunquam ne per ſomnium quiſquam noſtrum dixerit, defeciſſe Eccleſiam quæ in deſerto latuit, ab alio initio cœleſtis doctrinæ propagationem quam ab Hieruſalem cœpiſſe, quam illud idem Euangelium quod ſumpto ab Hieroſolymis exordio, in totum terrarum orbem Apoſtolorum laboribus diſſeminatum ſit, & non aliud amplectamur, credamus, doceamus.* Hoc ſi nemo dixit, interrogas, quis ille ſit qui in hac ipſa diſputatione, paulo ante dixit, Iam à nongentis amplius annis Bonifacium Papam Antichriſtianã tyrannidem aperte inuaſiſſe, quamuis non vno momento omnem Eccleſiam in loca ſolitaria detrudere valuerit: quingentis tamen poſtea annis aut circiter veram ſalutis doctrinam ex Eccleſijs Europæis exterminaſſe. Interrogas inquam, an hæc mea verba ſint? Quædam agnoſco, quædam à te mutata, & in alienum ſenſum miſerè detorta aio. Dixi enim, *Antichriſtum vix quingentis poſtea annis, veram ſalutis doctrinam ex Eccleſiis Europæis exterminare potuiſſe, vtcunque per multas corruptelas id maximè iam olim captum, cuperet*. Quod ego vix potuiſſe dixeram, tu abſolutè, exterminaſſe dicis: quodque ego de Eccleſijs Antichriſto ſubiectis ſenſeram, ijſque Europæis tantum dixeram, tu ad veram quam perſecutus eſt Antichriſtus Eccleſiam, preter omnem rationem trahis iniquiſſimè. Queris tamen, quid aliud ſit Antichriſtianam tyrannidem inuaſiſſe Eccleſiam ſub Romano pontifice, cui cæteræ omnes eccleſiæ communicabant, quam Eccleſiam defeciſſe? Immo longè aliud eſt Antichriſtum tyrannidem inuaſiſſe in Eccleſias, quam Eccleſias defeciſſe. Ille enim auctor erat fœdiſſimæ defectionis à Chriſto ad ſe, quod cum Eccleſia orientalis ex parte, ex ſuperba & impotenti eius dominatione intelligeret, paulò poſt ab eius communione ſeſe merito ſegregauit. At cum vſque adeo inualuiſſet peſtis iſta diabolica, vt veram ſalutis, per vnicum mediatorem Chriſtum, doctrinam, apertè oppugnare cœpiſſet: tandem etiam ab eius tyrannide reliquiæ fidelium in Europa, quorum mentes, Deo propitio errorum energia non penitus occæcaſſet, palam diſceſſerunt, eque Babylone ſpiritu ſancto euocãte magno numero ſeceſſerunt. Quorum Eccleſias, ſanctoſq́; cœtus, cum beſtia illa Romana bellis, cædi-

bus,

Albigenſes, Waldenſes, Picardi, Boſlauienſes.

Chytræus in orat. poſt redit. Chriſtoph. Richard in perſecut. Vallis Angren.

bus, calumnijs oppreſſos, ad internecionem vſq; ex toto orbe profligaſſe ſibi viſa eſt, haud tamen ita funditus euerti, deſtruiq́; potuerunt, vt non ſine miraculo quodam, ex hoc veluti naufragio nõnulli emerſerint, qui huc illuc in diuerſas terræ plagas diſiecti, pars in Prouinciam, in Sarmatiam, alij Liuoniam, Bohemiam, Morauiam, Poloniam, Sileſiam, cæteroſq́; Septentrionis tractus & Balthici littoris regiones: Nonnulli in Belgiam, reliqui Calabriam puteolis, ad ipſos denique Pedemontanos deuenerint, ſedeſq́; in ijs locis habuerint in hunc vſque diem continuas. Nec defuerunt qui in alias regiones ſparſi, vt etiam in Britannia noſtra, puriorem doctrinam retinuerunt, ſedesq́; licet non fixas ſemper haberent, & antè Wicleſum, & poſtea pios cœtus occultè licet, perſecutionum metu celebrarent. Nunquam igitur veram ſalutis doctrinam è Chriſti vera electorum Eccleſia, quamuis ex viſibili ſuæq; tyrannidi ſubiecta hominum turba, quæ Eccleſiæ titulo non magis forſan verè quam cadauer homo meretur dici, ſuperbè tamen ſeſe efferebant exterminare valuit. Sed cum Eccleſia Chriſti ciuitas ſit ſupra montem, quæ abſcondi non poteſt: Idem eſt dicere in deſerto Eccleſiam latuiſſe, quod eſt dicere Eccleſiam defeciſſe. Deficiet ergo & peribit penitus Eccleſia quandocunq; in deſerto latebit, quod tu tamen aliquando futurum eſſe, nempe ſub finem ſæculi, non diffiteris, aut hoc quidem argumentum prorſus caret neruis. At ego prius oſtendi, non Eccleſiam, ſed Eccleſiæ paſtores, ciuitatem eſſe ſupra montem ſitam, quæ latere non poteſt te eſt oculos hominũ, qui ſunt in mores paſtorũ intenti, nõ quod paſtores omnibus qui extra Eccleſiã ſunt ſẽper cogniti eſſe debeant. Sed Auguſtini autoritate me premis qui locũ illum Matth. 5. de Eccleſia exponit dicens, Eccleſia eſt ciuitas ſupra montẽ poſita, quę certũ ſignũ hoc habet, quod abſcõdi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus. Pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus. Non eſt ergo ipſa vera Eccleſia. Paulo quidem aliter ſe habent Auguſtini verba quam a te referuntur. Bis enim Eccleſiæ nomen repetis, quod ille ne ſemel quidem hoc loco vſurpauit: Sed negat Donatiſtas eſſe in montibus Sion, quia non eſtis inquit in ciuitate ſuper montem conſtituta, quæ certum &c. Senſus eſt, à pluribus gentibus agnoſci debere Eccleſiam, quæ in eadem fidei doctrina conſentiunt, non ab vna tantum, vt pars Donatiſtarum, quæ in ſola Africa celebris erat, cæteris gentibus qui Chriſtianam fidem profiterentur, eandẽ etiã quam Donatiſtæ, in præcipuis ſaltem capitibus docebant incognita ſunt. Chriſti vero doctrina, etiam cum latuit maximè, à pluribus gentibus agnita fuit pro vera Chriſti ſponſa, vbicunq; in angulis per totum orbem diſperſa eſſet. Quod vero dicis proteſtantum Eccleſiam pluribus gentibus eſſe hodie ignotam, idem & de Romana Eccleſia dici poteſt, ſunt enim pleræque barbaræ gentes, quæ per multa ſæcula de Chriſto vllaue eius Eccleſia, ſeu vera, ſeu adulterina, nihil ne fando quidem audiuerunt. Quo argumento nullam extare veram Eccleſiam, immo nec vnquam extitiſſe concluſeris, quia nullo vnquam ſæ-

Cont. lit. Pet. lib. 2. cap. 104.

culo omnibus ſimul gentibus, nota fuit Eccleſia Chriſti. At poſtquam ſemel Apoſtolorum prædicatione in varias gentes diſſeminata fuerit, nunquam in vnius gentis anguſtias contracta eſt, quin à pluribus ſimul gentibus agnoſceretur. Nec aliud voluit Auguſtinus, vtcunque omnes gentes nominaret, quod proculdubio reſtringendum eſt, ad eas quæ nomen Chriſti, fidemue amplexæ ſunt.
» Pergis deinde me rogare, Qui docet apoſtaſiam
» totius ferè orbis à Chriſto, ad Antichriſtum per
» apoſtolū 2. Theſſ. 2. & per Ioan. Apoc. 13. & 18. præ-
» dictam fuiſſe, illamque apoſtaſiam ad finem ſæculi
» reijciendam non eſſe, ſed potius ſtatim à partu
» mulieris euenturam illam, ſpiritum ſanctum do-
» cere; an non idem docet Eccleſiam Chriſti &
» quidem celeriter defeciſſe? Reſpondeo, non docet, falſa eſt conſequentia: qui enim docet Apoſtaſiam totius ferè orbis, non docet apoſtaſiam totius orbis, ſed aliquam partem excipit, nempe Eccleſiã, quæ ſæuiente Antichriſto, exigua futura eſſet orbis portio. Deinde quod aſſumis, me apoſtaſiam totius ferè orbis ſtatim à partu mulieris, ſtatim à prima Eccleſiæ propagatione cum veteribus Donatiſtis docuiſſe: confictum eſt à te, vt olim appellaui, quod pene nunc etiam mihi extorques, magno impudentiſſimorum mendaciorum artifice. Perſecutionem dixi, quæ fugæ in deſertum cauſa eſſet, mulieri ſtatim à partu euenturam, apoſtaſiam totius ferè orbis, à Chriſto ad antichriſtum, ſtatim à partu mulieris, hoc eſt ſtatim à prima Eccleſiæ propagatione futuram nunquam docui, ſcripſi, ſenſi. Sed ne non gnauiter

te impudentem oſtenderes, qui ſemel modeſtiæ fines tanta audacia tranſilieris, repetiturum te dicis adhuc ſemel: Ais in hoc libello tuo Apoſtaſiam “ totius ferè orbis à Chriſto ad Antichriſtum “ prædictam 2. Theſſ 2. Item Ioan. Apoc. 13. & 18. 3. “ Aio: & volo vt ſtatim à partu mulieris eueniant hæ prophetiæ, quas tu totas in finem ſæculi reijcis: hoc non aio, ſed perſecutionem fugamque, ſtatim à partu mulieris cœpiſſe, cætera vt adimpleantur tempus prolixius requirere quam trium annorum cum dimidio ſub finem ſęculi, intra quas anguſtias temporis, tu omnia compingis. Quæcunque igitur ad perpetuitatem Eccleſiæ faciunt fruſtra congeris: quemadmodum inepte fidem Petri, ſuper quem ædificata fuit Eccleſia, nunquã defecturam, ſed potius confirmaturam cæteros omnes concludis, cum non ſuper ſolum Petrũ, ſed ſuper omnium Apoſtolorum fundamenta, exædificata ſit Eccleſia, quorum doctrina nunquam interibit: Quod Petrus acceperit poteſtatem paſcendi oues & agnos ſupra cæteros, ſicuti dilexit plus quam cæteri, perfatuum eſt: non enim ampliorem poteſtatem in greges Chriſti, dilectionis præmium illo mandato accepit: ſed maiorem dilectionem, quia ob grauius peccatum condonatum, Chriſto aſtrictus erat, aſſiduo paſcendi labore, demonſtrare iubetur. Sed poſtquam tertio putidum illud mendacium, de apoſtaſia ſtatim à partu mulieris euentura, inculcaueris: Quæris an etiam hodie lateat Eccleſia Chriſti in deſerto aliquo, meque reſpondentem introducis, minimè, quia in pluribus Europæ regionibus, non floreat tantum illuſtris & conſpicua, ſed præualuit etiam contra Papiſticam & cæteras. Tum rurſum quęris, quando, aut quo tempore ita florere, ita illuſtris & conſpicua eſſe, noſtra cęperit Eccleſia, vt populos ac ciuitates totas occupauerit? Quæris etiam an hic aliud reſpondere poſſim, quam in Bohemia per Wicleſi diſcipulos, in Germania per Lutherum, in Heluetia per Zuinglium &c. Hoc eſt ergo ſecundum initium, hæc eſt noua & altera Eccleſiæ reparatio, quam nos ponere dicitis. At quis tibi reſponderit, homo malè ſane, tum primum cæpiſſe florere, vt mundo etiam conſpicua & illuſtris eſſet Eccleſia Chriſti, cuius nos membra ſumus, cum Wicleſi diſcipuli in Bohemia, Lutherus in Germania, cæteriq́ue alijs in locis, publicè doctrinam Euangelij diuerſis gentibus, ac ciuitatibus propinauerunt? ac non potius ab ipſis ſtatim apoſtolorum temporibus, etiam viuentibus Apoſtolis, quanquã ſub cruce, ac poſtea ſępe diuq; ſub Chriſtianis Cæſaribus, ac regibus, vtcunque per horum quos nominas miniſterium, è tenebris in lucẽ, è deſerto in celeberrima mundi loca educta fuerit, atque adeo ab Antichriſto antea fœdè protrita, ac proculcata, reflorere cœperit, hoc non eſt ſecundum initium, neque noua & altera Eccleſia, quæ in toto orbe defecerat, reparatio, vt Donatiſtæ fixerunt, ſed ijs tantum locis reſtitutio, vbi vel ceciderat, vel graui ruina deformata fuerit. Quod ſubſtitiſſe Eccleſiam veram, etſi occultam, per totum tamen terrarum orbem diffuſam aſſero, videre me vis, quam multipliciter reſpondeas. Primùm latitantem hanc

Eccleſiam, quam ſæpe affirmo, nunquam probo, demonſtro, oſtendo. Imo ſæpe probaui, demonſtraui, oſtendi, continuatam fuiſſe de ſalute doctrinam per Chriſtum ſolum, omnibus ſæculis, vſque ad Lutheri prædicationem, & hanc veram eſſe doctrinam, ex ſcripturis demonſtrare ſemper ac vbique parati ſumus, imo ſæpe demonſtrauimus. Secundò reſpondes, ſi latuit, non erat vera Chriſti Eccleſia, quæ abſcondi non poteſt. At vera Chriſti Eccleſia inſtar Lunæ vt idem Auguſtinus docet varijs modis occultari poteſt, agnoſcitur tamen à pluribus gentibus ſemper. Tertiò ſi Antichriſtus contra eam ita præualuit, vt in deſertum tot ſæculis compulerit, non erat vera Eccleſia contra quam portæ inferi non præualebunt. Imo omnibus fraudibus & perſecutionibus, non prę̨ualuit Antichriſtus, vt eam è mundo propelleret, quanquam datum eſſet ei ſanctos Dei filios prælio laceſſere & vincere Apoc. 13. Quartò cùm Auguſtino reſpondes quicunque dicit, fortè ſunt aliquæ oues Dei neſcio vbi, quas curat Deus, & ego illas non noui, abſurdus eſt nimis humano ſenſui, qui iſta cogitat. At ego tibi plurimos locos vbi fuerunt oues Dei, modo expreſſi. Quanquam verus Auguſtinus (nam de libri illius auctore ambigitur) alio in loco ſcribit Spiritum ſanctum datum eſſe omnibus ſanctis, ſibi charitate cohærentibus, ſiue ſe nouerint corporaliter, ſiue non nouerint. Quinto relegas me ad ea quæ libro 3. cap. nono diſputaueris, ſed ea talia ſunt, vt niſi formam aliquam ἀποδείξιος eis induas, nulla refutatione digna ſunt. Dico enim latentes pios, ore confeſ-

In lib. de ouib. cap. 16.

De bap. cont. Donat. lib. 6. cap. 4.

ſos

ſos eſſe Chriſtum ad ſalutem, graſſantibus hæreſibus
probatos ac manifeſtos factos, non quidem
ſemper hæreticis, ſed ſibi & Eccleſiæ. Multos erroribus
Antichriſti ſeductos, qui tamen ex illis
reſipuerunt, aut in medijs tenebris palpantes ſeruatos
eſſe, ne ſummæ impietatis blaſphemijs locum
” darent. Sextò me aduerſari dicis cæterorum
” proteſtantium ſententiæ, negando defectionem
” Eccleſiæ, & latitantem ac fugitiuam iſtam Chimeram
” (ſic impuro ore blaſphemias in Eccleſiam
” Chriſti euomis) comminiſcendo. Sed vnde hoc
” probas? Primùm Brentius, Muſculus, Caluinus,
” vocationem ſuam extraordinariam ſine miſſione
” Eccleſiaſtica, & impoſitione manuum presbyterij
” fictam, hoc nomine ac pretextu defendunt, quod
” in erigendis Eccleſijs, vbi nullæ antea fuerant, ordinaria
” ſucceſſio non eſt neceſſaria. Ponunt igitur
” illi nullas eccleſias amplius extitiſſe, quam docere
” inciperent, à quibus ordinariè mitti, & per
” manuum impoſitionem ad verbi miniſterium cõſtitui
” poſſint. Sed peſſimè concludis: nullæ extiterunt
Eccleſiæ, ijs in locis vbi diuinitus ad docendum
vocati eſſent, ergo nuſquam extiterunt.
At cur non inquis à latentis illius Eccleſiæ paſtoribus
& Epiſcopis, impoſitionem manuum acceperunt,
& ad verbi miniſterium ordinati ſunt?
Reſpondeo, quia nec opus erat, cum legittima
eſſet vocatio extraordinaria, nec illi ea authoritate
præditi erant, vt in alienis regionibus aut Eccleſijs
conſtituerent verbi miniſtros, & eorum plerique
in Eccleſia Romanenſi vt baptiſmi ſacramentum,
ita etiam ordinariæ miſſionis ceremoniam

niam, ad prędicandum ſuſceperunt. Euangeliſtarum nomen generali quadam etymologię ratione, in omnes eos competere poteſt, qui Euangelium prædicant. Peculiariter eos deſignat, qui dignitatis gradu Apoſtolis inferiores, affine illis munus habebant, vt illis ſubſidio eſſent in prædicando Euãgelio, & plantandis Eccleſijs, & Chriſti regno erigẽdo. Priore modo, & ſe, & alios Argentinæ Euãgelij prædicationi incũbentes, Euãgeliſtas licuit appellare Luthero. Ipſe etiam cum paucis alijs, quorum opera vſus eſt Deus, ad Antichriſti fraudes orbi per Euangelium detegendas, populumq́; multum ab impia illius doctrina auertendum, & Eccleſijs in his locis vbi collapſæ eſſent reficiendum, Euangeliſtę munus obire potuit. Quod proteſtantes principes in Comitijs Wormacienſibus egerint, vt ab Epiſcopis, Miſnenſi & Numbrigenſi eorum miniſtri ordinarentur: ideo forſitan egerunt, quod infirmioribus in ſuis prouincijs, ea ratione conſultum fore crederent.

Sed vrgere nos pergis: Quod ſi extra Euro- "
pam aliquas eſſe Eccleſias exiſtimarunt, qui fac- "
tum eſt, vt ab illis vel ordinationem vel miſſio- "
nem legittimam non acceperunt? Reſpondeo, "
quia etſi Eccleſias eſſe extra Europam, per Aſiam & Africam alicubi ſparſas, certo ſciunt, nullam tamen illarum ſupra ſe, auctoritatem agnoſcunt, vt ab illis ordinationem aut miſſionem peterent. Quod ſecundo quæris cur ſaltim toto hoc tempore ad confirmationem miniſterij ſuſcepti, Euangelium cum illis non contulerunt ne forte in vanum currerent vel cucurriſſent, etſi non cadẽ

eſt ratio conferendi cum eis, quæ fuit Paulo cum Apoſtolis, & Eccleſia Hieroſolymitana, tamen eſ aliquid quod dicis. Sed meminiſſe debes, continuis ferè bellis à Solimano oppugnatam, nunqu pace firma vſam fuiſſe Europam per annos quadraginta aut eo amplius vt tuta eſſe non potuerit ad eas Eccleſias peregrinatio. Ne tamen prorſu neglectum putes ſtudium cum orientalibus Eccleſijs conferendi, eaſque ab erroribus quibu grauibus quidem implicitę ſunt vindicandi, teſtatur Dauidis Chytræi oratio, teſtantur Epiſtola aliquot Patriarchę Conſtãtinopolitani, aliorumque ex oriente recens ſcriptæ, quam primum collocato in ſede Ottomanico mitioris in Chriſtianos ingenij principe, non defuiſſe huic charitatis officio homines Eccleſiæ, qui eo commodius defungi propter vicinitatem aliaſque occaſiones, quas Deus obtulerat potuiſſe viderentur. Quod vero neque cum Græcis, Armenis, Moſcouitis, neque ipſis Bohemis, per omnia nobis conueniat, non idcirco Eccleſiæ appellationem eis ſuperbe detrahere nobis idoneum videtur, dum ſpes eſt eos ſumma Chriſtianæ religionis capita tenere, aut ſi ignorantia lapſæ fuerint, paratas eſſe cum primum per Euangelij prædicationem lux veritatis illis illuxerit, vt eam obuijs vlnis amplexantur. Quod quæris deinde, an homo Anglus Anglicanæ Eccleſiæ Apologiam latinè & Anglicè conſcriptam non legerim, in qua vocatur tempus hoc beatiſſimum, lux Euangelij in herba, ſtatim ad exortum Euangelij emerſiſſe dicuntur hæretici, Lutherum & Zuinglium ad Euangelij cognitionẽ ac prædicationem primos acceſſiſſe. Ego vero profiteor me illa legiſſe, apud te hominem Anglum, in propugnaculo papiſticæ fidei Anglicè conſcripto, eiſque iamdudum, cæteriſque calumnijs, de Latimero Apoſtolo, de ſecunda Chriſti natiuitate per Lutherum qui genuit veritatem, breuiter quidem ſed ſatis commodè vno ferè verbo reſpondiſſe, hos omnes de reſtitutione Euangelij, veritatis, eccleſiæ, in apertam mundi lucem hominumque conſpectum, hijs diebus inque hæc loca ſenſiſſe, atque loquutos fuiſſe: vt neminem noſtrum, ne per ſomnium quidem dixiſſe, vere aſſeuerauerim, defeciſſe penitus ex orbe terrarum, ita vt nuſquam ſupereſſet, veram Chriſti eccleſiam.

Sed breuiter tandem, & ſyllogiſticè me mendacij conuincis, quod aio, me id Euangelium amplecti & docere, quod ſumpto ab Hieroſolymis exordio in totum terrarum orbem Apoſtolorum laboribus diſſeminatum eſt. Illud enim Euangelium «
per eorundem ſucceſſores perpetuos legitimè «
miſſos (& ita conſpicuè miſſos vt ſemper lux «
mundi eſſent & ciuitas ſuper montem poſita quæ «
abſcondi non poteſt) creuit & creſcet vſque ad «
meſſem, id eſt finem ſæculi: Euangelium autem «
quod nos profitemur, Ita his multis ſæculis totum «
orbem latuit, vt non creuerit per ſucceſſores «
Apoſtolorum, per paſtores & Epiſcopos, in luce «
mundi poſitos, ſed poſt Euangelium illud per Apoſtolos «
diſſeminatum, & per apoſtaſiam totius «
ferè orbis prædictam, iuxta me in deſertum multis «
ſæculis detruſam, Euangelij lux nunc demum «

in herba eſt, nunc demum exoritur, nunc demum per nouos Apoſtolos, & Euangeliſtas hoc tempore datos (vt Caluinus diſertè ſcribit) reparatur. Non eſt ergo Euangelium quod tenemus Apoſtolicum illud &c. Solent repudiari ſyllogiſmi, qui quatuor vt vocant terminis conſtãt, hic vero tuus penè quatuordecem continet. Nam cum ad propoſitionem quam commodè intellectam, totam tibi concedo, ſubiungere debueras, nihil horum vel non omnia ſaltem Euangelio quod nos profitemur conuenire: tu contra, Euangelium latuiſſe, idque per totũ orbẽ, paſtores, & Epiſcopos non in lucem mundi vt Chriſtus, ſed in luce mundi poſitos, & cætera repetitione indigna, aſſumis, ita vt concluſio tua legittima cum propoſitione & aſſumptione connexione, nullo modo coherere poſſit. Nam Euangelium quod profitemur, ab Hieroſolymis inceptum toto orbe diſſeminari, per eorundem Apoſtolorum ſucceſſores perpetuos legittime miſſos, ita vt ſemper lux mundi eſſent & ciuitas ſuper montem poſita quę abſcondi non poteſt, creuit, & ad finem vſque ſæculi creſcet, ad Dei gloriam, & electorum ſalutem, vtcunque illud diabolus & Antichriſtus odio pluſquam Vatiniano proſequuti ſunt, & ex orbe terrarum » eradicare funditus ſed omnino fruſtra moliuntur, vt » ſciat mundus quod pater filium Chriſtum » miſerit, quem & omnium dominum conſtituerit, vt » deniq; omnis lingua in extremo iudicio confiteatur, quod Ieſus ſit dominus ad gloriã Dei patris, quem locum ſcripturæ neſcio an tu ad præſentis ſæculi tempus accommodaueris.

LATI-

LATITANTIS PROteſtantum Eccleſiæ aliis cauil*lationibus defenſa refutatio*nes aliæ.

CAPVT V.

I*AM verò ne ſecundam reparationem fateri cogaris, & vt latentem tuam fugitiuam ſemel à te ſuſceptam omnino defendas, iterum in hunc modum argumentaris.* An non Eccleſiam ſanctam Catholicam credimus, quia non cadit in aſpectum? Eſt enim fides eorum quæ non cernuntur demonſtratio. Quamuis igitur non ſemper oculis conſpicua ſit externa Eccleſiæ in pace florentis politia, nunquam tamen periiſſe vel perituram eſſe certo confidimus. *Huic tuo obſoleto & trito argumento iam ſuperius in hoc opere reſpondimus. Sed tu illud totum homo cautus diſsimulas. Quare plura hoc loco adiiciam, ne ſemper diſsimules. Vide igitur quot modis à veritate aberras. Si ideo credimus Eccleſiam Catholicam, quia non cadit in aſpectum, ergo nunquam cadet in aſpectum, ſed erit ſemper inaſpectabilis; Semper enim illum Symboli articulum credere debemus. At ipſemet hoc loco dixiſti,* « non quidem ſemper eſſe oculis conſpicuam eius externam politiam, *manifeſtè ſignificans*

Stapletonus.

Lib.2. cap. 19. 1.

Non credimus Eccleſiam quia inaſpectabilis eſt.

2 „cans aliquando eam eſſe conſpicuam. Deinde rogo abs te,
„quam credis tu Eccleſiam Catholicam? Illamne tantùm
quæ iam à multis ſæculis detruſa in deſertum latuit: an
illam quæ primis illis ſæculis in conſpectu orbis floruit,
antequam ad Antichriſtum orbis apoſtataſſet? An vtramque?
Si priorem illam tantummodo, alienus es igitur
à corpore primæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ quæ totis
ſexcentis annis antè Bonifacium floruit in conſpectu hominum.
Si poſteriorem hanc credis, viſibilem & aſpectabilem
3. Eccleſiam credis. Talis enim illa fuit. Non ergo
propterea credis Catholicam Eccleſiam quia non cadit in
aſpectum, ne ita nullam credas quæ cadit in aſpectum. Si
vtramque credis, vides igitur aliunde ſenſum quærendum
eſſe cur credimus Eccleſiam Catholicam quam hanc
quam tu ponis; quia ſub aſpectum non cadit. Alioqui
nullam niſi latentem & inuiſibilem Eccleſiam crederemus.
Quod quidem multi ex tuis dixerunt. Sed alij plures
illud poſtea negauerunt, vt in hoc opere alibi oſtendimus.
4. Rurſum quæro abs te, Eccleſiam hodie Anglicanã,
Scoticam, Geneuenſem, Saxonicam, Helueticam credis
eſſe Eccleſiam Catholicam, an non? Si credis; profectò
viſibilem & aſpectabilem Eccleſiam credis. Si non credis,
quomodo membrum illarum te eſſe profitebere? Poſtremò
5. ne te multis fatigem, ſi ideo credimus Eccleſiam
Catholicam quia non cadit in aſpectum, doce nos vel
quomodo inuiſibilem Eccleſiam audire, conſulere, adire
poſſimus; vel an aliam audire & conſulere debeamus,
quàm quæ in Symbolo credenda proponitur. Reſponde etiam
& ſuccurre variis illis neceſſitatibus, quibus abſq;
Eccleſia aſpectabili & probè cognita circa cauſas fidei
„inuoluimur, quas explicatas habes in hoc opere lib. 3.
„ca. 6. & circa finem ca. 7.

Malè ſe habet, quòd vos hodie vt olim Donatiſtas Auguſtinus, conuenio & rogo, poſt Apoſtolicum ſemen per omnes gentes diſſeminatum, quid nobis adfertis noui? Reſpondes libere, vos planè nihil noui adferre, ſed illud ipſiſſimum bonum ſemen ab Apoſtolis diſſeminatum docere, quod omnibus ſæculis à piis doctoribus, veris Apoſtolorum ſucceſſoribus, quanquam non in omnibus, in aliquibus tamen per vniuerſum orbē locis, iam inde ab Apoſtolorū temporibus remanſit, & ad finem vſque ſęculi remanſurum eſt. *Si ita ſe res habet, age, oſtende nobis hos pios Doctores, veros Apoſtolorum ſucceſſores, oſtende nobis ſaltem aliqua illa loca in quibus diſſeminatum ab Apoſtolis verbum perpetuò confirmauerint. Et ne longè abeamus, in tua Anglia, & in proxima Gallia, aut etiam ſi vis in Germania, hos pios doctores, hos Apoſtolorum ſucceſſores, qui perpetuò ſeminauerint, & per quos perpetuò creuerit Euangelij ſemen oſtende. Ecce nos tibi in Anglia oſtendimus à primo Auguſtino gentis noſtræ Apoſtolo ante annos iam ferè mille Cantuarienſi Archiepiſcopo, & gentis noſtræ Metropolitano, ad noſtram vſque ætatem perpetuos Epiſcopos & paſtores. Habes in Polydori Virgilij hiſtoria Anglicana per omnes Angliæ Epiſcopatus omnium Epiſcoporum ſeriem & ordinem deſcriptum. Præſtitit hoc ſuæ Galliæ imò toti ferè Eccleſiæ Chriſtianæ vir doctiſſimus Antonius Demochares in opere de ſacrificio Miſſæ, ex omnium ferè Eccleſiarum gentis ſuæ regiſtris, & ex alijs hiſtoricis & Eccleſiaſticis ſcriptoribus varijs, Epiſcopos & paſtores deſcribens, qui à prima Euangelij propagatione ſemen Euangelij in Galliis adeoq; toto ferè orbe terrarum diſſeminauerint. Profer tu aliquid ſimile vel in tua Anglia, aut vbicunque loco-*

Proteſtantum Doctrina non poteſt eſſe ſemen Dominicum.

Lib.2.cap.6. & ſeq.

locorum vis. Dico & iterum Dico. Alios proferre non potes quam etiam tuo iudicio hæreticos. Neminem proferre potes qui dogmata ſectæ veſtræ, & vobis Anglorum Caluiniſtis & Laicocephalis propria, omnia & ſola docuerit atque crediderit. Et tamen ſola ſecta veſtra, ſi vobis credimus, vera Chriſti Eccleſia eſt. Puritanorum, Anabaptiſtarum, Lutheranorum, Familiæ amoris ſectæ, etiam veſtro iudicio veræ Eccleſiæ non ſunt. Sed me miſerum. Quàm vos fœdè, vos inquam in Anglia, Chriſti Domini tunicam inconſutilem dilaceraſtis? Quid tunicam dico? In quot membra & partes corpus eius myſticum, Eccleſiam Anglicanam quæ vno olim & ſanctiſſimo conſenſu Chriſtum coluit, diſſecaſtis? hæc ſunt quæ attuliſtis noua: hæ ſunt prophanæ non vocum tantum ſed & rerum nouitates: hæ ſunt peregrinæ & varię doctrinæ quibus miſeros Anglos abduxiſtis.

Ad te redeo, qui ſubiungis hoc loco, Auguſtinum non vobis ſed nobis anathema dixiſſe, qui aliud euangeliſamus præterquam id quod accepimus. Cuius enim (*inquis*) Apoſtoli literis conſtat (vt cætera omnia præteream) ſolam Romanam eſſe Catholicam, & Pontificem Romanum caput eſſe vniuerſæ Eccleſię, Papam & Eccleſiam Romanam non poſſe errare? *Reſpondeo ex Scripturis anteà citatis conſtare, illam ſolam eſſe Catholicam Eccleſiam, quæ incipiens à Hieruſalem creuit per orbem terrarum vſque ad meſſem. Talis autem eſt ſola Romana, id eſt, ſola illa Chriſtianorum ſocietas quæ Romanæ Eccleſiæ communionem tenet. Rurſum Pontificem Romanum Petri ſucceſſorem eſſe caput Eccleſiæ ipſemet Chriſtus docuit Matth. 16. & Ioan. 21. Poſtremò illam Petri ſedem errare non poſſe idem Chriſtus promiſit Luc. 21. Hęc tria nos in hoc* *opere accuratè vt potuimus, demonſtrauimus, & quidem ex ipſis Scripturis, quod ad duo poſteriora attinet: ex hiſtoria Eccleſię quod ad prius ſpectat, quia res facti eſt. Sed tu quaſi nihil in libro meo aliud vidiſſes, quàm hęc duo capita quarti libri, ita cætera illa omnia altiſſimè diſſimulas. Atque vel nunc ſaltem eò recurre vt videas. Videbis enim nos in tribus iſtis quæ propoſuiſti, nihil aliud Euangeliſare quàm quod à Chriſto & Apoſtolis accepimus.*

Subiungis vir modeſtiſſimus & mitiſſimus hominum
ſuper terram. Tibi etiam homini vaniſſimo, qui tam «
magnum & impudens mendacium de Eccleſia «
quæ in deſertum fugit deperdita, toties ac tam «
putidè inculcas, anathema dicit Auguſtinus, quod «
ex te iſta dicas non ex diuinis libris. Fugiſſe in «
deſertum Eccleſiam, etiamſi rumparis medi- «
us, prodidit Spiritus Sanctus. At idcirco pe- «
riiſſe, quòd Antichriſti tyrannidem fugiendo de- «
clinauerit, id Stapletonus totus ex fraude & «
mendacio compoſitus impudentiſſimè confinx- «
it. *Reſpondeo Latitantem in deſerto per multa ſe-* «
cula & ætates Eccleſiam, nullam eſſe Chriſti Ec- «
cleſiam; ideoq; eo caſu periiſſe Eccleſiam, non ego con- «
fingo, ſed Chriſtus docuit; dicens ſuæ Eccleſiæ. Vos «
eſtis lux mundi, Non poteſt abſcondi Ciuitas «
ſuper montem poſita. *Et vt ſemper ita futurum oſten-* «
deret, iterum dixit. Ego vobiſcum ſum omnibus die- «
bus vſque ad conſummationem ſæculi. *Rurſum do-* «
nec tu oſtenderis huius latitantis Eccleſię pios Doctores, «
Paſtores & Epiſcopos, non ego ſed tu latitantem Eccle- «
ſiam quę nulla eſt, ideoq; periiſſe, confinxiſti. Præterea non «
ego confinxi, ſed ſodales & conſeruę, vel potius Magiſtri

1. *tui, Caluinus, Muſculus, Brentius, & alij ſuperius pro-*
Matth. 5. *ducti, ipſi denique Apologiæ veſtræ architecti non lati-*
Matth. 28. *taſſe vt tu, ſed potius perijſſe, defeciſſe & extinctam fu-*
2. *iſſe veram Chriſti Eccleſiam à multis ſæculis, vſque ad*
3. *hæc noſtra tempora, conſtanter docuerunt, vt ſupra oſten-*
dimus. Quare ſi mendacium hoc eſt, non Stapletonum, ſed illos omnes pronuncia vaniſſimos eſſe, magnum & impudens mendacium protuliſſe, ac denique totos ex fraude & mendacio compoſitos eſſe. Mihi verò G. F. etiam periucundum eſt propter Chriſtum & verbum eius, propter Eccleſiam & corpus eius, iſtas contumelias à te pati.

Fulco. ECcleſiam ſanctam Catholicam credimus, quia non cadit in aſpectum. Eſt enim fides eorum quæ non cernuntur demonſtratio. Quamuis igitur non ſemper oculis conſpicua ſit externa Eccleſiæ in pace florentis politia, nunquam tamen perijſſe, vel perituram eſſe certo confidimus. Hoc tu argumentum tritum vocas & obſoletum, cui tu alibi in tuo opere reſponderis, quod ego homo cautus diſſimulare volui. Sed ne ſemper diſſimulem, plura hoc loco adijcis, meque videre vis, quot modis à veritate aberrem. Age oculis in te intentis expecto quid adferas. Primum ſi ideo credimus (inquis) Eccleſiam Catholicam, quia non cadit in aſpectum, ſemper erit inaſpectabilis, quia ſemper illum Symboli articulum credere debemus. Hoc recte à te concluſum fateor. Eccleſia enim Catholica, quæ eſt omnium electorum

numerus, corpus Chriſti (myſticum, & Hieruſalem
cæleſtis quæ mater eſt omniũ noſtrûm, nunquam
eſt corporeis ac mortalibus ſed fidei tantum
ac ſpiritualibus oculis aſpectabilis. Externa
tamen eius politia, quoad eam duntaxat partem
quæ in terra militat, aliquando eſt omnium fere
oculis conſpicua, interdum mundo, hoc eſt aduerſarijs
Eccleſiæ, eſt incognita. Nihil igitur hoc
argumento mihi extorſiſti, quod non libere ſemper
profeſſus fuerim. Secundo rogas à me, quam
credam ego Eccleſiam Catholicam? Illamne tantum
quæ iam à multis ſeculis detruſa in deſertum
latuit, aut illam quæ prioribus ſæculis in conſpectu
orbis floruit? An vtramque? ſi latentem tantũ
alienus ſum ab Eccleſia Apoſtolica, ſi priorem
conſpicuam, aut vtramque, viſibilem & aſpectabilem
credo. Atqui ego vt in ſymbolo edoctus ſum,
non credo hanc & illam, per partes & tempora diuiſam,
ſed ſanctam Catholicam, & vniuerſalem
Eccleſiam, & omnium ſanctorum qui ſunt, qui fuerunt,
quique futuri ſunt communionem. Agnoſco
tamen vtramque illam tanquam membra &
partes totius, propter fidei ſanæque doctrinæ,
quam amplexæ ſunt, ad vniuerſalem illam communionem
Hieroſolymæ cœleſtis, quæ omnium Gal.4.
mater eſt, ſpectauiſſe, & ſpectare, quarum externæ
politiæ etiamſi nulla veſtigia in terra extantia
oculis cernere potuiſſem, non minus tamen crederem,
propter Chriſti promiſſionem, vniuerſam
illam Chriſti familiã, cognationem, ſiue vt Paulus
vocat πατριὰν, in cœlo & in terra, quam ſi omnes Epheſ.3.
vbique per totum terrarum orbẽ homines (quod

1.Reg.19.
Rom.11.

nunquam ſperare auſim) Chriſtianam religionem publice profitentes viderem. Rurſum quæris à me: Eccleſiam hodie Anglicanam, Scoticam, Geneuenſem, Saxonicam, Heluoticam, credo ne eſſe Eccleſiam Catholicam, an non? Reſpondeo partes eſſe ſiue membra Catholicæ Eccleſiæ, quæ aliquando ſunt omnibus conſpicua interdum plurimos latent, vt Eliam veri Iſraelitæ, profiteor itaque me Anglicanæ Eccleſiæ membrum eſſe, eo quod ipſa Catholicæ Eccleſiæ, quam credo, membrum eſt. Vltimo, ſi ideo credimus Eccleſiam Catholicam, quia non cadit in aſpectum: doceri vis, vel quomodo inuiſibilem Eccleſiam audire, conſulere, adire poſſumus, vel an aliã audire & conſulere debeamus, quam quæ in ſymbolo credenda proponitur. Reſpondeo Catholicam Eccleſiam audire, conſulere, & adire non poſſumus aliter quam in ſuis partibus ac membris, quæ ſunt Eccleſiæ ſingularum gentium, ciuitatum, parœciarũ earumque paſtores. Sed tam hij, quam illæ poſſunt eſſe hominum, qui religionem Chriſti perſequuntur, aut contemnunt, vulgo incogniti; audiri vero conſuli, atque adiri poſſunt à pijs ac religioſis Chriſtianis, quibus cognitæ ſunt Eccleſiæ, niſi quod interdum tam grauis eſt perſecutionis tempeſtas, vt ad tempus diſſipata Eccleſia, ad vſus religionis maxime neceſſarios coire non poſſit, alioqui omnibus illis neceſſitatibus quibus circa fidei cauſas inuolui homines dicis, Eccleſiæ turbæ impiorũ incognita, ſatis cõmode ſuccurrere poterit.

Male me habere ais, quod nos hodie, vt olim Donatiſtas Auguſtinus, conuenis & rogas, poſt

Apoſtolicũ ſemen per omnes gentes diſſeminatũ, quid vobis adferimus noui? cumq; ego liberè reſpondeã, *nihil planè noui, ſed ipſiſſimũ bonum ſemen ab Apoſtolis diſſeminatum, quod iam inde ab Apoſtolorum temporibus à pijs doctoribus, veris Apoſtolorum ſucceſſoribus ſeminatũ ſemper manſit, & ad finẽ ſæculi manſurũ eſt.* Si ita ſe res habet, oſtendi vobis poſtulas, hos pios doctores, veros Apoſtolorũ ſucceſſores, ſaltẽ aliqua illa loca in quibus diſſeminatũ ab Apoſtolis verbũ perpetuò conſeruarint. Atqui iam oſtendi plurima loca, nec tacui quorundã doctorũ nomina. Plura ſi ſcire velles, hiſtoriæ tibi abunde ſuppetunt. Sed tu fortè continuatã ſucceſſionẽ poſtulas, qualis eſt Cantuarienſiũ Archiepiſcoporũ ab Auguſtino, aliorumq; alijs in ſedibus Epiſcoporum, deinde repetis *te dicere & iterum dicere, quod alios proferre non poſſum, quàm etiam meo iudicio hæreticos.* At ego tibi hoc iterum atque iterum pernego. Non ſunt enim meo iudicio hæretici, vt vetuſtiores omnes taceam, Bertramus, Marſilius de Padua, Henricus de Gandauo, Bruno Andegauenſis, Petrus Valdus, Ioan. Wiclefus, Ioan. Hus, Hieronymus Pragenſis, alijq; ſimiles, qui pij erant Doctores & Apoſtolorũ in doctrina ſucceſſores, quãquam forſitan per omnia doctrinã apoſtolicam illorũ temporũ iniuria impediti, non cognouerunt, in præcipuis tamen adq; ſalutem neceſſarijs articulis, eam amplexi ſunt atq; docuerunt. Quod ſi neminem pro pio doctore aut Apoſtolorum ſucceſſore agnoſcere licet, qui non omnia & ſola docuerit atque crediderit, quæ docemus ac credimus, eadem ratione, nec tu illam ab Auguſtino ſucceſſionem vendicare poteris, cum certum ſit nec omnia nec ſola, quę docetis ac creditis, Eccleſiam Anglicanam, per quadringentos ab Auguſtino annos docuiſſe ac credidiſſe, vt per quinquaginta veteris Anglorum Eccleſiæ ab hodierna Papiſtica differentiæ notas, demonſtraui, in eo libello quem contra tuum fidei Papiſticæ fortalicium, tribus ab hinc annis euulgaui. Non igitur nos Domini tunicam inconſutilem, & multo minus corpus eius myſticum dilacerauimus, vt tu nos immerito accuſas, ſed vos potius à Chriſto & capite, & corpore eius quod eſt Eccleſia, defeciſtis, nouum caput Romanum Antichriſtum, nouumq; corpus, eius ſynagogam infinitis turpiſſimarum hęreſeωn erroribus immerſam vobis adaptaſtis.

Tamen cum à me vrgeris vt proferas cuius Apoſtoli literis conſtet *ſolam Romanam eſſe Catholicā, & pontificem Romanum caput eſſe vniuerſæ Eccleſiæ, Papam & Eccleſiam Romanam non poſſe errare:* Reſpondes ex Scripturis antea citatis, conſtare, illam ſolam eſſe Catholicam Eccleſiam, quæ incipiens ab Hieruſalem, creuit per orbem terrarum vſque ad meſſem. Talis autem eſt ſola Romana, id eſt ſola illa Chriſtianorum ſocietas, quæ Romanę Eccleſiæ communionem tenet. Sed hanc tibi aſſumptionem quis conceſſerit? Rurſum pontificem Romanum Petri ſucceſſorem, eſſe caput Eccleſiæ, ipſummet Chriſtū docere ais: Matt. 16. & Ioan. 21. At excipio, de Pōtifice Romano, aut Petri ſucceſſore, aut denique quod Petrus ſit caput Eccleſiæ, nullum verbum eſt in illis locis, aut igitur ſyllogiſtica concluſione demonſtrare debes, ex illis locis Romanum pontificē eſſe caput vniuerſę Eccleſiæ, aut laterem quod aiunt lauas, dum illa teſtimonia citas. Poſtremò illam Petri ſedem errare non poſſe, eundem Chriſtum promiſiſſe ais Luc. 22. At de Petri ſede nulla illic mentio, immo nec ipſum Petrum nunquam erraturum, Chriſtus promiſit vnquam. Quare niſi ſeruatis dialecticorũ legibus, iſta aliter quam in magno opere tuo, quo ſæpe me recurrere iubes, in anguſtias ſyllogiſmorum conſtrinxeris, horum omnium argumentorum conſequutionem, quod eorundem leges reſpondenti permittunt, prorſus nego. Tu videris an logicum iudiciũ refugere tibi tutius ſit, an veritatis ſtudio omnẽ nobis tergiuerſandi anſam pręcidere malis.

Cum eodem te Anathemate ferio ex Auguſtino, quod tu in nos contorquere ſtudebas, *qui toties tamque impudenter mendacium de Eccleſia, quæ in deſertũ fugit deperdita inculcas quod hæc ex te dicas non ex diuinis libris. Illi autem fugiſſe in ſolitudinem Eccleſiam etiamſi medius crepueris non diffitentur, tu quod fugiendo Antichriſti tyrannidem declinauerit idcirco perijſſe impudentiſſime confinxiſti.* Poſtquam modeſtiam meam irriſeris, quaſi tu verecundius mentiri poſſis, quam ego te mendacij coarguere: tandem reſpondes: Te non confingere, ſed Chriſtum eadem docuiſſe, nullam ſcilicet eſſe Eccleſiam quæ latitat, cum diceret ſuæ Eccleſiæ, vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita: Matth. 5. Deinde vt ſemper ita futurum oſtenderet, iterum dixit. Matth. 28. Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi: ſed hæc quam parum ſuffragentur mendacio tuo, quod nunquam perituram Eccleſiam agnoſcas, etiam ſi tandem in illas deſerti latebras ſub finem ſæculi(quod negare non audes)detruſa fuerit, ſatis in his quæ præceſſerunt demonſtraui: vt etiam quo iure in me mendacium illud retorquere cupis, niſi latitantis Eccleſię pios doctores, paſtores & Epiſcopos oſtendero: cum aliquos oſtenderim omnes autem quandoquidem latuerit Eccleſia cum ſuis Doctoribus, iniquiſſime vt oſtendam poſtulas. Poſtremo neque Caluinus, Muſculus, Brentius, aliique ſuperius à te producti periiſſe funditus Eccleſiam, ita vt nuſquam extaret, vel ſenſerunt vel ſcripſerunt, vtcunque tu nonnullas eorum voces miſere à toto corpore auulſas, & longiſſimè ab eorum mente detortas arroſeris. Non igitur contumelia propter Chriſtum, eiuſque Eccleſiam à me afficeris, ſed vanitatis & mendacij vtcunq; durius & aſperius, merito tamen argueris.

QVOD ILLA SOLA eſt vera Eccleſia quæ ſuos Pa*ſtores perpetua ſucceſſione demonſtrare* poteſt, luculenta demonſtratio.

CAPVT VI.

Stapletonus.

NVNC *argumentum quod in fine huius diſputationis pro Catholica Eccleſia attexueram magno impetu aggrederis. Argumentum huiuſmodi eſt. Quia ſemen* *veræ doctrinæ creſcit vſque ad meſſem, nec creſcere poteſt niſi per operarios miſſos in meſſem, ſequitur Catholicam vulgò dictam Eccleſiam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſolam eſſe verè agrum dominicum, quæ videlicet operarios ſuos, miniſtros verbi & Eccleſiarum paſtores, perpetua per omnes ætates ſucceſſione demonſtrare poteſt. Hic reſpondes.* Hoc tuo argumento quid fingi poteſt leuius, quid eneruatius? Nec enim propoſitione conſtat vera, nec aſſumptione probabili, nec complexione cum antecedente vlla neceſſitate cohærente. *Vitioſum ſanè magis argumentum nullum eſſe poteſt, quàm iſtud noſtrum, ſi his tribus quæ illi impingis, vitiis laborat. Age igitur. Audiamus te in ſingulis. Propoſitionem non eſſe veram his verbis probas.* Nam quis hoc fateatur ſolam eſſe veram Eccleſiam quæ ſuos paſtores perpetua ſucceſſione demonſtrare poteſt? Petit enim ac mendicat impudenter hæc propoſitio quod hactenus in controuerſia poſitum fuit. *At in principio huius capitis quod nunc impugnas, iſtud probaueram. Et vide nunc quàm breuiter eandem propoſitionem iterum probem, ne me ſemper petere principium, aut mendiciter tecum agere dicas. Illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, in qua tanquam agro dominico ſemen Euangelij per Apoſtolos ſeminatum, perpetuò creſcit vſque ad meſſem. Sed illud ſemen perpetuò non creſcit, niſi perpetuò ager colatur in quo creſcit; nec coli poteſt ager niſi per operarios miſſos in meſſem* (quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?) *idcóque operarios perpetuos, perpetuò ſibi ſuccedentes, habere ille ager debet. Ergo illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia quæ ſuos Paſtores per-*

Lib.4.cap.10.

Vera Eccleſia perpetuam Paſtorum ſucceſsionem poteſt oſtendere.

Epheſ.4.
Matth.24.

perpetua ſucceſſione demonſtrare poteſt. Rurſus. Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ paſtores & Doctores, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, *id eſt,* donec impleantur tempora gentium, vt tunc veniat conſummatio: *id eſt, dedit Eccleſiæ ſuæ Paſtores vſque ad conſummationem ſæculi duraturos. Sed durare hic ordo paſtorum & Doctorum non poteſt, ſine durabili & perpetua eorundem propagatione & generatione ſpirituali, id eſt ſine legitima ordinatione & miſſione: Nec ordinari & mitti poſſunt niſi ab anteceſſoribus & maioribus ſuis, quibus hac ratione in officio Paſtorali ſuccedunt. Ergo Chriſti Eccleſia illa ſola eſt, quæ ſuos Paſtores & Epiſcopos perpetua ſucceſſione poteſt oſtendere. Habes igitur primam noſtram propoſitionem ſatis luculenter duplici argumento ex Scripturis petito confirmatam. Illam tamen vt enerues & infirmes, ſubiungis.* Neque enim vera Eccleſia ordinariam in eiſdem ſemper locis ſucceſſionem demonſtrare poteſt. *Hanc in eiſdem ſemper locis ſucceſſionem nunquam à me affirmari legiſti. Itaque illi tuæ euaſioni ſeu cauillationi potius ſuperius reſpondi. Addam tamen hoc loco quædam. Conſeruatur ſucceſſio Apoſtolica ratione officij Paſtoralis, quod in Eccleſia vera nunquam abrumpitur, licet ratione eorundem locorum ſæpius abrumpatur; ſiue aliò tranſlata ſede Epiſcopali (vt à Roma Auinionem in Gallia ab ipſis Petri ſucceſſoribus factum eſt) ſiue ipſa religione Chriſtiana certis in locis penitus ſublata, & in alia loca diuina prouidentia tranſplantata, quod aliquoties factum in Orationibus noſtris quodlibeticis nuper in lucem editis annotauimus.*

Succeſſionis ordo & perpetuitas quamuis non in eiſdem locis.

Orat.1.

Aliud igitur & longè aliud eſt ſucceſsio eorundem locorum vel in eiſdem locis, aliud vero ſucceſsio perpetua officij Paſtoralis certis in locis. Exempli cauſa in Anglia noſtra non longè poſt aſcenſionem Chriſti per Fugatium & Damianum ab Eleutherio Romano Pontifice miſſos, illa inſula (tunc Britannia dicta) ad fidem conuerſa eſt, habuitque Epiſcopos & Paſtores magno numero, vt narrat Polydorus. Poſtea occupantibus illam inſulam Angloſaxonibus, & indigenis Britannis in illas anguſtias adductis quas adhuc hodie Walli ſub ſceptro Anglicano occupant, poſtquam 150. annis in paganiſmo manſiſſent. Gregorio Magno authore ab Auguſtino Monacho eiuſque ſociis ad fidem Chriſti illa gens noſtra primùm conuerſa eſt. Qua quidem conuerſione facta, ſucceſsio officij Paſtoralis in fide & religione Chriſti, quæ per annos 150. in maxima Britannię parte, penitus abrupta & extincta fuerat, reſtituta fuit; non tamen quaſi noua reparatione & nouo initio facto, vt Auguſtinus ille à nulla Eccleſia miſſus, à nullo anteceſſore ordinatus, Paſtorale officium ibi exercuerit, ſicuti tui Magiſtri hodie à nemine miſsi nec ordinati, Cathedras Eccleſiaſticas inuaſerunt, ſed à ſucceſſore Petri Romano Pontifice miſſus, & ab Epiſcopis Galliæ ordinatus per impoſitionem manuum præsbyterij, in Paſtorali officio Apoſtolo Petro ſucceſſit, quia ad Apoſtolum Petrum tam per Gregorium à quo miſſus eſt, quàm per Epiſcopos Galliæ à quibus ordinatus eſt, qui Gregorij communionem tenuerunt, originem ſuam refert. Apoſtolorum enim ſucceſſores ſunt, non ſolùm qui ſedes ipſas Apoſtolicas occupant, (quo ſenſu ſolus hodie Romanus Pontifex Apoſtoli alicuius ſucceſſor eſt,

Lib. 1. hiſtor. Angl.

Beda lib. 1. hiſtor. gentis Anglorum.

Beda lib. 1. Cap. 27.

Apoſtolorũ ſucceſſores, qui.

Petri ſcilicet,) ſed etiam qui ad aliquem Apoſtolum vel Apoſtolicum virum qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, originem ſuam referre poſſunt, vt docuit Tertullianus in præſcript. cuius verba ad hanc rem pertinentia alibi in hoc opere produximus. Et hoc ſenſu Epiſcopos atque ſacerdotes omnes Apoſtolorum ſucceſſores *vocat Hieronymus. Nec alio ſenſu* præpoſitos Eccleſiæ omnes vicaria ordinatione Apoſtolis ſuccedere *ſcripſit Cyprianus. Eodem quoque ſenſu ſcripſit Irenæus*, illis presbyteris obaudiendum eſſe qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis. *Non quòd eiſdem locis docuerint & ſederint in quibus Apoſtoli, ſed quia ſucceſſionis ſuæ lineam ab aliquo Apoſtolo deducere, & originem ſuam ad aliquem Apoſtolum referre poſſunt. Hac ergo ratione Anglicana Eccleſia à prima ſua ad fidem vocatione, vſque ad hoc ſchiſma veſtrũ, in quod ſecundò iam relapſi eſtis, ad voluntatẽ noui principis, vera fuit Chriſti Eccleſia: quia toto illo tẽpore eius Catholicæ Eccleſiæ pars & membrũ fuit, in qua perpetua paſtorum ſucceſſio ab aliquo Apoſtolo continua ſerie decurrens oſtendi poteſt. Nam qui in ipſa Anglia perpetua fuerit iuxta eadem ſemper loca Paſtorum ſucceſſio. Nam & aliquot annis paganiſmus in ea obtinuit, quum vicinæ gentes & Gallia & Scotia fidem Chriſti profiterentur, vt propterea primi eius paſtores & Epiſcopi, nec Anglis vllis ſucceſſerint, nec tamen à ſeipſis orti fuerint (ſicuti tuæ ſectæ magiſtri) ſed ab Apoſtolorum ſucceſſoribus miſſi & ordinati, Apoſtolorũ quoq; ſucceſſores ipſimet facti fuerint, & eorum Eccleſia Apoſtolica, iuxta Tertulliani Doctrinã ſuperius in hoc opere explicatam; & prætereà multæ ſedes Epiſcopales in ipſa Anglia vel*

tranſlatæ

Lib.4.cap.5.

In epiſt. ad Heliodorum.

Lib.4.cap.9.

Lib.4.cap.43.

tranſlatæ & mutatæ in alia loca, vel quibuſdam extinctis nouæ erectæ ſunt. Cuius rei demonſtrationem, quia facilè ex hiſtoria venerabilis Bedæ & alijs annalibus gentis noſtræ peti poteſt; eſtque omnibus ferè prouincijs res illa communis, hoc loco prætermitto. Non itaque (vt dixi) propter eorundem locorum perpetuam occupationem, ſed propter eiuſdem vocationis, miſſionis, & ordinationis perpetuam connexionem, propter ſucceßionis lineam ab aliquo Apoſtolo decurrentem, noſtra Anglia (exempli cauſa) perpetuam Paſtorum ſuorum ſucceſſionem demonſtrare poteſt. Ideo enim perpetua Paſtorum ſucceßio eſt verę Eccleſiæ nota & argumentum, quia cum perpetua ſit Chriſti Eccleſia nunquam deficiens aut defectura vſque ad finem ſæculi (quod tu ipſe G. F. diligenter in hoc libello tuo aſſeris) perpetua autem eſſe ſine perpetuis paſtoribus non poteſt, (fides enim ex auditu, & quomodo audient ſine prædicante?) Iſti paſtores non aliter poſſunt eſſe perpetui, niſi perpetua ſit quædam mißio, ordinatio, quaſique ſpiritualis generatio & propagatio Paſtorum. Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur? Ad hanc autem miſſionem & propagationem ſpiritualium magiſtrorum Ordinis ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt, vt facta impoſitione manuum præsbyterij, ſegregarentur perpetuò quidam ad verbi & doctrinæ miniſterium, ſicuti Paulus & Barnabas ſegregati ſunt: vt in ea loca mitterentur, ad quæ aliorum Apoſtolorum ſonus nondum peruenerat. Hinc ergo fit, vt vbicunque talis perpetua paſtorum ſucceßio, non in eiſdem locis, ſed in eadem legittima & ſucceßiua vocatione, miſſione & ordinatione oſtendi poteſt, ibi ſit vera Chriſti Eccleſia Catholi-

Quære perpetua ſucceßio eſt vera Eccleſię nota.

Rom.10.

Act.14.

Act.14.

tholica; id eſt Eccleſię Catholicæ pars & membrum. Vides nunc igitur, ſatis opinor luculentè, G. F. *quando perpetuam paſtorum ſucceſsionem docemus & urgemus, longè aliud & amplius nos quàm ſolam eorundem locorum ſucceſsionem (qua inani cauillatione ſucceſsionis Eccleſiaſticæ potentiſſimum argumentum declinare, excutere, euadere te poſſe ſperaſti) cogitare & docere.*

Aliam tamen adhuc qua euadas rimam aucuparis & dicis. Nec quæ per omnes ætates perpetuam Epiſcoporum ſeriem ad hæc vſque tempora continuare valeat, veram eſſe Eccleſiam vel tute Stapletone conceſſeris. *Quînam iſtud obſecro?* Non enim neſcis (*inquis*) orientales Græcorum Eccleſias quas vos pro hæreticis ac ſchiſmaticis habetis, ab ipſis Apoſtolorum fundamentis, perſonarum ſucceſſionem continuam è ſuis diptychis demonſtrare paratos eſſe. *Breuiter reſpondeo, Græcorum Eccleſias nec perſonalem ipſam ſucceſsionem perpetuam poſſe demõſtrare, quia multis in locis Mahometiſmus illam penitus abrupit (vt à multis iam annis Antiochię in Syria anno 768. Hieroſolymis anno 636.) quam tamen annis 500. poſt recuperata terra ſancta repararunt vtrobique latini, donec annis 140. poſt vtrobique iterum diſrupta eſt (Alexandriæ in AEgypto anno 650. ut diligenter chronographi & hiſtorici annotarunt) nec vbi adhuc perdurat talis perſonalis ſucceſsio, Catholicæ tamen ſucceſsioni quicquam habere affine aut ſimile; quia propter hæreſes quas tenent, & ſchiſma quod faciunt, legittima illa ſucceſsio non eſt. Quam ſanè ob cauſam quum ſucceſsiones Apoſtolicæ lineam diligenter vrgeret Tertullianus, prouidenter tamen non ignarus* habere & fauos

Græcorum ſucceſsio verè Eccleſiaſtica ſucceſsio non eſt.

ſuos veſpas, habere Eccleſias & Marcionitas, *& quoſuis hæreticos, adiecit.* Confingant tale aliquid hæretici: (*origines Eccleſiarum & ordines Epiſcoporum dicit*) Sed etſi confixerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronunciabit neque Apoſtoli alicuius authoris eſſe nec Apoſtolici viri: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis ædidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis deſciuerunt & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Eccleſijs, quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferant, vt multo Poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eadem fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputabuntur pro conſanguinitate doctrinæ. *Hæc ille. Eodem quoque modo Irenæus, quum dixiſſet,* obaudire oportere illis in Eccleſia præsbyteris qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, *ſapienter adiecit*, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum acceperunt. *Succeſſio igitur perſonalis nulla eſt, vbi ſucceſſio doctrinæ coniuncta non eſt. Quorſum igitur (inquies) perſonalem illam ſucceſſionem tantopere vrges? Reſpondeo perſonalem ſucceſſionem à Catholicis non vrgeri ſine coniunctione Doctrinæ. Quam etiam ob cauſam in hoc opere vbi ſucceſſionis argumentum tracto, perſonalem illam verbis pauciſſimis, Doctrinæ autem perpetuam ſucceſſionem multis argumentis in Eccleſia Romana eſſe demonſtraro.*

Lib. 4. aduerſ. Marcionem.

Lib. 4. contra Marcionem.

Lib. 4. cap. 43.

Succeſſio perſonalis ſine coniunctione doctrinæ nulla eſt.

At inquies, hanc doctrinæ coniunctionem & con-

ſan-

Doctrinæ ſucceſſio & coniunctio vnde petenda.

ſanguinitatem (vt loquitur Tertullianus,) nos cum Apoſtolis habere, ex Scripturis Apoſtolicis demonſtramus. Quare perſonalem illam ſucceſſionem nihil moramur, modo Scripturis ipſis Doctrinam noſtram conſentaneam eſſe, oſtendere valeamus. Scripturas igitur expendamus; & Controuerſiæ omnis finem ex illis petamus. Sed hic reſpondeo; & quod reſpondeo vt attentè & ſine affectu expendas, rogo. Doctrinæ de fide conſanguinitas (vt ſic dicam) Apoſtolica ex Scripturis profectò Apoſtolicis deprehendi ſemper poteſt, niſi fortè eius generis Doctrina ſit, quæ ſola traditione ſine literis Apoſtolicis ad nos peruenit. Qualia multa ſanæ Doctrinæ capita ab Eccleſia Catholica teneri & credi in hoc etiam opere demonſtrauimus. Sed agamus de illis nunc dogmatibus quæ in Scriptura ipſa comprehenduntur. Dico, hæc ipſa dogmata vtcumque ex Scripturis probari poſſunt, tamen quia Scripturæ ipſæ in varios ſenſus trahi poſſunt, per Scripturæ interpretes legitimos exponi, doceri & tradi debent. Addo etiam Doctrinam Apoſtolicam non ſolum ſcriptis literis conſignatam, ſed etiam viuæ vocis prædicatione traditam Eccleſiæ Dei fuiſſe. Non hic diſputo, vtra horum, ſeu ſcriptio ſeu prædicatio ſanæ Doctrinæ certior & infallibilior ſit veritatis norma ac regula; aut clarius & euidentius à Chriſto Domino in authoritate poſita. Saltem vtrumque, & Scriptum verbum, & prędicationem verbi, Doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ propagandæ atque ad notitiam hominum perducendæ media eſſe nemo fidelis, nemo literis Chriſtianis imbutus abnuerit. Certè fi-

Lib.12.

Rom.10.
Epheſ.4.

dem ex auditu eſſe disertè Apoſtolus ſcripſit; & quomodo (*inquit*) credent quem non audierunt,

runt, aut quomodo audient ſine prædicante? *Alio etiam in loco dicit* Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ Paſtores & Doctores in ædificationem corporis Chriſti, in opus miniſterij, *vtique verbi. His igitur ita poſitis, Dico Doctrinæ Apoſtolicæ conſanguinitatem non ſolum ex Scripturis, ſed etiam ex prædicatione Eccleſiæ, id eſt ex Paſtoribus & Doctoribus quos Chriſtus dedit Eccleſię ſuæ eſſe petendam. Hi autem Paſtores & Doctores Eccleſiarum non niſi legitimè miſſi & ordinati, ſibi mutuò & perpetuò ſuccedunt:* Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur? *Et vt ſemen creſcat vſque ad meſſem, mittuntur operarij ſemper in meſſem. Quare ex ipſa Paſtorum ſucceſſione perpetua cognoſcitur vera Doctrina, & non ſolum ex Scripturis.*

Succeſſio doctrinę ex Paſtorali ſucceſſione oſtenditur.

Rom. 10.

Sed Paſtores (inquies) deſerere veram Doctrinam poſſunt; & ita ſucceſſionis linea corrumpi poterit. Fateor & poſſe hoc fieri, & ſæpius factum eſſe. Sic enim Paulus Samoſatenus Antiochenæ ſucceſſionis, Macedonius, Neſtorius, Paulus, Sergius, Conſtantinopolitanæ; Dioſcorus, Petrus Moggus & alij Alexandrinæ ſucceſſionis lineam corruperunt. Quomodo igitur (inquies) certa aliqua veritatis norma vel Eccleſię nota aliqua erit iſta ſucceſſio paſtorum? Erit ſanè nihilominus, ſi ad hanc non ſolum perſonalem ſed etiam Doctrinæ ſucceſſionem firmiter amplectendam & rectiſſimè cognoſcendam, diligenter aduertamus duo. Primum quæ & quorum Paſtorum Doctrina antiquior & prior fuerit, quæ autem poſterior & recentior.

Duplex nota ſucceſſionis perſonalis cum doctrina cōiuncta.

Deinde quæ vnitatis Eccleſiaſticę communionem tenet; quæ verò tanquam pars & ſciſſura à reliquo corpore vel ſeſe ſegregat vel præciditur. Nam quia vera Doctrina & perpetua & vna atque vniformis eſt, ſicuti ipſa Eccleſia eſt perpetua & vna, profectò quicquid maiorum & anteceſſorum in Eccleſia fidei atque doctrinæ aduerſum eſt, illud adulterum & hæreticum; quicquid conſentaneum eſt, illud ſanum & orthodoxum indubiè erit. Rurſum qui maiorum fidei à perpetua ſua propagatione antea nunquam immutatæ adhæret Catholicus; qui ab illa deſciuerit, prophanus & alienus erit. Sic Tertullianus quando conſanguinitatem hanc doctrinæ vrget, dicit illos demum Apoſtolis contraria dicere, qui ab Apoſtolis deſciuerunt & aliter prædicauerunt. *Duo dicit: & ab Apoſtolis tales deſciuiſſe ſeorſim colligendo, veteremq́; vnitatem & ſucceſsionem deſerendo; & præterea aliter prædicaſſe, noua dogmata introducendo.*

In lib. de pręſcr.

Seorſim colligere falſæ ſucceſsionis nota eſt.

Contra prius vitij & erroris genus dicit. Hinc igitur dirigimus præſcriptionem. Si Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores quàm quos Chriſtus inſtituit. Quid autẽ prędicauerint & hic pręſcribam, non aliter probari debere niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viua voce quàm per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat omnem doctrinam quę cum illis Eccleſijs Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam: Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quę ſapiat contra veritatem Eccleſiarum. *Et paulo poſt.* Communicamus cum

Eccleſijs Apoſtolicis quod nulla doctrina aduerſa facit. Hoc eſt teſtimoniũ veritatis. *Hæc ille. Nõ eſt igitur illarũ Eccleſiarũ vera ſucceßio, quæ ab antiquioribus & Apoſtolicis eccleſiis abrupta, nõ communicat cum illis, ſed (quod neceſſario ſequitur) ſeorſim colligit. De hac etiã ſucceſſionis vitio Irenæus.* Reliquos (inquit) qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere oportet, vel quaſi hęreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes. *Hæc ille. Nec aliter Cyprianus propter hanc Eccleſiaſticæ ſucceſſionis vnitatem, ab iſta ſeceßione & ruptura alienum & prophanum demonſtrat.* Si grex, *inquit*, vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt, aut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui (manente vero Paſtore & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente) nemini ſuccedens & à ſeipſo incipiens, alienus ſit & prophanus, dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimicus? *Hæc ille. Si quos igitur videmus in aliqua ſub Chriſti nomine Eccleſia, paſtorum quidem nomen & officium occupare, ſucceßionem quoque ſatis annoſam & numeroſam habere (qualis erat Nouatianorum ſecta per totum ferè Orientem, de quorum principe hoc loco egit Cyprianus; & qualis erat Donatiſtarum amplißima ſecta non ſolùm in ſingulis propemodum Africæ ciuitatibus Auguſtini tempore, ſed etiam per alia loca poſtea, & in ipſa Italia vſque ad tempora Gregorij Magni vt ex eius regiſtro patet, qualis denique multo maxima Arianorum fuit, quæ à Theodoto Apoſtolorum temporibus vicino cæpta, ab Aſclepiodoto, Hermophilo, Artemone, Paulo Samoſateno continuata, ab Ario autem ita propagata, vt*

Lib. 4 cap. 43.

Lib. 1. epiſt. 6. ſiue epiſt. 76.

uniuerſum penè Chriſtianum orbem ſub Conſtantio & Valente Imperatoribus occupauerit; multis autem poſtea ſeculis, in Italia per Longobardos, in Hiſpaniis per Gothos, in Africa per Vandalus continuata fuerit, tamenſi totius huius ſucceſſionis ortus & origo non fuit cum Apoſtolis vel Apoſtolicis viris coniuncta, ſed ſciſſura aliqua & ſeceſſio ab illis, & à reliquo Eccleſiæ corpore in ſua vnitate manente, certum eſt & infallibile iudicium, talem ſucceſſionem veræ Eccleſiæ notam non eſſe. Nec tamen ſequitur perpetuam & continuatã ſucceſſionem, veram & infallibilem notam non eſſe.

Talis enim ſucceſſio in ſola vera & Catholica Eccleſia reperitur, quæ omnia & loca & tempora à prima ſua per Apoſtolos propagatione complectitur. Hæc autem hæreticorum ſucceſſio, aliqua quidem eſt, ſed non perpetua, non continuata, non à prima Eccleſiæ Origine filo perpetuo deducta; verum talis cuius principium erat à veteri ſucceſſione diſceſſio & ſegregatio; exitus quoque & finis orbi Chriſtiano manifeſtus, vincente ſemper Eccleſia. Sic in Nouatiano factum fuiſſe dicta iam Epiſtola oſtendit Cyprianus, qui à Romana Eccleſia ordinato illic Fabiano diſceſſit, & ſuam ſectam ſeorſim collegit atque inſtituit quæ vtcunque dilatata euanuit tandem. Talis erat in Africa Donatus, qui ordinato Carthagini Cæciliano ſeorſim collegit & ſuam quoque ſectam per quã plurimas Africæ ciuitates diffudit, quæ tamen & ſuo tempore extincta eſt. Talis erat Theodotus à Victore Rom. Epiſcopo excommunicatus, Samoſatenus à Synodo Epiſcoporum exauthoratus, Arius denique ipſe & à ſuo Epiſcopo eiectus, & à Conc. Generali Nicæno 1. damnatus deleta quoque tandem & eius ſecta vtcunque ampliſſima. Quare propter huiuſmodi hæreticorum ſucceſſiones

ceſſiones monuit nos ſapienter Optatus libro primo. Videndum (*inquit*) quis in radice cum toto orbe manſerit, quis foras exieret, quis Cathedram ſederit alteram, quæ ante non fuerat, & quis altare contra altare erexerit. *Hæc igitur de priore falſæ & ementitæ ſucceſſionis vitio, quod tamen facillimè deprehenditur.*

Alterum vitium eſt, ut notauit Tertullianus, ſi aliter prædicauerunt quàm Apoſtoli. *Noua enim & recens doctrina in Paſtoris voce, vel in qualibet Paſtorum ſucceſſione (qua videlicet antiquior vox in Eccleſiaſtica ſucceſſione auditur) falſæ, & ementitæ ſucceſſionis alterum argumentum eſt.*

Antiquitas vera ſucceſſionis nota.

Hoc in eodem de Præſcriptionibus libro tractans Tertullianus, ait. In omnibus veritas imaginem antecedit: poſtremo ſimilitudo ſuccedit. *Móxque in doctrina fidei ſic ſe rem habere ex parabola Euangelica docet, qua* bonum ſemen in agro dominico prius ſeminatum dicitur; poſtea autem inimicus homo ſuperſeminat zizania. Ita ex ipſo (*inquit*) ordine manifeſtatur id eſſe dominicum & verum quod ſit prius traditum; id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius immiſſum. *Et paulò pòſt.* Si quæ tamen hæreſes audent ſe interſerere ætati Apoſtolicæ, edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordines Epiſcoporum, &c. *In his igitur hæreſibus & ſectis quæ ſe Apoſtolicas, id eſt, ætati Apoſtolorum coætaneas dicunt, conſanguinitatem doctrinæ flagitat.*

Matth. 13.

In aliis autem hæreſibus poſt Apoſtolorum tempora exortis, hoc vnum ad illas reuincendas ſufficere docet, quia poſtea & recentius acceſſerunt: His (*inquit*) De-

Contra Marcionem lib. 4.

finitionibus prouocatæ à nobis & reuictæ omnes hæreſes, ſiue qua poſteræ ſiue qua coætaneæ Apoſtolorum dummodo diuerſæ. *Et infrà.* Poſterior noſtra res non eſt, imò omnibus prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis vbique principatum occupantis. *Hæc ille ibi de hæreſi in genere. Rurſum in particulari contra Marcionem diſputans,* Ego (*inquit*) meum Euangelium dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit niſi temporis ratio, ei præſcribens authoritatem quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur? In quantum enim falſum eſt corruptio veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum. *Hæc ille.*

Perſonarum nō doctrinę tantum antiquitas, eſt veræ ſucceſſionis nota.

At dices hoc totum à Tertulliano de Doctrinæ ipſius antiquitate aut prioritate (vt ſic loquamur) non autem de Paſtoralis ſucceſſionis antiquitate, ſcriptum fuiſſe. Vtrumque dicit Tertullianus, & doctrinam ipſam & perſonas docentes, poſteriores fuiſſe vera doctrina & veris Doctoribus. Quam ob cauſam præſcribit alibi contra Marcionem, quòd ſub Antonino non ſub Tiberio, ideóque non cum Apoſtolis ſub Chriſto docuerit. Præiudicant (*inquit*) tempora quod ſub Antonino primum proceſſit (*Marcionis Deum dicit*) ſub Tiberio non proceſſiſſe, *id eſt*, Deum Antonini Imperij Tiberiani non fuiſſe, atque ita non à Chriſto reuelatum, quem conſtat à Marcione primò prædicatum. *Vides vt antiquitatem Prædicatorum & Paſtorum ſiue docentium perſonarum, ad veræ ſucceſſionis & conſanguinitatis Apoſtolicæ demonſtrationem neceſſariam docet. Sic & Irenæus primum notat apud Va-*

lentinianos Apoſtolorum tempore, neque congregationem fuiſſe, neque doctrinam inſtitutam. Ante Valentinum enim non fuerunt qui ſunt à Valentino, neque ante Marcionem qui ſunt à Marcione. Valentinus autem venit Romam ſub Higinio, increuit ſub Pio, & prorogauit tempus vſque ad Anicetum. Cerdon autem qui ante Marcionem & hic ſub Higinio, qui fuit Octauus Epiſcopus: *ſcilicet à Petro.* Marcion autem illi ſuccedens inualuit ſub Aniceto decimum locum Epiſcopatus accipiente. Reliqui verò qui vocantur gnoſtici à Menandro Simonis diſcipulo, accipientes initia vnuſquiſque eorum cuius participatus eſt ſententiæ, eius & Pater & antiſtes fuit. Omnes autem hi multò poſterius mediantibus iam Eccleſiæ temporibus inſurrexerunt in ſuam Apoſtaſiam. *Hæc ille, copiosè & diligenter commemorans, quo modo poſterius ſurrexerunt hæretici, vtcunque per ſucceſſionem quandam, & quidem Apoſtolis vicinam, tamen poſteriorem, ideóque falſam & adulteram.*

Lib. 3. cap. 4.

Erat enim vnuſquiſque eius quam tenebat ſententiam pater & Antiſtes: id eſt, quam à nemine accepit, ſed à ſemetipſo adinuenit, *doctrinã docuit; & vt paulò antè dixerat*, veritatis regulam deprauans vnuſquiſque eorum ſemetipſum prædicare non erubeſcebat. *Eodem modo victorem primum Donatiſtarum Epiſcopum apud Montenſes Donatiſtas Romę, vocat Optatus* filium ſine patre, tyronem ſine principe, diſcipulũ ſine magiſtro, ſequentẽ ſine antecedente, inquilinũ ſine domo, hoſpitẽ ſine hoſpitio, paſtorem ſine grege, Epiſcopum ſine populo; *quia videlicet ante hunc Victorem nemo ibi ſederat,*

Ibidem cap. 3.

Lib. 1. contra Parmen.

nec Cathedram aliquam niſi peſtilentiæ (*cui ſuccederes*) oſtendere potuit.

Cæterùm ſi nec Tertullianus, nec Iranæus, nec Optatus, nec alius quiſquam Patrum, iſtam Paſtorum & Prædicatorum ſeu ipſius ſucceßionis Paſtoralis, ſed doctrinæ tantum & veritatis Euangelicæ antiquitatẽ & prioritatem contra falſam hęreticorum ſucceßionem protuliſſet, tamen poſito quod doctrinæ Antiquitas in ſucceßione Eccleſiarũ debet præſcribere, neceßario ſequitur vt Paſtoralis ſucceßionis & perſonarũ antiquitas in eadẽ ſucceßione præſcribat. Nã Doctrina ſana, Veritas Euãgelica, Fides Orthodoxa, ad nos nõ peruenit niſi miniſterio hominũ, miniſterio paſtorũ & Doctorũ quos Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ, in opus miniſterij. *Atque idcircò vbicunque eſt doctrinæ antiquitas, ibi quoque eſt Paſtoralis ſucceßionis antiquitas. Nec antiquitatem Doctrinæ ſanæ venditare ſibi vlla ſocietas Chriſtianorum poteſt, quæ doctrinæ ſuę antiquißimos Prædicatores, Paſtores, doctores oſtendere nequeat. Contrà vbicunq; poſterius & recentius prolata doctrina ſonat, vtcunque annoſam habeat ſucceßionem; tamen quæuis alia quæ illa ſit in eodẽ genere antiquior demonſtrata, illam alteram falſitatis & deprauationis coarguit.*

Antiquitas ſucceßionis perſonalis ex Scripturis colligitur.
Epheſ 4.

De ſucceßione Orientalium Eccleſiarum.

Nunc igitur iſtis ita explicatis, ad exemplum quod tu profers, breuiter, reſpondeo. Orientales Græcorum Eccleſiæ quas nos pro hæreticis ac ſchiſmaticis habemus, pro hæreticis potißimum ſanè quia proceßionem Spiritus Sancti à Patre Filióque impiè negant (quo nomine ni fallor etiam à te G. F. pro hæreticis habentur) pro ſchiſmaticis autem tum quia Patriarcham ſuum Conſtantinopolitanum vniuerſalem Epiſcopum nouo & inſolenti nomine aliquot ſeculis, totis quadringentis annis à tempo-

ve Gregorij Magni appellare non deſtiterunt, vt commemorat Leo nonus in Epiſtola aduerſus aſſertionem & ſymbolo noſtro adiectionem à Romana Eccleſia factam (quanquam non tam adiectio vel additio quàm præſumptiones Michaelis & Leonis Archiepiſcoporum capite nono Concil. tomo tertio) tum etiam quia propter prædicti articuli, (filioq́;) expoſitio ſimboli eſt illa particula (vt doctè diſputat in Conſilio Florentino Andræas Colaſſenſis Epiſcopus) ſeſe Græci à Latina Eccleſia potiſſimum ſegregauerunt, eiúſque communionem reiecerunt, vt ipſemet Marcus Epheſius in dicto Concilio apertè docet; Hæ, inquam, Eccleſiæ ab ipſis ſanè Apoſtolorum fundamentis perſonarum ſucceſſionem (vt tu ſcribis) demonſtrare poſſunt.

Seſſ. 6. Ferrariæ.
Seſſ. 3. ibidem

Sed vtcunque illa perſonalis ſucceſſio ab Apoſtolorum temporibus cœpit, ideoq́; (vt loquitur Tertullianus) ætati Apoſtolicæ audent ſe interſerere, *tamen quia* conſanguinitatem doctrinæ non retinuerunt, *quia* in radice cum toto orbe non remanſerunt, *ſed foras exierunt, (non enim ab illis Latina Eccleſia defecit ſed illi Eccleſia totius orbis Chriſtiani abreceſſerunt) atque ita* ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus deſciuerunt, *quia* aliter prædicauerunt *(illi enim hæreſim contra proceſſionem Spiritus Sancti aduerſus communem veterum Græcorum Patrum Anteceſſorum ſuorum, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſere, protulerunt, vt copioſè & accuratè in Concilio Florentino oſtenditur, adeò vt Græci tunc omnes, vno Marco Epheſio excepto, Latinis illic conſenſerint) quia denique* ſuperſeminarunt ſemini dominico falſæ doctrinæ zizania; *propterea ab eo ſui ſchiſmatis & defenſæ hæreſis initio, ad ſucceſſionem Paſtoralem &*

Eccleſiaſticam, illarum Eccleſiarum perſonalis ſucceſſio amplius non pertinebat.

Habuerunt quoque & Ariani ſuas Eccleſias, ſuaſque perſonales in toto ferè orbe Oriente ſucceſſiones; & in magna poſtmodum Occidentis parte: ſed ex hoc duplici vitio quod iam proſecuti ſumus, falſæ & ementitæ ſucceſſionis fucum tantum & ſpeciem, non veri nominis Eccleſiaſticam ſucceſſionem, habuiſſe deprehenduntur. Idem de omnibus alijs hæreticorum ſucceſſionibus abruptis & ementitis iudica.

Ementita ſucceſſio facilius deprehenditur quàm falſa Scripturæ interpretatio.

Neque tamen eneruat hoc ſucceſſionis Eccleſiaſticæ notam & argumentum ad veram Eccleſiam inueniendam. Hoc enim duplex vitium falſæ & ementitę ſucceſſionis deprehendere facile & expeditum eſt. Multò ſanè facilius & expeditius quàm ex ſolis Scripturis, quas æquè hæreticus profert atque orthodoxus, ſingula doctrinæ capita expendere probare aſtruere. Interpretationem enim verbi falſam pro vera obtrudere atque prætexere, quàm facile ſit, omnes hæreticorũ diſputationes oſtẽdunt.

Veram quoque interpretationem à falſa diſcernere quàm laborioſum & operoſum ſit, controuerſiarum hodie de religione quaſi implacabilis concertatio demonſtrat.

At verò ſucceſſionis Eccleſiaſticæ in doctrinę antiquitate & vnitate perpetua ſeries, adeò facilè & expeditè omnes controuerſias terminat, veritatem patefacit atque confirmat, vt hanc prætexere hodie hæretici non audeant, nec vnquam auſi fuerint; conuellere autem & infirmare non valeant.

Habes G. F. primæ noſtræ propoſitionis, huius videlicet, Illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia quæ ſuos Paſtores perpetua ſucceſſione demonſtrare poteſt, *in qua me dicis impudenter mendicare quod in contro-*

trouerſia poſitum eſt, confirmationem iam & probationem (vti ſpero) luculentam; pariterq́; ad ea quæ obieciſti reſponſionem noſtram.

Fulco.

VIDE ne dum luculentiora pollicearis quam ferunt facultates tuæ, ludibrio ſis lectoribus. Argumentum quod in fine diſputationis, quaſi validiſſimum attexueras, te referente huiuſmodi eſt. Quia ſemen veræ doctrinæ creſcit vſq; ad meſſem, nec creſcere poteſt niſi per operarios miſſos in meſſem, ſequitur Catholicam vulgò dictam Eccleſiam, ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ videlicet operarios ſuos, miniſtros verbi & Eccleſiarum paſtores, perpetua per omnes ætates ſucceſſione demonſtrare poteſt. *Hoc tuo argumento* dixi *nihil fingi poſſe leuius, nihil eneruatius, cum nec propoſitione conſtat vera, nec aſſumptione probabili, nec complexione cum antecedente vlla neceſſitate cohærente. petit enim ac mendicat impudenter propoſitio, quod in controuerſia poſitum eſt. Solam veram eſſe Eccleſiam quæ ſuos Paſtores perpetua ſucceſſione demonſtrare poteſt.* Sed hanc tu iam breuiter probare aggrederis, ne te ſemper petere principium, ac mendiciter mecum agere querar. Illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia in qua tanquam agro dominico ſemen Euangelij per Apoſtolos ſeminatum perpetuo creſcit vſque ad meſſem: Sed illud ſemen perpetuo non creſcit, niſi perpetuo ager colatur in quo creſcit, nec coli poteſt ager niſi per operarios miſſos in meſſem: quomodo enim prę-

» dicabunt niſi mittantur) ideoque operarios per-
» petuos, perpetuò ſibi ſuccedentes, habere ille a-
» ger debet. Ergo illa ſola eſt vera Chriſti Eccleſia
» quæ ſuos paſtores perpetua ſucceſſione demon-
» ſtrare poteſt. Breuitatem profeſſus, multo pluribus vteris, quam res poſtulat, non alio fine, niſi vt vitium argumenti omnium putidiſſimum, ſub vmbra multorum verborum lateret. Nam vt tibi demus quicquid in antecedenti poſueris, complexio tamen nullo modo concedi poteſt, quia plus continet quàm in propoſitione aut aſſumptione bene longis, conceſſum præceſſit. Cum enim concludere debueras, illam ſolam eſſe veram Eccleſiam, quæ ſuos paſtores perpetuò ſibi perq; omnes ætates ſuccedentes habeat, tu infers, quæ demonſtrare poteſt. Quaſi idem ſit habere perpetuos doctores Eccleſiam, & eos demonſtrare poſſe, hoc eſt vt tu intelligis, eorum nomina, hiſtoriam, ſedem, tempus, quo ſederint ſinguli. Alioqui enim, quæ ſe veram Chriſti Eccleſiam ex conſanguinitate doctrinæ, vt Tertullianus loquitur, luculenter probauerit, ſatis demonſtrat, hoc eſt euidenti ratione conuincit, ad eam vniuerſalem ſe ſpectare Eccleſiam, quæ cum perpetua eſſe debeat in terris, perpetuos etiam habere debet doctores, vtcunque eorum nomina, hiſtoria, memoria, apud homines interierit, aut ſaltem digito oſtendi omnibus momentis non poſſit: Sed aliud etiam propugnaculum infirmæ propoſitioni ſuſtinendę, excitas, illud autem tale eſt.

» Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ paſtores & docto-
» res, donec occurramus omnes in vnitatem fidei,

donec impleantur tempora gentium, & tunc veniet Ephes.4.
conſummatio: id eſt dedit Eccleſiæ ſuæ paſtores Matth.24.
vſque ad conſummationem ſęculi duraturos. "
Sed durare hic ordo paſtorum & doctorum "
non poteſt, ſine durabili & perpetua eorundem "
propagatione & generatione ſpirituali, id eſt ſine "
legittima ordinatione & miſſione, nec ordinari "
& mitti poſſunt, niſi ab anteceſſoribus & maioribus "
ſuis, quibus hac ratione in officio paſtorali "
ſuccedunt. Ergo Chriſti Eccleſia illa ſola eſt quæ "
ſuos paſtores, & Epiſcopos perpetua ſucceſſione "
poteſt oſtendere. Hic ſyllogiſmus, præterquam "
quod eodem quo alter turpiſſimo concluſionis
vitio laborat, aſſumptione nititur non ſatis in
omnibus firma; cum nullam ad docendum miſſionem,
vel inaugurationem legittimam agnoſcat,
niſi ordinariam ab anteceſſoribus & maioribus,
eiuſdem veræ Eccleſiæ paſtoribus vel Epiſcopis.
Quod quidem non eſt perpetuo verum: Qui enim
dedit Eccleſię paſtores, dedit etiam Euangeliſtas,
non hominum, ſed ipſius Dei auctoritate ad
docendum emiſſos, idq; non ſolùm in principio
naſcentis apud gentes Eccleſiæ, ſed aliàs etiam,
vbi illius ſapientiæ viſum eſt. Illuxit primo Iberis
per fœminam, vt ſupra oſtendimus, cui in ordinata Cap.1.
Eccleſia loqui fas non eſſet: præconem populis
barbaris excitabat regem: Indis Frumentium
& Aedeſium: Immeribus alios quam ordinaria
miſſione ſuffultos, vt qui poſtea Epiſcopum
acceperunt, quam Chriſtianiſmum amplexi eſſent:
Sed quod negaueram, veram Eccleſiam ſucceſſionem
in iiſdem locis ordinariam demonſtrare

,,re ſemper poſſe, ais te non affirmare, in ijſdem
,,ſemper locis durare ſucceſſionem apoſtolicam,
,,tamen ſucceſſionem conſeruari ratione officij
,,paſtoralis, quod in Eccleſia vera nunquam ab-
,,rumpitur, vtcunque ratione locorum, ſæpius ab-
,,rumpatur, vel alio tranſlata Epiſcopali ſede, vt à
,,Roma Auenionem, ab ipſis Petri ſucceſſoribus;
,,vel Religione Chriſtiana, penitus ſublata, vt in
,,Britannia, per Angloſaxones. Verum ſi Auenione Petri ſucceſſorem, cum omnibus ſuis priuilegijs, ac prærogatiuis, abrupta ſucceſſione ratione loci, agnoſcere debemus, cur non potius Antiochiæ, quæ prior, & antiquior erat Petri ſedes, Petri ſucceſſorem, Petri poteſtate præditum, ſuſpicere debeamus? Sed vt progrediamur. Continuatæ ſucceſſionis, ratione officij paſtoralis, exemplum profers in Britannia, à Fugatio & Damiano miſſis ab Eleutherio, vſque ad pulſos in Cambriam, ſiue Walliam Britannos, ab Anglis paganis. Sed illa tamen ſucceſſio perſonalis apud Cambrobritannos, in hodiernum vſque diem permanſit. Neque ab Eleutherio, vt falſo Polidorus narrat, primum cæpit. Sed ab ipſis Apoſtolis, vt Gildas Britannus refert, imperante Tiberio; vel à Philippo, qui Ioſephum Arimathenſem, primum Euangelij prȩconem in Britanniam miſerit, vel à Simone Zelote, quem Nicephorus refert Euangelicam doctrinam, etiam ad occidentalem Oceanum, Inſulaſq; Britanicas pertuliſſe, vbi etiam vt idem Nicephorus, & apertius Dorotheus indicat, in crucem actus, occiſus & ſepultus fuerit. Theodoretus Paulo Apoſtolo Britannorum ad

fidem

Lib. de Victor. Aurel. Ambr.

Lib. 2. cap. 40.

In ſynopſi.

De curandis Græc. affect. lib. 9.

fidem conuerſionem tribuere videtur, ad ipſos certè Apoſtolos apertè refert. Tertullianus ſuo ſæculo Britannorum etiam inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita celebrat. Origenes in vnius Dei cultum conſentire Britanniam poſt Chriſtum ſcribit. Qui cum Eleutherio ferè σύγχρονοι eſſent, oſtendunt, ab alio principio, quam ab aliquo ſui ſæculi Epiſcopo, Britanniæ Eccleſias originem fidei duxiſſe. Taceo hic Eluanum, & Meduinum Cantabrigienſis Academiæ doctores, in hiſtoria noſtra celebratos, quos Lucius ille, cuiuſcunque fuerit prouinciæ regulus, (nam maximam Inſulæ partem Romani tenebant) Romam ad Eleutherium miſerit, à quibus & doctrinam Euangelicam, & baptiſmi ſacramētum, ante Fugatium & Damianum, ab Eleutherio in ſubſidium miſſos ſuſceperit. Sed illud maioris eſt momenti, quod nec Britanni, nec Scoti, cum appuliſſet Auguſtinus, nec aliquot poſt ſæculis, Romanæ Eccleſiæ primatum agnouerunt, ſed in ritibus, & paſchatis præcipuè celebratione, liberè diſſentiebant, nec ad Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, vlla ratione pertrahi potuerunt. Quin etiam ab ipſo Ioanne Euangeliſta, ſuæ in celebrando conſuetudinis exemplum petebant, quod perpetua ab Apoſtolo, cum Eccleſijs ab eo fundatis acceſſione, à maioribus ſe accepiſſe Colmanus in Synodo profitetur. Conſtitutam igitur ab aliquo Apoſtolorum in Britannia Eccleſiam fuiſſe, cum ex veterum monimentis conſtat, tamen propter varietatem hiſtoriæ, ab aliquo certo Apoſtolo ſucceſſionem non potuiſſe demonſtrari, videmus.

Cont. Iudæos.

In Ezech. Hom. 4.

Bed. li. 5. ca. 22.

Bed. li. 3. ca. 25.

Cum aliter Gildas, aliter ante eum Dorotheus, quos ſequitur Nicephorus, aliter Theodoretus, de primo in Britannia fidei Chriſtianæ promulgatore ſenſerint, ac ſcripſerint. Illa vero ſucceſſio, quam ab Auguſtino ad noſtra tempora deducis, quam ille traxit, tam à Petro per Gregorium, quam ab Epiſcopis Galliæ, à quibus ordinatus eſt, qui Gregorij communionem tenuerunt: perſonarum ſeriem continere poteſt; eiuſdem doctrinæ perpetuam in Eccleſia continuationem, nullo modo oſtendit, nec enim Gregorius, per omnia Petro, aut vetuſtiſſimis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis conſenſit, nec Recentiores Gregorio vel Auguſtino, vt in 50. illis differentijs, obſeruatum à me eſt, ex Beda, alijſq; Angloſaxonum Eccleſię hiſtorijs, ac monimentis. Tertullianus igitur quem laudas ad ſucceſſionem, doctrinæ conſanguinitatem exigit, & doctrinæ conſanguinitatem, abſque ſucceſſionis ſerie, amplectitur, nec alia eſt Irenæi, aut Cypriani ſententia: Hieronymus etiam, propter eandem in gregibus docendis officij functionem, non ratione ordinarij ſucceſſionis, omnes Epiſcopos atque presbyteros Apoſtolorum ſucceſſores vocat. Sed vt ſpiritualem hanc, atque perpetuam generationem, & propagatione paſtorũ, ſine qua, neminem legittime mitti poſſe operariũ in agrũ dominicũ putas, fortius aſtruere queas, illud Pauli ad Rom. 10. vſurpas. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Quod miror te tantum theologũ, ad ſolam ordinariam vocationẽ per homines, reſtringere, cum potius hoc ſpecimẽ eſſe, & pignus diuini in gentẽ aliquā amoris teſtatur Apoſtolus, vt eam Euangelij prædicationis participem faciat, cum nullus eſſe poſſit Euangelij præco, quem non peculiari ſua prouidentia ad hoc munus ſuſcitauerit, ſiue is legittima vocatione inſtructus, ſiue minus, ſiue more ordinario, ſiue extra ordinem emiſſus fuerit, ſiue ſincero affectu humanæ ſalutis negotium procuret, ſiue peruerſo aliquo ſtudio ad hoc feratur: Nam ad ordinationem per manuum impoſitionem, ſolus (quod ſciam) veterum, Theodoretus, quod de miſſione loquitur Apoſtolus in genere, inique, præterque mentem ſpiritus ſancti reſtringit.

Docebant ſiquidem pſeudoapoſtoli, non miſſi ab Apoſtolis, qui legis obſeruationem ad ſalutem neceſſariam, cum fide Ieſu Chriſti exigebant, vt Actuum 15. legimus. A quibus, ſi Eraſmo credimus, Romani primum male inſtituti fuerun[illegible], quod cauſam dedit Apoſtolo ſcribendi ad illos, vt a Iudaiſmo, ad veram Chriſti fidem retraherentur. Paulus certe ad Philippenſes 1. fatetur fuiſſe, qui per inuidiam, & contentionem Chriſtum annunciarent non purè, exiſtimantes ea ratione afflictionem vinculis ipſius addere. Attamen quouis modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus prædicaretur, in hoc ſe gaudere, & gauiſurum eſſe profitetur. Horum enim opera, licet aliud ſibi proponant, vtitur interdum Deus, ad alios ſcientia Euangelij imbuendos, qui ipſi nullum ad ſe fructum ſuæ ipſorum prædicationis reportant. Mittuntur igitur à Deo etiam huiuſmodi præcones interdum, qui niſi per eius ſpiritum

In Præfat. in Ep. ad Rom. & Gal.

ritum, ne dominum quidem Ieſum dicere poterunt, vt prætextum ignorantiæ auferant his, ad quos mittuntur. Nam de ordinaria, aut legitima vocatione, multo minus ea, quæ fit per manuum presbyterij impoſitionem, non diſſerit Apoſtolus, cum miſſos fuiſſe à Deo oſtendit, qui prædicarent, vt non potuerint non audire Iudæi, ſi fidem ad ſalutem, hijs quæ audiuerunt adhibere voluiſſent. In ipſos igitur repudiatæ ipſorum ſalutis culpa reijcitur, à qua Deum immunem conſtituit Apoſtolus.

Sed aliam adhuc rimam, me aucupari ais, qua euadam, cum dico: *Nec quę per omnes ætates perpetuam Epiſcoporum ſeriem, ad hæc vſque tempora continuare valeat, veram eſſe Eccleſiam, vel tute Stapletone conceſſeris, cum non neſcias Orientales Græcorum Eccleſias, quas vos pro hæreticis, ac Schiſmaticis habetis, ab ipſis Apoſtolorum fundamentis, perſonarum ſucceſſionem continuam, è ſuis diptychis demonſtrare paratos eſſe.* Ad hæc breuiter reſpondes, Gręcorum Eccleſias, nec perſonalem ipſam ſucceſſionem perpetuam poſſe demonſtrare, quia multis in locis Mahometiſmus illam penitus abruperit. At meminiſſe debes, multis in locis, Mahometiſmum illam nullo modo interrupiſſe, immo nec impediuiſſe vſq; in hunc diem, quin perduret. Ne hoc quidem quod de Antiochia Syriæ narras, verum eſt, nam licet ſubuerſa ante multa ſæcula vrbe Antiochena, Epiſcopus tamen tranſlata in Damaſcum ſede, vſque in hunc diem, ſedem Apoſtolicam, & Petri ſucceſſionem iactat. Alexandrinus Patriarcha, tranſlata Babylonem Ægypti cathedra, adhuc ſedet, ea in vrbe.

In Præfat. in Ep. ad Rom. & Gal.

Conſtãtinopolitanus Antiſtes ſucceſſioné habet ab Apoſtolis, vt teſtatur Nicephorus, qui ab Andrea Petri fratre, vſque ad Conſtantini magni tẽpus, ſeriem ſucceſſionis in ſede Bizantina contexuit. Ab eo tempore cum fere ad noſtrũ ſæculũ vrbs illa floruerit, quis dubitet nunquam abruptã fuiſſe ſucceſſionis epiſcopalis lineam? cum in hunc vſque diem etiam redacta in ſeruitutem Conſtantinopoli, perduret. Cuius argumentum certiſſimum, præter Patriarchæ Ieremiæ Epiſtolas ad Chytræum, & Theologos Tubyngenſes nuper datas, vidimus etiam anno elapſo, literas teſtimoniales Theouæ cuidam Grȩco, ex Philippis vrbe Macedoniæ antiquiſſima, oriundo, conceſſas. Verum vt ais, vbi adhuc perdurat talis perſonalis ſucceſſio, nihil habet Catholicæ ſucceſſioni affine, aut ſimile, quia propter hæreſes quas tenẽt, & Schiſma quod faciũt, legitima illa ſucceſſio non eſt. Nã (vt ex Tertulliano & Irȩnæo recte colligis ſucceſſio perſonalis ſine coniunctione doctrinæ, nulla eſt. Hoc ego libenter ex te audio. Cur non igitur miſſa inutili hac de perſonali ſucceſſione controuerſia, illã coniunctioné & conſanguinitatem doctrinæ vt loquitur Tertullianus, ex Scripturis ipſis excutimus, & totius concertationis ex illis finem petimus. Sed hic reſpondes, noſque attente, & ſine affectu expendere rogas, quod reſpondes. Age expectamus, quid tandem feras. Primum, doctrinæ de fide conſanguinitatem Apoſtolicam, ex Scripturis profecto Apoſtolicis, deprehendi ſemper poſſe, niſi forte eius generis doctrina ſit, quæ ſola traditione ſine literis Apoſto-

Lib. 8. cap. 6.

De præſcript. aduerſus hæreſes lib. 4. ca. 43.

» licis ad nos peruenerit.

De reſur. carnis lib.3.cap.2.

At longe aliter Irenæus & Tertullianus, in vtroque prouocationis genere, vel ſola traditione continuatæ per ſucceſſionem doctrinæ, vel ſola Scripturarum authoritate, hæreticos reuincendos ſtatuerunt. Tertullianus enim, loco prius citato, ex Pauli Epiſtolis, omnes ſuæ ætatis hæreſes, refelli poſſe docet. Alibi etiam auferri iubet ab hæreticis, quæ cum Ethnicis ſapiunt, vt de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poſſunt. Irenæus Hæreticos ſui ſęculi taxat, *Quod cum ex Scripturis arguerentur, in accuſationem conuertantur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè haberent, neque ſint ex authoritate, & quia variè dictæ ſunt, & quia non poßit ex his inueniri veritas, ab hijs qui neſciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per viuam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, Sapientiam autem loquimur inter perfectos &c.* Vide Stapletone, ſi non de te hæc protulerit Irenæus, qui eadem, & eiſdem prope verbis loqueris,
cum antiquis, & obſoletis illis hæreticis. Hæc e-
» nim tua verba ſunt. Dico hæc ipſa dogmata, vt-
» cunque ex Scripturis probari poſſunt, tamen quia
» Scripturæ ipſæ in varios ſenſus trahi poſſunt, per
» Scripturæ interpretes legittimos exponi, doceri,
» & tradi debent. Addo etiam, doctrinam Apoſtoli-
» cam, non ſolum Scriptis literis conſignatam, ſed
» etiam viuę vocis prędicatione traditam Eccleſiæ
» Dei, fuiſſe. Quod quidem eo fine dicis, vt non
niſi ex traditione, certum Scripturarum intellectum peti debere, doceas. Eiuſdem eſt acuminis, quod quia & Scriptum verbum, & prædicationem

verbi neceſſaria eſſe ad Eccleſiam ædificandam, nemo Chriſtianus abnuerit, idcirco concludas, non ex ſolis Scripturis doctrinę Apoſtolicæ conſanguinitatem, ſed ex paſtoribus & doctoribus eſſe petendam. Quaſi alio quam Scripturarum cibo paſcere, aliunde quam ex ſolis Scripturis Euangelium docere debeant. Irenæus vero, ita cum Euangelij præconio Scripturas coniunxit, *vt quod Apoſtoli præconiauerunt, poſtea in Scripturis* Lib.3.cap.1. *per Dei voluntatem nobis tradidiſſe aſſerit, fundamentum & columnā fidei noſtrę futurā.* Et quod ad Scripturarum ſenſum attinet, *non niſi ipſis ex Scripturis* Lib.3.cap.12. *oſtendi poſſe aſſerit oſtenſiones quæ ſunt in Scripturis*; hoc eſt, ex ipſis Scripturis, petendum eſſe Scripturarum ſenſum, & interpretationem.

Quin & ipſe fateris, paſtores veram doctrinam deſerere poſſe, & ita ſucceſſionis lineam corrumpi. Ita enim (inquis) Paulus Samoſatenus Antiochenæ ſucceſſionis, Macedonius, Neſtorius, Sergius Conſtantinopolitanæ, Dioſcorus, Petrus Moggus & Alij Alexandrinæ ſucceſſionis lineam corruperunt. Sed omittis, quod Liberius, Honorius, Anaſtaſius, Vigilius, & ſupra omnes Ioannes 23. in Concilio Conſtantienſi Damnatus, Romanæ ſucceſſionis lineam, eadem ratione interruperunt. Vt Marcellinum taceam, qui Idolis ſacrificauit, & Soterem vel quiſquis fuerit Romano- Aduerſ. Prax. rum Epiſcopus, quem refert Tertullianus agnoſcentem Prophetias Montani, Priſcæ & Maximillæ. Sed vt certa aliqua veritatis norma, vel Eccleſiæ nota, ſit iſta paſtorum ſucceſſio, duo diligenter aduertenda proponis. Prius quæ, & quorum paſtorum doctrina antiquior, & prior fuerit, quæ autem poſterior & recentior. Deinde quæ vnitatis Eccleſiaſticæ communionem tenet, quæ vero tanquam pars & ſciſſura, à reliquo corpore vel ſeſe ſegregat, vel præciditur. Hinc duo etiam vitia colligis, alterum eorum qui aliquid maiorum & anteceſſorum fidei, atque doctrinæ aduerſum proponunt, cum vera doctrina & perpetua, & vna, & vniformis ſit. Alterum eorum, qui à maiorum fide, à perpetua ſua propagatione, antea nunquam immutata deſciuerunt. Contra vero vtriuſque vitij, & erroris genus, multa ex Tertulliano, Irenæo, Cypriano, Optato, ſine vlla neceſſitate congeris, nam vtrunque vitium eſſe vel maximum tibi, etiam ſine teſte credimus. Quanquam poſterius à prioris deciſione ac determinatione, tota pendere videtur. Illa enim pars, in omni ſchiſmate ab Eccleſiaſticæ vnitatis communione deſciuit, ſiue maior, ſiue minor ſit, quæ poſteriorem & recentiorem doctrinam amplexa fuerit, talis enim adulterina proculdubio eſt, & hæretica. Doctrinæ vero antiquitatem vnde certius, quam ab ipſis puriſſimis ſacræ ſcripturę fontibus, haurire poterimus? Age igitur Stapletone, ex ſcripturis ſanctis, vel ſi quid noſti certius, ex eo nobis demonſtra perſonalem veſtram ſucceſſionem habuiſſe ſemper vſque in hodiernum diem, eandem à Chriſto perpetuam, vnam, & vniformem doctrinam. Doce in fide veſtra, quam hodie profitetur Romana Eccleſia, nihil vnquam a perpetua ſua propagatione fuiſſe immutatum. Sed horum neutrum, ſiue ex ſcriptura, ſiue ex patrum orthodoxorum ſcriptis, eorumque perpetua ſententia, vnquam demonſtrare poteris. Quod doctrinæ antiquitatem, trito illo argumento, a paſtorum officio deſumpto, ſine legittima ſucceſſione, nuſquam exiſtere poſſe contendis, inualidum prorſus eſt & eneruatum. Nam ſchiſma poteſt eſſe in Eccleſia, vbi eadem doctrina vtrinque retineatur, & altera pars legittima ſucceſſione careat. Quod ne tu quidem negaueris, in ſchiſmate ob electionem Pontificis Romani facto, ſæpius accidiſſe.

Ad exemplum vero continuatę ſucceſſionis, in orientalibus, Græcorumque Eccleſijs à me probatum, ſic breuiter reſpondes: non valere ſucceſſionem in illis, quas pro hæreticis, ac ſchiſmaticis habetis. Eadem facilitate & ego reſpondeo, non valere ſucceſſioné perſonalé in Eccleſia Romana, quam pro Antichriſtiana, multiſque hæreſibus contaminata, multis & validioribus argumentis condemnamus, quam tu orientales hæreſeos aut ſchiſmatis conuincis. Nam pro hæreticis habes, quia proceſſionem ſpiritus ſancti à patre filioque impiè negant, quo nomine etiam à me pro hæreticis haberi putas. Equidem, ſi vt tu aſſeris, proceſſionem hanc à filio impiè negarent, non poſſum non illas pro hæreticis meo etiam calculo damnare. Sed cum ipſi vocem tantum proceſſionis, vt non intellectam, vt ſine conſenſu totius Eccleſię ſymbolo additam repudient, rem vero ipſam, profluendi, profundendi, emittendi, ſcaturiendi, hauriendi, atque id genus alijs vocabulis expreſſam, ſemper agnouerint, docuerint, Concil. Florent. ſeſſ. vlt.

crediderint, metuerentq; ne ſi ſpiritum ſanctum à patre filioque procedere dicerent, non ab vnico principio, ſed à duabus cauſis eum procedere faterentur: non poſſum tam atrocem hęreſeos culpam, ob hoc ſolum, eis inurere.

Pro ſchiſmaticis tibi habentur, quia Patriarcham ſuum Conſtantinopolitanum vniuerſalem Epiſcopum, nouo & inſolenti nomine, iam à multis ſæculis appellare, non deſtiterunt; tum etiam, quia propter adiectionem illius vocis (filioque) quæ nihil aliud, quam ſymboli expoſitio eſt, ſe à latina Eccleſia ſegregauerunt. Quod ad Oecumenici titulum ſpectat, eorum faſtus defendi non poteſt, qui nomen illud non nouum ſolum, & inſolens, vt tu vocas, ſed profanum, peruerſum, ſuperbum, etiam Antichriſtianæ tyrannidis in Eccleſia prænuncium, vt Gregorio habetur, arroganter vendicarint. Quod ſi tāta eſt nominis deteſtatio, vt ob ſolum titulum mereantur Græci pro ſchiſmaticis haberi, quid de Romanenſibus, eorumque aſſeclis cenſendum? qui vtcunque vniuerſalis Epiſcopi nomen non præferant, imperium tamen in vniuerſum orbem, vt vtriuſque gladij poteſtatem ſibi arrogant, tituloſque etiam agnoſcunt, multo inſolentiores ac ſuperbiores, quā eſt Oecumenici vocabulum. Quod vero ad alteram cauſam ſpectat, ſi tam Chriſtianæ vnitatis ſtudioſi, quam ſuæ dignitatis ac prærogatiuæ aſſerendæ cupidi fuiſſent Romanenſes, neque noua ſymboli expoſitione, quamuis vera, ſine tamen totius Eccleſiæ approbatione, ſcandalum Græcis obieciſſent, neque pietatis zelo deceptos, tam ſuperbè

Epiſt. 78. 80. 82.

perbè conculcaſſet, ſed omnes modos ineundæ concordię, priuſquam ad apertum ſchiſma res deueniſſet, attentaſſent.

Quod autem habeant etiamnum Græci, & habuerunt olim Arriani, perſonales ſuas in oriente Eccleſias, hoc tamen ſucceſſionis Eccleſiaſticæ notam, & argumentum, ad veram Eccleſiam inueniendam, nihil eneruare contendis. Duplex enim hoc vitium falſæ & ementitæ ſucceſſionis deprehendere, facile & expeditum eſſe aſſeris. Et multo ſanè facilius & expeditius, quam ex ſolis ſcripturis. Vide vt in accuſationem ſcripturarum conuertaris, vt illarum certiſſimum iudicium, quod ferre non potes declinares. At hęreticus (inquis) æquè ſcripturas profert atque orthodoxus. Et Diabolus vt Chriſtum falleret, ſcripturas protulit, tamen ſcripturarum manifeſta auctoritate victus, tandem ſuccubuit, atque profligatus eſt. Gladium ſpiritus non ideo abijcimus quia hoſtis eo abuti nititur, ſed tanto magis retinemus. Leges non raro proferunt aduocati, qui iniuſtam litem fouent, at legum tamen iudicio reuincuntur. Sed interpretationem verbi falſam, pro vera obtrudere, atque prætexere, quam facile ſit, omnes hęreticorum diſputationes oſtendere, ais. Sed nullam falſam verbi interpretationẽ hæreticorum fraudes ita palliare poſſe, vt non tandem deprehendantur, & in lucem protrahantur, omnium hęreticorum ex ſacris ſcripturis conuictiones, ſatis luculenter oſtendunt. Et ſcripturam diuinitus inſpiratam, non ad docendum modo, ſed ad redarguendum vtilem, celebrat Apoſtolus

poſtolus, vt perfectus ſit vir Dei, ad omne opus bonum paratus.

Sed veram interpretationem à falſa diſcernere, quam laborioſum & operoſum ſit, controuerſiarum hodie de religione quaſi implacabilis concertatio demonſtrat. Sit laborioſum, vt ais, & operoſum, tamen quia ita nos exercere dominus voluit, omni labore atque opere contendendum eſt, vt veram ſcripturæ interpretationem, ab adulterina & falſa, ex ſcripturæ clariſſimis teſtimonijs diſtinguere valeamus. Quanquam in pleriſque controuerſijs, ad veri inuentionem, non tam ſcientia opus eſt, quam conſcientia. At vero (inquis) ſucceſſionis Eccleſiaſticæ in doctrinę antiquitate, & vnitate perpetua ſeries, adeo facile & expeditè omnes controuerſias terminat, veritatem patefacit, atque confirmat, vt hanc prętexere, hæretici nunquam auſi fuerint, conuellere autem & infirmare non valeant. At vero ſepoſita ſcripturarum auctoritate, quid demum habes, vnde doctrinæ antiquitatem, & vnitatem in eadem doctrina perpetuam, Romanæ ſynagogæ aſſerere valeas? veterum Eccleſiæ ſcriptorum teſtimonia? at illa hodie plerumque diuerſis interpretationibus, non minus obſcura redduntur, quam ſcripturæ. Si dicat Tertullianus huius ſcripturæ *hoc eſt corpus meum* ſenſum eſſe, vt ſit ſacramentum, hoc eſt figura corporis eius: Auguſtinus ſignum corporis Chriſti, ſi neget hoc ipſum corpus quod cruci affixũ eſt, in cœna erogari? Si dicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Gelaſius manere, & non deſinere ſubſtantiam panis

nis & vini, in Euchariſtiæ ſacramento: num in tantorum patrum ſententia, & teſtimonio acquieſcitis? an non callidas interprerationes quęritis, quo tantam antiquioris doctrinę lucem obſcuretis? vides igitur fruſtra à ſcripturis, ad patres prouocationem fieri, prætextu varietatis interpretationum: & impiè vos in accuſationem ſcripturarum conuerti, cum nec ſcripturæ autoritati, nec patrum teſtimonio, vobis ſtare propoſitum ſit, ſi aliquid huic doctrinæ quam profitemini, contrarium, ex illis euidentiſſimis rationibus, aut apertiſſimis verbis demonſtratum fuerit. Quare luce clarius eſt, non alium in finem ſucceſſionis perſonalis argumentum, & notam, vos tantopere vrgere, quam vt ſub falſa & ementita ſucceſſionis, tam in doctrina, quam in officio & loco, ſpecie & vmbra, horrendas contra Dei verbum hæreſes, & craſſiſſimas ſuperſtitiones, ventris ac glorię mundanæ cauſa, facilius apud imperitos, quibus his monſtris ac Chimeris impoſitis, defendere ac tueri valeatis.

DEFENSIO ALTERIVS propoſitionis quòd ſola Catholica *vulgo dicta Eccleſia ſuos in* perpetua ſucceſſione Paſtores oſtendere poteſt.

CAPVT VII.

Stapletonus.

VENIO *nunc ad argumenti noſtri ſubſumptum; quod ne probabile quidem eſſe affirmas. Illud huiuſmodi eſt. At ſola Catholica vulgo dicta eccleſia operarios ſuos miſſos in meſſem, miniſtros verbi, & Eccleſiarum paſtores perpetua per omnes ætates ſucceſſione demonſtrare poteſt. Contra hanc aſſumptionem, ſeu minorem argumenti propoſitionem ſic ſcribis*: Quod verò aſſumis, Eccleſiam
" Papiſticam miniſtros verbi & paſtores Eccleſiarum
" perpetua per omnes ætates ſucceſſione de-
" monſtrare poſſe; finge purum putum eſſe verbum
" Dei quod docetis, cum tamen infinitis mendacijs
" ac blaſphemijs ſcateat veſtra doctrina (*quod tam facilè a me negatur, quàm à te ſine vlla vel minima confirmatione aſſeritur*) ac demonſtra ſi potes perpetuam his aliquot ſeculis verbi miniſtrorum ſucceſſionem, cum plerique omnes Epiſcopi & Paſtores canes muti eſſent: Romanis verò Pontificibus quorum de ſucceſſione maximè ſuperbitis, nihil inſo-

inſolentius eſſet, quàm verbi miniſterio intentos eſſe, quam populum docere, quam ſemen verbi Dei ſerere. Si ad fraterculos & pauciſſimos quoſdam ex ſeculari ſacerdotio doctorculos confugis, quando tandem aut vbi terrarum perpetuam ſucceſſionem verbi miniſtrorum toties tantoque faſtidio ac ſupercilio iactatam contexes? *Hæc tu ibi: Gaudeo vehementer eam eſſe cauſæ Catholicæ firmitatem, & ſucceßionis Eccleſiaſticæ in vna Catholica indubitatam veritatem, vt eam refutaturus, veris rationibus & argumentis deſtitutus, ad inania conuitia, contumelias, & maledicta te conuerteris. Iubes enim me demonſtrare ſi poßim perpetuam his aliquot ſeculis verbi miniſtrorum ſucceßionem; & quia facillimè illud à me demonſtrari poſſe facilè præuidebas, ne ea demonſtratione facta quicquam obtinerem, excipis ſtatim, nec adhuc productis teſtibus: & tanquam nouus tot ſeculorum Ariſtarchus, cenſor, & iudex, prouincias ac virgula tua cenſoria ſingulos ordines notas ac perſtringis.* primùm ſanè Epiſcopos & Paſtores pleroſque omnes canes mutos fuiſſe, *ais. Fuerunt igitur Epiſcopi & Paſtores in Eccleſia Catholica, quam tu Papiſticam vocas, ſed canes muti erant. Vt quid ergo me demonſtrare iubes ſi poßim, quos tu ipſe nunc fuiſſe affirmas? fuiſſe, inquis, non nego, ſed officium Epiſcopale & Paſtorale non feciſſe aio: fuerunt enim canes muti. Sed vide ne tolerabilius ſit, fuiſſe in Eccleſia Catholica, canes mutos non valentes latrare, & habuiſſe illam Paſtores aliquos dormientes circa agrum dominicum, quàm eſſe nunc hodie tot canes circumlatrantes Eccleſiam Dei, & tot inimicos habere ſuperſeminantes zizania. Cæterùm tibi vir doctiſſ. & in tot ſeculorum Epiſcopis atque Pa-*

ſtoribus cognoſcendis oculatiſſimè, quis hoc retulit? quem Authorem, quem teſtem huius tuæ aſſertionis profers? Tune Ioannes ille de temporibus es, quem trecentis totis annis vixiſſe, his poſtremis iam ſeculis annales gallicè commemorant? Fuerunt *inquis*, plærique omnes canes muti his aliquot ſeculis Epiſcopi & Paſtores. *Si Apoſtolus prohibet aduerſus presbyterum accuſationem recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, tu contra Apoſtolicum præceptum quàm ſceleratè facis, qui non vnum presbyterum ſed aliquot ſeculorum Epiſcopos & Paſtores pleroſque omnes grauiſſimi criminis accuſas? Pudeat te arrepti huius è triuio conuitij, in re grauiſſima, & quæ vna ad ſalutem animæ nulla magis pertinet. Pudeat te quoque Donatiſtarum vel ineptiam vel inſaniam & furorem cæcum ita ſæpe & identidem imitari*. Petiuerunt enim Donatiſtæ *in collatione illa celeberrima Carthaginenſi*, vt probarent Catholici ſibi communicare omnes gentes, *quemadmodum ſanè tu hîc petis vt demonſtrem ſi poſſim perpetuam his aliquot ſeculis miniſtrorum verbi ſucceſſionem*. Sed cum hoc Catholici gratiſſimè acciperent & peterent vt hoc probare permitterentur, *ſicuti & nos miniſtrorum verbi perpetuam ſucceſſionem oſtendere parati ſumus, imò paulò ſuperius quoad Angliam noſtram & vicinam Galliam vbi nullo negotio inueniri queat illa ſucceſſio, oſtendimus, digito demonſtrauimus*, rurſus Donatiſtæ alia proponebant, & inter cætera de petitoris perſona (*quis videlicet in illa collatione actoris perſonam gereret*) vt conſtaret inſtabant; non ob aliud (*ait Auguſtinus*) niſi vt liceret eis perſonarum diſcuſſione longiſſimas temporum & dilationum moras inſerere, quoniam vehementer volebant

1. Timoth. 5.

In breuic. col-
lat. diei 3.

Donatiſtarum tergiuerſatio qualis hodie Proteſtantium.

lebant vt non perueniretur ad cauſam in qua nihil ſe habere quod dicerent ſciebant. *Eodem planè modo tu de perſonis miniſtrorum verbi & Paſtorum Eccleſiæ Catholicę percontatus, ſtatim ab illis ad crimina ſeu vera ſeu falſa diuertis, vt dum illa vel tecum temerè agnoſcimus, vel an ſint vera inquirimus, de re ipſa & cauſa primaria ſucceſſionis Eccleſiaſticæ nihil agamus.*

Similis etiam Fortunij Donatiſtarum Epiſcopi tergiuerſatio fuit, vt apud Auguſtinum videre eſt. Imò omnium hæreticorum hoc proprium eſſe *notauit diligenter Auguſtinus*, vt non habendo quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectent, & ea ipſa plura falſiſſimè iactent: vt quia ipſam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur (*addam ego, qua ſemen ſanæ doctrinæ vſque ad meſſem in agro dominico creſcere docetur, quòd tamen niſi per operarios miſſos in meſſem, niſi per prædicatores legitimè miſſos creſcere non poteſt*) criminari & obſcurare non poſſunt; homines per quos prædicatur, adducant in odium: de quibus & fingere quicquid in mentem venerit poſſunt. *Quare tibi G.F. qui non Donatiſtis tantùm, ſed & omnibus hæreticis hac in parte ſimillimus es, illud vnum hoc loco reſpondebo quod veſtrę ſectæ homines ex Auguſtini verbis malè intellectis à nobis flagitare ſolent.* Quæſtio certè inter nos verſatur vbi ſit Eccleſia, *vbi ſit perpetua paſtorum & epiſcoporum (ſine quibus nulla eſt Eccleſia) ſucceſſio*, vtrum apud nos an apud vos. Quid ergo facturi ſumus, in verbis noſtris eam quęſituri, an in verbis capitis ſui Domini

Epiſt. 163.
Epiſt. 137.

In lib. de vnit. eccleſ. cap. 2.

ni

Lib.2.&3.

ni noſtri Ieſu Chriſti? puto quod in illius potius verbis eam quærere debemus quia veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum. *Iuxta hac, vt dixi, Auguſtini verba ſæpius nos compellare & ad ſolas Scripturas prouocare ſoletis; quas etiam in hac quæſtione de Eccleſia (de qua quęſtione hoc ſæpe ſcripſit Auguſtinus vt ex ſolis Scripturis ea terminaretur) nos quoque penè ſolas, certè præcipuè, & ni fallor ſatis copiosè, hoc ipſo in opere produximus. Sed Auguſtini verba aut non intelligitis (vt dixi) aut certè ſecus ipſimet facitis. Vide enim quid Auguſtinus ſubijciat, & te doceat G. F.* Quæ ſint autem verba noſtra, *inquis* in quibus eam quæri non oportet aduertite. Quicquid nobis inuicem obiicimus, de traditione codicum diuinorum, de thurificatione, de perſecutionibus, verba noſtra ſunt. Et in talibus quidem nos hunc modum tenemus, vt vel vtraque vera eſſe deputent, ſiue quæ à nobis (*aut negando aut retorquendo crimina*) ſiue quę ab ipſis (*obijciendo*) dicuntur, vel vtraque falſa (*& eorum crimina & noſtra*) vel noſtra vera & ſua falſa, vel noſtra falſa & ſua vera. Et in his omnibus nullum crimen eſſe orbis Chriſtiani, cui nos communicamus, oſtendimus. *Hæc Auguſtinus. Quare igitur tu G. F. contra quàm à nobis tam ſæpe tui flagitant, tua hîc verba, id eſt, crimina contra Eccleſiam ſeu verè ſeu falſò obiecta, & non ſola Chriſti verba in quæſtione de Eccleſia protuliſti? Reſpondemus propterea, tam ad hoc crimen, quod hic* pleriſque omnibus aliquot iam ſeculorum paſtoribus & Epiſcopis obiectas, eos canes mutos fuiſſe, *quàm ad illud quod de Romanis Pontificibus ſubijcis*, Nihil apud eos inſolenſolentius fuiſſe quàm verbi miniſterio intentos eſſe, quàm populum docere,&c. *ſiue verè ſiue falſò hæc à ſe obijciantur, nullum crimen eſſe orbis Chriſtiani cui nos communicamus. Aliquorum enim, non totius orbis Chriſtiani, iſta à te obiecta in paſtorali officio negligentia & oſcitantia, crimen fuerit, vel, ſi Auguſtini verbis me loqui mauis, dico.* Ad quoſdam illa crimina pertinere poſſunt, non ad vniuerſum orbem Chriſtianum: *quem ſi contagione ſociorum periſſe arbitraris, Donataſta es. Si omnes & ſingulos eodem crimine irretiri audes dicere, etiam Donatiſtis deterior es.*

Vbi ſuprà.

Quære, iterum Auguſtini verbis & exemplo, te hac in parte Donatiſtam, iterum rogo. Sequeſtrata hac dubia quęſtione (*de criminibus à te obiectis ſeu veris ſeu falſis*) quæro quo modo vos iuſtè ſeparaſtis ab innocentia cæterorum Chriſtianorum, qui per orbem terrarum ſucceſſionis ordinem cuſtodientes, in antiquiſſimis Eccleſijs conſtituti, penitus ignorarent qui fuerint in Africa traditores (*vel vt tu hic obiectas, qui fuerint illi canes muti, qui verbi miniſterium neglexerint*) qui certè non poſſent communicare niſi eis quos ſedere in ſedibus Epiſcopalibus audiebant. *Hæc ille. Ad hanc non meam ſed Auguſtini quæſtionem reſponde ſi potes G. F. Noſtri maiores vel non habentes tales canes mutos in Eccleſiis ſuis quales tu dicis, vel certè eos neſcientes, quomodo ſe ab illis ſeparare iuſtè & rectè potuerunt? Succeſſionis ordinem per orbẽ terrarum cuſtodiebant. In antiquiſſimis Eccleſiis, quæ vtique ad Apoſtolos ſuam originem referebant, conſtituti erant. Cæterorum crimina à te obiecta ignorabant. Ignoramus & nos hodie. Nec te probare vnquam*

Auguſt. Epiſt. 163.

quam ea poſſe arbitramur. Nec illi ergo maiores noſtri, nec nos hodie, alijs communicare poſſumus, quàm eis quos ſedere in ſedibus Epiſcopalibus videmus & audimus. Latitantem tuam & fugitiuam Eccleſiam, nec Auguſtinus tunc, nec poſtea maiores noſtri, nec hodie nos, aliquando cogitare potuimus. Deſine igitur cùm Donatiſtis contra Eccleſiam eiúſque ſucceſionem paſtoralem hominum crimina proferre; & nos tibi Eccleſię noſtræ Paſtores perpetuos facilè oſtendemus. Habemus enim (exempli cauſa) omnium Epiſcoporum quos annis penè mille Anglia habuit paratum catalogum & ordinem à Polydoro Virgilio deſcriptum. Idem vt dixi, in Gallia imò de omnibus ferè Chriſtiani orbis prouincijs collegit Antonius Demochares. Hiſtoriæ maiorum noſtrorum, Eccleſiarum regiſtra & tabulæ publicæ, immò ipſamet Templa & Collegiorum Eccleſiaſticorum monumenta vetuſtiſſima, quæ nunquam Epiſcopis & Paſtoribus carebant, ſucceſſionis perpetuæ in Eccleſia noſtra luculenta & irrefragabilia ſunt documenta. Denique ne domi nos tantùm hærere, vel in ſola Europæ parte Eccleſiæ noſtrę Paſtores perpetuos proferre nos poſſe exiſtimes; proferam tibi quando voles etiam totius Europæ, ſeu Patriarchatus Romani, adeoq; Occidentalis Eccleſiæ totius Epiſcopatus, quorũ catalogum quendam vetuſtiſſimum manuſcriptum ex Bibliotheca Monaſterij Aquicinctenſis, antè aliquot annos tranſcripſi, quem etiam nunc alicubi typis æditum fuiſſe audio. Atque hæc ad ſubſumptum argumenti noſtri(quod ne probabile quidem eſſe affirmabas) hactenus diximus.

In hiſt. Angl.
De ſacrificio Miſſæ, lib. 2.

Addidiſti tertio, nec ipſam complexionem argumenti mei cum ſuo antecedente vlla neceſſitate cohærere. Sed hoc tertium argumenti mei vitium (quod certè maxi-

uium fuiſſet; quia etiam in forma peccaret) tu ſemel aſſeruiſſe contentus, ne uno quidem verbo cōfirmas. Quare ut conuitium & maledictum à te temerè, ſed de more prolatum penitus prætereo.

VENIS nunc ad argumenti tui ſubſumptum, quod ego ne probabile quidem eſſe affirmabam, nimirum, ſolam vulgo dictam Catholicam miniſtros verbi, & Eccleſiarum paſtores, perpetua per omnes ætates ſucceſſione, demonſtrare poſſe. *Quod ideo falſum eſſe, euidenti ratione oſtendi, quia plerique canes muti eſſent, qui in paſtorum ſedibus dormirent, Romanis vero Pontificibus, quorum de ſucceſſione maxime ſuperbitis, nihil inſolentius eſſet, quam verbi miniſterio intentos eſſe, quam populum docere, quam ſemen Dei verbi ſerere. Primum hæc me crimina falſo comminiſci calumniaris, & propterea varijs me lædorijs ac conuitijs excipis.* Si falſum crimen eſt, tu qui ſucceſſionis Eccleſiaſticæ lineam à Chriſti in cælum aſcenſione, in hunc vſque diem deducturum te profiteris, oſtende quinam fuerint, aut vbi perpetuo non interrupta ſerie docuerint iſti paſtores, & Epiſcopi, & quoties in anno Romani pontifices doctoris cathedram aſcenderunt, populum è ſacra Scriptura docuerunt, ſemen verbi diuini apud plebem ſparſerunt. Hoc niſi oſtendis, fruſtra garris, de perpetua doctorum & paſtorum in Eccleſia ſucceſſione, non enim canes mutos, quos idola vocat paſtorum propheta, ſed Paſtores & doctores, qui pabulo verbi Dei paſcerent ac docce-

Fulco.

Zach. 11.

Eph.4. rent, Chriſtus ad ædificationem Eccleſiæ dedit.
Quod Pauli teſtimonium, cum tu tam ſæpe ad
perpetuam, tam doctrinæ quam paſtorum ac do-
ctorum ſucceſſionem vſurpaueris, nõ pudet nunc
ad canes pleroſque mutos redactam eſſe egregi-
„ am hanc, de qua gloriaris ſucceſſionem, & ſiue ve-
„ rum, ſiue falſum ſit crimen quod obijcio, ſatis eſſe
iactare, ex regiſtris Eccleſiarũ, & publicis tabulis,
nuda nomina paſtorum & doctorum producere
te poſſe? Atqui hos omnes, niſi & docuiſſe, & can-
dem cum Apoſtolis doctrinã perpetuo tradidiſſe
demonſtras, falsò ſucceſſionem perpetuam paſto-
rum & doctorum confingis. Nec enim canes mu-
ti doctores ſunt, nec hæretici paſtores, ſed Lupi.
Itane pro paſtoribus, & doctoribus, luporum, aut
canum mutorum nomina nobis obtrudes, vt per-
petuam in fide, & doctrina ſeriem ac ſucceſſio-
nem vos habere demonſtretis? Apage cum puti-
diſſimis iſtis cauillis, an tu homines fungos putas,
vt omnium ſimplicitati ad hunc modum te illude-
re poſſe ſperes? Me tamen Donatiſtis ſimillimum
„ facis, qui de perſonis miniſtrorum verbi & paſto-
„ rum Eccleſiæ percontatus, ſtatim ab illis ad cri-
„ mina, ſeu vera, ſeu falſa diuerto, vt dum illa vel te-
„ mere mecũ agnoſcitis, vel an ſint vera inquiritis,
„ de reipſa & cauſa primaria ſucceſſionis Eccleſia-
„ ſticæ nihil agatis. Sed quis non videt quam iniquè
me cum Donatiſtis conferre ſtudes, cum quæ illi
crimina obiectaſſent, nihil omnino ad cauſam,
quam diſcutiendam ſuſceperant contra Catholi-
cos, faciebant. Hæc vero quæ ego de mutis cani-
bus, & Romanis Pontificibus, raro aut nunquã do-

centibus, excipio, ipſam ſucceſſionis Eccleſiaſticę cauſam propriiſſimè attingant. Cum Eccleſiaſtica & legitima ſucceſſio ſit, perpetua paſtorum, ac doctorum, non luporum, aut canum ocioſorum, non valentium latrare, ſeries, & ordo continuatus. Sed Auguſtini verba, aut non intelligere nos aut ſecus facere ais, iuxta quæ ſæpius vos compellare, & ad ſolas Scripturas prouocare ſolemus, eo quòd dicat Auguſtinus non in noſtris, ſed in Domini Ieſu Chriſti verbis quærendã eſſe Eccleſiam. Noſtra autem verba interpretatur Auguſtinus, crimina à Donatiſtis obiecta Catholicis, vel à catholicis obiecta Donatiſtis: De traditione diuinorum codicum, de thurificatione, de perſecutionibus: Ita & tu noſtra verba eſſe cauillaris, quæ de canibus mutis, & pontificibus indoctis, ac non docentibus obiecto, quæ ſiue vera, ſiue falſa ſint, reſpondes cum Auguſtino, nullum eſſe crimen orbis Chriſtiani cui communicatis, & ad quoſdam illa crimina pertinere poſſe, non ad vniuerſum orbem Chriſtianum. At quis non videt, quanto interuallo cauſa noſtra à Donatiſtis diſcrepet? Illi enim è ſolis criminibus obiectis, non ex Scripturæ oraculis, Catholicam Eccleſiam repudiandam eſſe vociferabantur, cum ſiue vera eſſent illa crimina, ſiue conficta, nulla Scriptura doceat, ob talia crimina à paucis commiſſa, deſerendam eſſe totius orbis communionem. In ſuis igitur verbis Eccleſiam quærebant, non in verbis capitis eius, qui veritas eſt. Contra Auguſtinus ex Scripturis oſtendebat Eccleſiam per totum terrarum orbem diſſeminatam, qualis cum nõ eſſet Donatiſtarum

De vnitat. Eccleſ. cap. 2.

cœtus, hinc ſatis concluſum arguebat, eorum cœtus non eſſe veram Christi Eccleſiam. Eodem plane modo, & ego, è Scripturis quæ perpetuam paſtorum & doctorum ſucceſſionem fore in Eccleſia promittunt, non canum mutorum aut luporum propagationem concludo, non poſſe in Eccleſia Papiſtica perpetuam hunc ſucceſſionem oſtendi, eo quod plerique fuerint, aut canes muti, aut lupi rapaces, ex quibus hanc ſucceſſionem contexere poteritis. Hæc niſi tu crimina probè diluas, non minus laborabis in legittima ſucceſſione demonſtranda, quam nos in nominibus hominum recenſendis, quorum quia latuerunt cum Eccleſia, non vſque adeo celebre fuit nomen, vt omnium, aut plurimorum ad noſtram memoriam vocabula peruenerint.

Eph. 4.

Auguſ. 163.

Sed iterum Auguſtini verbis, & exemplo me in
„ hac parte (ſcilicet) Donatiſtam rogas. Sequeſ-
„ trata hac dubia quæſtione (de criminibus obiectis,
„ ſeu veris, ſeu falſis) quæro quo modo vos iuſtè ſe-
„ paraſtis ab innocentia cæterorum Chriſtiano-
„ rum, qui per orbem terrarum ſucceſſionis ordi-
„ nem cuſtodientes, in antiquiſſimis Eccleſijs con-
„ ſtituti, penitus ignorarent qui fuerunt in Africa
„ traditores (vel vt tu hic obiectas, qui fuerint illi
„ canes muti qui verbi miniſterium neglexerint)
„ qui certè non poſſent communicare niſi eis, quos
„ ſedere in ſedibus Epiſcoporum audiebant. Ad hæc
Auguſtini quæſtionem, reſpondere me iubes ſi
poſſum. Euge, facillimè reſpondeo: Nego vos
ſucceſſionis legittimæ ordinem cuſtodire, cum
ſucceſſionem non perſonarum tantum aut loco-

rum, ſed doctrinæ etiam veræ, coniunctionem & conſanguinitatem adhibendam eſſe neceſſario, tute paulo ante confeſſus fueris: Auguſtini vero ſęculo, inter catholicos & Donatiſtas, de doctrina Eccleſiæ immutata non erat controuerſia, ſed de quorundam hominum criminibus obiectis. Non igitur cum Donatiſtis, contra Eccleſiam eiuſque ſucceſſionē paſtoralem hominum crimina profero, ſed canum mutorum propagationem, quamuis diuturnam, paſtoralem eſſe ſucceſſionem nego, canumque mutorum interuentu legitimam verbi miniſtrorum ſucceſſionem, corrumpi aſſero. Quod me hæc crimina nunquam probare poſſe arbitraris, quæ tamen omnibus ſunt notiſſima, facilius à te refelli poterunt, ſi Romanos Pontifices, per aliquot ſæcula, nulli alij negotio æque, ac verbi diuini prædicationi, intentos fuiſſe probaueris, alioſque omnes paſtores & Epiſcopos, quorum ſeriem ex Demochare, & catalogo ex Aquicinctenſis Monaſterij Bibliotheca deſcripto, proferre te paratum profiteris, Paſtorali & Epiſcopali in docendo muneri ſatis feciſſe, ne canes muti eſſent, & eandem doctrinam, quam Apoſtoli Eccleſijs à ſe fundatis tradiderint, perpetuò conſeruaſſe, ne lupi rapaces eſſent demonſtraueris. Hæc niſi præſtiteris, deſine de ſucceſſionis nota, nobiſcum contendere, & complexionis tuæ vitium non agnoſcere, in qua pro paſtoribus & doctoribus, quorum in Eccleſia neceſſaria eſt ac perpetua propagatio, nudam inanemq; nominum tantum recenſionem introducis, de quibus quæri nefas ducis, docuerint an dormierint, ſeipſos, an gregem pauerunt, cibum Domini diſpenſauerint, an venenum populis propinauerint, hoc eſt fuerintne reuera paſtores & Doctores, an potius canes ſomnolenti, & lupi rapaces.

CAVILLATIONES quædam circa vocem, Catholicam, *itemque ſemen & agrum* Dominicum abſterſæ.

CAPVT VIII.

Stapletonus.

ARRODIS *poſtremo loco voculam illam*, Catholicam dictam Eccleſiam, *quia hanc appellationem* de Romana & Papiſtica, *vt loqueris*, intellectam vulgus Papiſtarum tantum non autem Chriſtianorum, id eſt, Proteſtantum vſurpat, vtpote qui hæreticam illam & Antichriſtianam dicunt: quibus etiam elogiis ab orientalibus iamdudum Græcorum Eccleſiis ornata eſt. Quæ ergo, *inquis*, eſt iſta futilitas, vulgò Catholicam dictam, pro verè Catholica venditare, quæ nulli niſi ſuorum vulgo ſic appellata ſit? *Niſi religionem quam tenes mendaciſſimam eſſe certò cognoſcerem, ad tot & tanta mendacia tua, in tam minuto libello toties prolata, prorſus obſtupeſcerem. Sed fieri aliter non poteſt. Cauſa mala non niſi peſſimè ſuſtineri, & mendax religio non niſi mendaciis defendi poteſt.*

Primùm enim non vulgus tantum Papiſtarum, qui 1.
huius Catholicæ membra ſunt, ſed ipſi etiam hæretici, alieni
& prophani, communionem illam orbis terrarum
quam Papiſtæ tenent, vulgò Catholicam vocant: & niſi
ſic vocarent, quam Eccleſiam dicerent intelligi non poſſent:
ſicuti iam in hoc opere ex Auguſtino & aliàs oſtendimus.
Sed video illa ad te omnia nihil pertinere. Addam
igitur hoc loco pauca. Quæro abs te. Ioannes Iuellus Lib.4.cap.2.
nuper Sarisburienſis in Anglia pſeudoepiſcopus, de 2.
vulgo Papiſtarum erat an Chriſtianorum, id eſt, Proteſtantium,
vt tu exponis? Nobilem planè Proteſtantem
eum fuiſſe nunquam negabis. At ille in titulo & fronte
libri quem vt replicam emiſit contra reſponſiones Thomę
Hardingi viri doctiſs. ait, ex illo opere ſuo facilè perſpici
poſſe, quàm infirmis fundamentis nitatur
Romana religio, nuper vulgò Catholica dicta, aut
habita. *Catholicam dicere quam Romanam dixerat,*
non eſt auſus. Catholicam tamen eam vulgò haberi neceſſariò
adiecit, vt quam intelligeret religionem certiùs
exprimeret, quæ non tam frequenter aut communiter
Romana quàm Catholica vocari ſolet. Hanc etiam ob 3.
cauſam Vincentius Lyrenenſis in perſona Hæreticorum
ſui temporis ſic loquitur. Venite ò inſipientes & miſeri,
qui vulgò Catholici vocitamini. *I nunc G.F. &* Cap.26.
tam Iuellum tuum, quàm Vincentium hunc noſtrum
verbis tuis caſtiga & flagella, quòd auſi fuerint ſcribere
de vera Catholica, vulgò Catholicam dictam. *At, inquis,*
Chriſtiani quos vocas Proteſtantes, eam vocant
Antichriſtianam. *Quæro abs te G.F. quare iſtud*
addis, quos vocas Proteſtantes? *An vos ipſos ipſimet*
paſsim ita non vocatis & ſcribitis? Planè de hoc nomine
hactenus non erubuiſtis. Si nunc erubeſcitis, gaudeo. Deinde

gem pauerunt, cibum Domini diſpenſauerint, an venenum populis propinauerint, hoc eſt, fuerintne reuera paſtores & Doctores, an potius canes ſomnolenti, & lupi rapaces.

CAVILLATIONES quædam circa vocem, Catholicam, itemque ſemen & agrum Dominicum abſterſæ.

CAPVT VIII.

Stapletonus.

ARRODYS *poſtremo loco voculam illam*, Catholicam dictam Eccleſiam, *quia hanc appellationem* de Romana & Papiſtica, *vt loqueris*, intellectam vulgus Papiſtarum tantum non autem Chriſtianorum, id eſt, Proteſtantium vſurpat, vtpotè qui hæreticam illam & Antichriſtianam dicunt: quibus etiam elogiis ab orientalibus iamdudum Græcorum Eccleſiis ornata eſt. Quæ ergo, *inquis*, eſt iſta futilitas, vulgò Catholicam dictam, pro verè Catholica venditare, quæ nulli niſi ſuorum vulgo ſic appellata ſit? *Niſi religionem quam tenes mendaciſſimam eſſe certò cognoſcerem, ad tot & tanta mendacia tua, in tam minutulo libello toties prolata, prorſus obſtupeſcerem. Sed fieri aliter non poteſt. Cauſa mala non niſi peſſimè ſuſtineri, & mendax religio non niſi mendaciis defendi poteſt.*

Primùm enim non vulgus tantùm Papiſtarum, qui 1. *huius Catholicæ membra ſunt, ſed ipſi etiam hæretici, alieni & prophani, communionem illam orbis terrarum quam Papiſtæ tenent, vulgò Catholicam vocant. & niſi ſic vocarent, quam Eccleſiam dicerent intelligi non poſſent: ſicuti iam in hoc opere ex Auguſtino & aliâs oſtendimus. Sed video illa ad te omnia nihil pertinere. Addam igitur hoc loco pauca. Quæro abs te.* Lib.4.cap.2. *Ioannes Iuellus* 2. *nuper Sariſburienſis in Anglia pſeudoepiſcopus, de vulgo Papiſtarum erat an Chriſtianorum, id eſt, Proteſtantium, vt tu exponis? Nobilem planè Proteſtantem eum fuiſſe nunquam negabis. At ille in titulo & fronte libri quem vt replicam emiſit contra reſponſiones Thomę Hardingi viri doctiſs. ait,* ex illo opere ſuo facilè perſpici poſſe, quàm infirmis fundamentis nitatur Romana religio, nuper vulgò Catholica dicta, aut habita. *Catholicam dicere quàm Romanam dixerat, non eſt auſus. Catholicam tamen eam vulgò haberi neceſſariò adiecit, vt quam intelligeret religionem certiùs exprimeret, quæ non tam frequenter aut communiter Romana quàm Catholica vocari ſolet.* 3. *Hanc etiam ob cauſam Vincentius Lyrenenſis in perſona Hæreticorum ſui temporis ſic loquitur.* Venite ò inſipientes & miſeri, qui vulgò Catholici vocitamini. Cap.26. *I nunc G.F. & tam Iuellum tuum, quàm Vincentium hunc noſtrum verbis tuis caſtiga & flagella, quòd auſi fuerint ſcribere de vera Catholica,* vulgò Catholicam dictam. *At, inquis,* Chriſtiani quos vocas Proteſtantes, eam vocant Antichriſtianam. *Quæro abs te G.F. quare iſtud addis,* quos vocas Proteſtantes? *An vos ipſos ipſimet paßim ita non vocatis & ſcribitis?* Planè de hoc nomine *hactenus non erubuiſtis. Si nunc erubeſcitis, gaudeo. De-*

inde quando hoc addidiſti, nónne re vera Chriſtianos vos non eſſe, aut ſaltem non haberi aliquo modo prodidiſti? Neque enim hoc addere opus erat, ſi vos ſolos & ſectam veſtram, quæ Proteſtantium dicitur, Chriſtianos eſſe intelligi potuiſſes. Sed quia Latinis auribus ſcripſiſti, hoc tuum interpretamentum addere neceſſe habuiſti. Latina enim Eccleſia Chriſtianos ſimpliciter dictos, non Proteſtantes aut aliquam eorum ſectam atque particulam, ſed ſolos Catholicos intelligit.

Quale autem mendacium eſt quòd dicis Papiſtarum Eccleſiam etiam à vulgo Proteſtantum hæreticam dici? *Equidem multorum Proteſtantium multa ſcripta ab annis iam viginti & amplius legi atque perlegi: Tu tamen primus Proteſtantium es apud quem unquam legerim Papiſtas hæreticos vocari. Et certè in ipſa Anglia (ut audio) hoc eos nomine nemo vocat; ſed Catholicos plerique etiam veſtrûm eos appellant, addendo tamen ſubinde, ſic habitos aut ſic communiter dictos; ne ſi nudè ita eos ſimpliciter appellarent, ſe ipſos, qui illorum fidei adverſantur, planè hæreticos eſſe inſinuarent.*

Iam verò & protervæ audaciæ illud mendacium eſt; Eccleſiam Romanam à Græcorum Eccleſiis Antichriſtianam vocari. Hoc vobis Occidentalibus ſeu Septentrionalibus potius hæreticis proprium eſt, qui omnium primum ab Wiclepho ſic edocti Antichriſtum in Scripturis prædictum Romanum eſſe Pontificem docuiſtis. Unicam enim Catholicam Eccleſiam variis nominibus varii hæretici nuncupârunt. [a] *Ariani enim homouſianos,* [b] *Donatiſtæ traditores,* [c] *Montaniſtæ pſychicos,* [d] *Pelagiani &* [e] *Ioviniániſtæ Manichæos,* [f] *Apollinariſtæ Anthropolatras, Græci* [g] *Azymitas, ſoli autem hodie poſt Wiclephum Proteſtantes Papiſticam &*

Waldeſ.tom. 2.de Sacram. Doctr.7.

[a] Opus imperf.in Matth. hom.49.

[b] Auguſt. paſſim.

[c] Tertull. cõtra pſychias.

[d] Auguſt.contra 2.epiſt.Pe-

Antichriſtianam Eccleſiam vocarunt Catholicos. Vides quot mendacia in verbis pauciſſimis effutiſti.

lag. lib,3. ca.9.

In fine huius ſectionis etiam illud reprehendis, quod bonum ſemen in agro dominico ſatum, pro veræ doctrinæ ſemine interpretor, quod Chriſtus ipſe filios regni diſertè interpretatur, *Matth. 13. verſ.* 38. *Sed falleris mi G. Etſi enim filij regni ſunt ſemen bonum, tamen quia non niſi per rectam fidem & veram doctrinam fiunt filij regni, (vnde ab effectu ipſum ſemen exponit Chriſtus eſſe filios regni;) propriè & formaliter ſemen ipſum quod ſeminatur, eſt ſemen doctrinæ veræ quod prædicatur, vt alibi ipſe Chriſtus expoſuit in alia parabola ſeminatoris & ſeminis Luc. 8. Quam ob cauſam poſt Auguſtinum, cuius verba hic citaueram, ſemen hoc loco pro vera doctrina rectè expoſui.*

e Ibidē lib.1. cap.2.

f Nazianzen. epiſt.1. ad Cledonium.

g Anſelmus ad Walerandum Nuneburgenſem epiſcopum.

Taxas poſtremò, quod agrum dominicum, quem Chriſtus mundum expoſuit, ego ſolam Catholicam Eccleſiam expono. *Sed hic iterum mi G. neſcius & imprudens Donatiſtarum partes agis.* Illi enim *(vt ſcribit Auguſt.)* diu fruſtra contenderunt, quod non in Eccleſia prædicta ſint futura zizania, quia dixit Dominus, Ager eſt hic mundus, nec dixit, Ager eſt Eccleſia. Nos autem mundum pro Eccleſiæ ſignificatione poſitum dicebamus, ſicut etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura præfigurabatur Eccleſia. Vnde illi dicebant mundum ſemper in malam ſignificationem poſitum. Si quis dilexerit mundum, &c. Nos verò non ſolùm in malam ſed etiam in bonam ſignificationem mundum in Scripturis poſitum reſpondebamus; & commemorabamus illud, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, qui vtiq; non

Donatiſtarum partes agunt Proteſtantes.

Contra Donatiſtas poſt Collationem cap,6.

1. Ioan,2.

2. Cor,5.

ſibi recōnciliat niſi Eccleſiam. *Hæc ille. Satisfaciat ergo pro me Auguſtinus contra te, qui olim contra Donatiſtas, in eiuſdem verbi hoc eodem loco explicatione ſatisfecit.*

Fuco.

Hic ad tot, & tanta mendacia mea penè obſtupeſcis: primum, quod vulgo tantum Papiſtarum Eccleſiam papiſticam Catholicam appellari dixerim, quam vulgus Chriſtianorum, quos vocas proteſtantes, hæreticam vocat, & Antichriſtianam. Aſſeris enim, hæreticos alienos, & prophanos, communionem veſtram vulgo Catholicam vocare, & niſi ſic vocarent, quam Eccleſiam dicerent, non poſſe intelligi. Imò cum omnes hæreſes Catholicæ eccleſiæ nomen ad ſe rapere ſtudeant, potius non intelligerentur, ſi Catholicam vocarent. At ſi papiſticam, aut Romanenſem dicerent, facile ab omnibus perciperetur, quem cœtum hæreticorum intelligerent. Sed Ioannes Iuellus Sariſburienſis nuper Epiſcopus, quem nobilem plane proteſtantem fuiſſe, hoc eſt Chriſtianum, nunquam negauerim, in titulo & fronte libri, quem vt replicam emiſit, contra reſponſiones Thomæ Hardingi &c. ait ex illo opere ſuo facile perſpici poſſe, quam infirmis fundamentis nitatur Romana religio, nuper vulgo catholica dicta, aut habita. Hinc credo colligis, non vulgo tantum Papiſtarum, ſed nobili inter proteſtantes Theologo, eccleſiam Romanenſem Catholicam dici. Egregiè ergo mentitus ſum, qui vulgo tantum Papiſtarum ita vocatam ſcripſerim. Immo vero addis, Catholicam dicere, quam Romanã dixerat, non eſt auſus. Catholicã tamen eam vulgo haberi, neceſſario adiecit: vt quam intelligeret religionem certius exprimeret. Obſecro quæ diomedæa hæc fuit neceſſitas, Catholicæ habitæ, explicationem addendi, cum ſi papiſticam dixiſſet, vtrique, tam Papiſtarum, quam ſuorum vulgo ſatis explicatè ſignificaſſet, quam Romanam, ſiue Romanenſem religionem intelligeret. Sed qui me tanta libertate mendacij coarguere videris, vide ne ipſe mentitus ſis, cũ religionem Romanenſẽ, vulgo haberi Catholicam, à Iuello neceſſario adiectum aſſeris, quam ille non tum, cum librum ſuum emitteret haberi, ſed nuper obtinente nimirum ſub Maria Regina, per totum Angliæ Regnum papiſmo vulgo dictam, habitam illic ſentiret. Vt nihil plane, ſiue mentem eius, vel verba ſaltem expenderes, quod cum mea aſſertione ex diametro repugnat, à Iuello dictum profiteas.

Sed Vincentius Lyrinenſis, in perſona ſui temporis hæreticorum, ſic loquitur: Venite O inſipientes, & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini. Sed alia noſtrorum temporum ratio eſt, tum enim Catholici, non Catholicorum, ſed hæreticorum omnium (vt Auguſtinus etiam docet) vulgo dicebantur vere Catholici, nunc vero hæretici papiſtæ, quamuis eo titulo ſupra modum ſuperbiant, ipſumque ad ſe ſolos rapere ſatagunt, non tamen ab orthodoxorum vulgo Catholici, ſed Cacolyci potius, vel pſeudocatholici, ſæpiſſime ſitæ autem, maximeque trito vocabulo papiſtæ appellantur. » Cum de Chriſtianis verba facio, quos » vocas proteſtantes, quæris à me cur iſtud addam, » Quos vocas proteſtantes, & an non nos ipſos paſſim » ita vocamus, ac ſcribimus. Reſpondeo, proteſtantium nomen à proteſtando, contra edictum quo omnia papatus monſtra defendebantur, primum cœpit, & niſi ſub proteſtatione nunquam eo vocabulo ad nos à vobis diſcernendos vtimur, nullũ nos propriũ religioni noſtrę niſi Chriſtianorũ & Catholicorũ nomen agnoſcere. Quæris autẽ cum hoc addiderim, an non reuera Chriſtianos nos nõ eſſe, aut ſaltem non haberi, aliquo modo prodiderim? Certe vobis non haberi pro Chriſtianis, quos vocatis proteſtãtes, ſatis conſtat, quod nunquam Chriſtianos, ſed vel proteſtantes, quod minus eſt, vel hæreticos, quod grauiſſimum eſt, quoties de eis mentionem facitis, appelletis. Sed an ideo minus ſumus Chriſtiani, quia ab hęreticis, & Antichriſti mancipijs conuitia ac contumelias patimur? Imo hoc nomine magis in do- » mino nobis applaudimus, & gaudemus, quod » cum illa omnia & ſola quę ſpiritus ſanctus in » ſcripturis prodidit, credamus & doceamus, ab Antichriſto tamen, eiuſque impijs ſatellitibus pro hęreticis habeamur.

Quale autem mendacium, quod dico, Papiſta- » rũ eccleſiam etiam à vulgo proteſtantium hæreti- » cam dici. Cum tu multorum proteſtantium mul- » ta ſcripta, ab annis iam viginti legeris atque perlegeris, ego tamen primus proteſtantium ſum, apud quem vnquam legeris papiſtas hæreticos appellari. Qui tam multa legis, vt reliquos omittam, ſaltem non legiſti, Securem quam tute ex Staphylo (ni fallor) contra hæreſes exacuiſti, à Bartleto quodam multis ab hinc annis retuſam? Sed prudenter diſſimulas, quæ contra te ſcripta ſunt, ne tardus ad reſpondendum fuiſſe videaris. Deinde qui vos papiſtas appellat, annon hæreticos aperte vocat? Quid enim aliud eſt Papiſmus, quam hæreſis magna & peſſima? niſi forte ſit quiddam hæreſi deterius. Quod audis in Anglia Papiſtas à nemine vocari hæreticos, argumentum eſt te impudentiſſimis, ac mendaciſſimis nebulonibus aures accommodare, cum publicè pro concione, & in priuatis colloquijs, non alio, quam hęreticorum, aut eo quod huic vocabulo ęque pollet, à nobis appellentur, Catholicos vero, nemo ſerio niſi falſo ſic dictos, habitoſue, aut per ludibrium, & ironiam vocitet. Iam vero & illud proiectæ audaciæ mendacium eſt Eccleſiam Romanam à Græcorum Eccleſijs Antichriſtianam vocari. Cum hoc nobis proprium ſit, qui omnium primi à Wicleſo ſic edocti, Antichriſtum in ſcripturis prædictum, Romanum eſſe pontificem docuimus. At cuius eſt hoc frontis aſſerere, cum Waldenſes, qui aliquot ante Wicleſum ſæculis, ex eccleſia Romana, tanquam ex Babylone diſceſſerunt, articulo 9. diſerte fateantur, *Eccleſiam Romanam eſſe eam Babylonem, de qua prædictum eſt in Apocalypſi, Papam vero eſſe fontem omnis erroris ipſumq́ Antichriſtum*. Quod vero dixeram, *hæreticæ & Antichriſtianæ elogijs eam à Græcorum eccleſijs ornatam fuiſſe*, non eodem pror-

Articul. Vlatiſlao à Walden. exhib. ex Io. Foxio.

ſus modo Antichriſtianam, quo à nobis dicitur ſenſi à Græcis appellatam, ſed quo modo omnes hęretici ſunt Antichriſti, ita & eorum cœtus pro Antichriſtianis habendi ſunt. Damnatos fuiſſe à græcis pro hæreticis, ſi negaueris Romanenſes, multis teſtimonijs facile reuinceris. Quin & Canon ille Concilij Lateranenſis, qui de ſuperbia Græcorum inſcribitur, ſatis oſtendit, quanto odio & acerbitate eos deteſtati fuerint, vt pollui eorum altaria Romanenſium ſacrificio putarent: quidam etiam ab illis baptizatos, denuo rebaptizandos cenſerent. Hæc ſunt illa mendaciorum portenta, quæ tibi ſtuporem incuterent, niſi religionem noſtram mendaciſſimam cognoſceres. Verum ſi ex orationis tuæ vanitate, religionis veſtræ falſitas conijcienda eſſet, quid de Papiſtica religione ſentiendum ſit, ex tot tantiſque tam prioribus quam recentioribus mendacijs tuis, „ æquis omnibus lectoribus ponderandum relinquo. „ Succenſes mihi poſtremò, quod in huius ſectio„nis fine illud reprehendam, quod bonum illud „ ſemen, quod in agro à patre familias ſatum, ad „ meſſem creſcere oportet, exponas pro veræ „ doctrinæ ſemine, quod Chriſtus ipſe, optimus ſuę parabolæ interpres, filios regni diſerte interpretatur: Quodque agrum dominicum, in quo ſeritur bonum ſemen, quem Chriſtus mundum expoſuit, tu ſolam eccleſiam Catholicam interpretatione tua explicas. In priori falli me dicis. Quia etſi filij regni ſint „ ſemen bonum, tamen quia non niſi per rectam „ fidem, & veram doctrinam fiunt filij regni (vnde ab effectu exponit ipſum Chriſtus, eſſe filios regni) proprie & formaliter ſemen ipſum quod ſeminatur, eſt ſemen doctrinæ veræ quod prædicatur, vt alibi Chriſtus expoſuit, in alia parabola ſeminatoris, & ſeminis Luc. 8. Pulchrè concludis quia in alia parabola, cuius alius eſt finis, alia interpretatio, ſemen à Chriſto exponitur verbum Dei, ergo in iſta, improprie & accidentaliter interpretatur filios regni. Ea ratione, hæc Chriſti interpretatio, alia interpretatione indiget, vt non tam parabolam diſcipulis explicuiſſe, quam impropria expoſitione obſcuriorem effeciſſe videatur. Verum ſi filij regni dicuntur bonum ſemen, non alia ratione, quam quod per verbum Dei tales fiant, filij illius mali, qua ratione dicuntur Zizania, non malæ doctrinæ ratione, cum multi aut nulla, aut vera etiam, doctrinã imbuti ſint, tamen filij illius mali, & Zizania in agro dominico. Sed Auguſtinum Chriſto opponis, meque Donatiſtarum partes agere cauillaris, qui negem ſemen bonum, in hac parabola verbum Dei, agrum eccleſiam deſignare. Si hoc ſit Donatiſtarum partes agere, in Chriſti interpretatione, contra omnes omnium hominũ expoſitiones ſtare, non recuſo Donatiſtis accenſeri. Paulus ſe Phariſæum profitetur, contra Sadducęos, qui reſurrectionem carnis negabant. Et malo cum Donatiſtis Chriſti interpretationem, vt ſolam veram defendere, quam cum Auguſtino, contra Donatiſtas aliter ſentire: Quanquam non ago Donatiſtarum partes, qui & in hac parabola, & alibi ſemper mundum in malam partem poſitum imaginati ſunt, vt Auguſtinus ait, ne per totum mundum diſſeminatam eccleſiam agnoſcerent. Multo probabilius Auguſtinus, qui mundum pro eccleſia poſitum dicebat, quia per totum mundum futura præfigurabatur eccleſia. Et recte quidem ex hac Chriſti interpretatione, qua ſparſi per agrum, hoc eſt mundū dicuntur filij regni, eccleſiā in omnes mundi partes propagandam colligit Auguſtinus. Perperam verò, quod pace tanti viri, pro Chriſti ſeruatoris interpretatione, dictum velim, per mundum non niſi eccleſiam intelligit, quia non in eccleſia ſolum aſpectabili, ſed per totum terrarum orbem diſperſa ſunt Zizania, hoc eſt filij illius mali, quos inimicus ſeminat diabolus. Non igitur pro te ſatisfecit Auguſtinus contra Chriſtum, vtcunq; olim contra Donatiſtas in eiuſdē verbi explicatione, tibi ſatisfeciſſe viſus ſit.

SVCCESSIONIS PERſonalis pro Eccleſia Proteſtantum ab aduerſario prolatæ confutatio copioſior.

CAPVT. IX.

Stapletonus.

R*OGATVS de Eccleſiæ tuæ inſignibus perſonis qui Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum, ac Doctorum in ea muneribus functi, in illo ſuo regimine adminiſterio* *per tot ætates Eccleſię Chriſti floruerint; ais*, te olim reſpondiſſe non omnes has functiones in Eccleſia Dei eſſe perpetuas. Apoſtolorum enim Euangeliſtarum ac Prophetarum officia iam olim ceſſaſſe: Paſtorum autem & doctorum tantùm ordinaria munera perduraſſe. *Rectè hoc tu quidem. Sed vide vt cum Caluino conuenias, qui priora illa officia ſic iam olim ceſſaſſe negat, vt etiam* hodie ad erigendas Eccleſias vbi nullæ antea fuerant, ſub Antichriſto ſcilicet vaſtatæ, Apoſtolis vel ſaltem Euangeliſtis opus fuerit. *Vide etiam vt cum tuis Anglocaluiniſtis vel ſaltem puritanis conuenias, qui etiam Prophetarum officia in Eccleſia benè reformata locum hodie habere volunt: ideóque propheſandi morem in ſuis conuenticulis adhuc frequenter obſeruant: quem neque Metropolitanus veſter à Reg. Maieſt. iuſſu prohibere & interdicere voluerit. Vide denique vt Paſtores ac Doctores, quorum ordinaria id eſt perpetua eſſe munera agnoſcis, perpetuos & ordinarios in Eccleſia tua fuiſſe nobis demonſtres. Ais*, Habuiſſe tamen ex omni genere Eccleſiam veſtram ſuis temporibus, ſi non numero at pietate magis inſignes perſonas. Apoſtol. Euangeliſt. Prophet. Paſtor. Doctores, quorum aliquos etiam nominibus deſignare poſſetis. Petrum, Paulum, Matthæum, Ioannem, Marcum, Lucam, Timotheum, Epaphram, Iuſtinum, Irenæum, Cyprianum, Athanaſium, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gildam, Bernardum Andegauenſem, Wiclephũ, Ioann. Hus. Hironymum Pragenſem. *Hos quando commemoras, ſi Eccleſiæ tuæ ſucceſſionem perſonalem non oſtendis, ad quæſtionem propoſitam non reſpon-*

des. Si oſtendis, quare ſcribis meam eſſe inuerecundi hominis atque mendacis calumniam, *quod hanc enumerationem à te factam, ſucceſſionem à te prætenſam voco? Ais te,* Apoſtolos & Euangeliſtas recenſendo, perſonarum ſucceſſionem continuam oſtendere aut proferre noluiſſe. *Quare igitur dum perſonalis ſucceſſionis demonſtrationem inſtituis, Apoſtolos & Euangeliſtas pariter recenſes atque commemoras? An vt numerum faceres, & eius rei quam verè exhibere non poſſes, ſaltem ſpeciem proferres? Reſponderam præterea omnes Chriſtianorum ſectas hos authores proferre, quodque illos amplectuntur & venerantur affirmare. Replicas,* omnes quoque adulteros qui latere volunt caſtitatem ſimulare & laudare. *Reſpondeo, propterea hanc tuam affirmationem ſimplicem, quod Petrum, Paulum & cæteros pro tuæ Eccleſiæ Apoſtolis, &c. habes, nihil te vel tuam cauſam iuuare. Eſſe enim huiuſmodi affirmationes & aſſeuerationes quibuſuis hæreticis communes. Nihil autem eſſe communi argumento vitioſius quod ęquè aduerſario ac tibi conueniat, nec ipſemet ignoras. Addis,* tamen

Ephes.4. ad examen doctrinæ morumq́ue omnes reuocari debere. *Rectiſſimè dicis. Sed hoc examen doctrinæ dicimus, non eſſe in mutis libris, ſed penes docentem Eccleſiam.*

Matth.28. *Chriſtus enim* dedit Eccleſiæ ſuæ Doctores. *Iuſſit eos* ire & docere omnes gentes. *Et ne in doctrina errarent, promiſit fore* vt eos omnem

Ioan.17. veritatem Spiritus S. doceret. *Ad examen ergo doctrinæ quam vox Eccleſiæ ſonat, reuocari debent omnes qui de fide & religione Chriſtiana dogmatizant. Sed vt ab Eccleſia docente nos abducas, ſubiungis.* Sacra Scriptura diuinitus inſpirata, ad omnes omnium hæreticorum errores redarguendos inſtitutionem pleniſſimam continet. *2. Timoth. 3. Quàm hæc propoſitio ſit falſa, & ſub prætextu pietatis pernicioſa, toto ferè libro 12. huius operis oſtendimus loco etiam ex Timotheo citato in eodem libro capite octauo reſpondimus: plura etiam poſtea reſponſuri.*

Iam quum in hac propoſita quæſtione, non Scripturarum authores ſed Eccleſiam, quæ has Scripturas nobis & commendaret & exponeret, quæri à nobis dicerem, ad prius horum reſpondes. Cur non igitur ad Orientalem Eccleſiam conceditis? Nam à Græcis ad Romanos omnis noui teſtamenti Scriptura peruenit. *Rectius nos ſub hac reſponſionis forma ad Iudæos remitteres. Non enim Græci, ſed Iudæi erant in vnum omnes (ſolo excepto Luca Antiocheno) qui Scripturas noui teſtamenti nobis reliquerunt. Nec ab Apoſtolis ac primis Magiſtris ad Græcos, atque ab illis ad Romanos vel Scriptura vel fides Chriſtiana peruenit (vt olim Ariani Iulio Rom. Pontifici obiectabant, quorum tu hic voces & veſtigia imitaris) ſed ad Romanos æquè atque ad Græcos per immediatam & proximam Apoſtolorum prædicationem illa omnia peruenerunt.*

Ad Eccleſiam Græcorum quare non recurrimus.

Apud Sozomenum hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 7.

Nam & princeps ipſe Apoſtolorum Petrus Romæ ſuam ſedem fixit, ac Cathedram poſuit; & Eccleſia Romana omnium ſemper Eccleſiarum antiquiſſima iudicata eſt: Nec ab Oriente Euangelium Roma aut Occidentalis Eccleſia accepiſſe facilè apud antiquos legitur, niſi vbi Orientis nomine ipſa Hieruſalem intelligitur vt apud Auguſtinum Epiſtol. 170. & alibi. Deinde ad Orientalem Græcorum Eccleſiam recenti ſchiſmate antiquiorem libenter concedimus. Præſentis Eccleſiæ Græcorum authoritatem, tam propter fœdam hæreſim contra Spiritum

Sanctium, à qua & vos abhorretis, quam propter alios errores, non magis veſtræ ſectæ moramur.

Ad poſterius, de Eccleſia Scripturam nobis exponente, reſpondes. Si eam quæritis Eccleſiam quæ veterum expoſitionem in præcipuis fidei articulis de quibus inter nos controuertitur ſuſcipit atque tuetur, ad noſtram tranſite. *Scilicet: veſtra Eccleſia veterum expoſitionem ſuſcipit atque tuetur. Quærendum igitur abs te hoc loco, quam Eccleſiam veſtram dicis: Si in qua Caluinus Geneuæ tot annis Magiſtri munus exercuit, falſa narras. Ille enim veterum expoſitionem in Doctrina Sacramentorum, in Doctrina liberi arbitrij, in Doctrina iuſtitiæ fidei, in Doctrina de Eccleſia eiuſque poteſtate, quæ arbitror præcipuos eſſe articulos de quibus hodie controuertitur, adeò nihili facit, vt Auguſtini Doctrinam argutias & ſophiſticam, Hieronymi etiam impiam, peſſimè & pernicioſè Gregorium docere, falli Chryſoſtomum, circa Scripturarum ſenſum ſcribit, imò omnes omnium Patrum interpretationes circa illa verba,* Niſi quis renatus fuerit, &c *(ſenſum illorum verborum non literalem ſed allegoricum eſſe affirmans) & agnoſcit & contemnit. Et in Cœnæ quidem Dominicæ actione, ſcribit* veteres patres imitatos proprius fuiſſe Iudaicum ſacrificandi morem quàm aut ordinauerat Chriſtus aut Euangelij ratio ferebat: *In cauſa autem liberi arbitrij,* frigidam & deformatam theologiam ex lacunis Philoſophorum depromptam *patres tradidiſſe affirmat. In quæſtione de iuſtitia fidei, perpetuam Auguſtini doctrinam, qua exponit Paulum operibus ſimpliciter vel operibus legis, item iuſtitiæ quæ ex lege eſt tam ſæpe detrahere, & iuſtitiam fidei quæ ex Deo eſt*

Veterum Patrũ expoſitiones an Proteſtantes recipiant.

Inſtitut. lib. 2. cap. 4. §. 3. l. 3. c. 11. §. 14. l. 4. c. 15. §. 7. c. 19. §. 17. de prædeſt. & prouid. cap. Comment. in Ioan. c. 6. Inſtit. lib. 4. cap. 16. §. 25. Inſtit. lib. 4. ca. 18. ſect. 11. In tract. de ſcandalis.

opponere, quia opera & iuſtitiam intelligit quatenus ex ſolis naturæ viribus auditu doctrina legis abſque gratia mediatoris quam fides impetrat; non autem quatenus ſunt opera gratiæ & vera legis iuſtitia; hanc inquam Auguſtini doctrinam perpetuam conſtantem & manifeſtam Caluinus tuus tacito Auguſtini nomine ſophiſtis imputat, qui ſibi ex Scripturæ deprauatione & inanibus cauillis ludos & delicias faciunt. *Quin & ipſum Auguſtinum nominatim taxat in ſequenti ſect. 15. Hoccine eſt mi G. veterum expoſitionem ſuſcipere & tueri? Scilicet: ad populum phaleras. Nam ſi ſeriò hoc diceres, & ſentires, nullo planè negotio omnes inter nos de religione controuerſiæ ſopiri poſſent. Meminiſti quàm infœliciter Ioan. Iuellus veſter, hunc veterum Patrum conſenſum in varijs fidei articulis hodie controuerſis penitus à ſe ſtare, publicè proclamauerit, & illorum vel vnico teſtimonio ſe paratum eſſe cedere atque ſubſcribere, ſolenni pollicitatione ſtipulatus fuerit. Sed neſcio an memineris aut vnquam legeris, quid de hac Iuelli & nunc tua vaniſſima oſtentatione ſenſerit Iacobus Acontius in ſuo de Satanæ ſtratagematibus libro, quem etiam Reginæ Elizabethæ dicauit.* Reſtituerat (*inquit*) Lutherus, aliique priores Euangelicæ veritatis vindices pulcherrimam illam maximeque neceſſariam ex ſolo Dei verbo teſtimonia petendi conſuetudinem. Sed quidam alij pulcherrimè ſe facturos arbitrati, ſi hoſtes eorum ipſorum confoderent telis, eò redierunt vt Patrum authoritatibus omnia denuò replerent. Quod vtinam tam ſecundo feciſſent ſucceſſu, quàm bona ſpe aggreſſi ſunt. *Et Paulò pòſt.* Equidem pernicioſiſſimam omninoque fugien-

Inſtit. lib. 3. ca. 11. ſect. 14.

Lib. 6.

fugiendam hanc eſſe arbitror conſuetudinem: aureſque aſſuefaciendas vt nihil cui adhibeatur fides, præter ſola Dei oracula ſacris libris comprehenſa agnoſcant.

Hæc ille expreßè diſputans de expoſitoribus Scripturæ, quos nullos audiri vult. Tu autem vt cum iſtis conſentias vide. Imò vt cum tuis domi conſentias, iterum atque iterum vide. Nam vt Puritanorum ſcripta vernacula omittam, in quibus patrum expoſitiones tanquam paleam reiiciunt, nuper in theſibus latinè editis quidam Reinoldus Oxonienſis auditor theſi 5. pag. 106. quartam cauſam quare Romana Eccleſia nec eſt Eccleſia Catholica nec ſanum eius membrum, hanc adfert, quod in expoſitione Scripturæ eum ſolum ſenſum approbat quem Eccleſia tenet Romana, aut patrum vnanimis tradit conſenſus. *Hæc ille. Quæ eſt igitur illa veſtra Eccleſia quæ patrum expoſitiones ſuſcipit ac tuetur? Quid? Alia Cantabrigiæ Eccleſia eſt quam tu tenes, & alia Oxonij quam Reinoldus tenet? Aut ſi vna eſt vtriuſque Academiæ Eccleſia, necdum exploratum habetis patrum expoſitiones adhibendæ ſint necne? Aut magis eſſe contrarium aliquid poteſt, quàm te quidem aſſerente*, Patrum expoſitiones vos ſuſcipere ac tueri, *altero autem ſodali tuo aſſerente*, falſæ Eccleſiæ hoc ipſum notam & argumentum eſſe, quia in expoſitione Scripturæ patrum conſenſus vnanimis admittitur?

Proteſtantum Anglorum manifeſta contradictio.

Profers etiam exempli cauſa Tertulliani, Auguſtini, Ambroſii verba, ex quibus iubes nos diſcere, ſcripturam hanc, Hoc eſt Corpus meum, pro figura, ſigno, typo Corporis Chriſti, exponere. *Scilicet, hoc facis in Patrum dictis, quod in Scripturæ documentis te* *facere ſuperius oſtendi. Libenter opertis immoraris, ne aperta fateri cogaris. Difficiliora quæque & obſcuriora ſectaris; ne de manifeſtis & claris conuincaris. Denique quod ſemel aut iterum ab aliquo patrum obſcurius aut obiter dictum eſt, arripis ſtudioſè: quod autem creberrimè inculcatum & ſæpiſsimè repetitum & ex propoſito diſputatum ab illis vides, prętergrederis faſtidioſè. Semel & obſcurius contra Marcionem figuræ vocabulo Tertullianus, contra Adimantum ſigni vocula Auguſtinus vſus eſt hoc nos iubes aduertere. Sæpiſsimè autem veram & realem Corp. & Sang. exiſtentiam quòd doceant, tu minimè aduertis.*

Quanquam neque ibi ſic figuræ aut ſigni vocabulo vſi ſunt, vt veritatem Corp. & Sang. Chriſti in hoc ſacramento negarent. Quod vt intelligas, ſuadeo amicè vt doctiſsimi & grauiſsimi viri Gulielmi Alani de Euchariſtię Sacramento opus eruditiſsimum legas. Lib.1.cap.32.

Iam, quia Eccleſiam nos quærere dixi, quæ omnem aliam doctrinam ſiue ex ſcripturis collectam, ſiue extra eas traditam ad nos per manus tradiderit, reſpondes iratus. Si vobis non ſufficit doctrina quæ ex Scripturis diuinitus inſpiratis collecta, vtilis eſt ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad inſtituendum in iuſtitia vt perfectus ſit homo dei, ad omne opus bonum inſtructus atque informatus, diſcedite in malam rem ad cœnum humanarum traditionum, atque in illud vos in verticem immergite, vſque daturi aliquando pœnas contemptæ legis diuinæ quaſi imperfectæ atque mutilatæ, ore blaſphemo negantes quod Spiritus S. apertis verbis aſſerit, ex ſacræ ſcripturæ doctrina perfectum fieri diuinum hominem atque ad om-

,, ne opus bonum abſque illis extra eam traditioni-
,, bus, ſatis formatum atque inſtructum. *Itane verò G.F. in malam rem eos omnes abire iubes, ad cænum humanarum traditionum, daturos quoque pænas comminaris, & blaſphemare pronuncias, qui extra Scripturas traditam doctrinam aliquam docent aut attendunt? Et vbi eſt illa tua religio, qua veterũ patrum expoſitiones te ſuſcipere atque tueri aſſerebas? Quid? An tam cito in alium virum mutatus es? Aut quos Scripturæ ſacræ interpretes non vereris admittere, eorum de doctrina non ſcripta iudicium & ſententiam reformidas? Veteres enim (mi G.) patres ſunt qui traditam extra Scripturas doctrinam amplectuntur & venerantur, Tertullianus, Auguſtinus à te citati, Baſilius, Chryſoſtomus, Irenæus, Dyoniſius Areopagita, Epiphanius, Athanaſius, Euſebius Pamphili, quorum omnium verba in huius Operis lib. 12. produximus. Hos etiam iube G.F. pro tua pietate & modeſtia in malam rem abire, &c. ſi lubet. Me autem eodem cum illis loca reponi, etiam laudi duxero. Sed quod ais,* ad cœnum humanarum traditionum eos tranſire qui ſolis Scripturis contenti non ſunt, *vel putida calumnia (ſi ſenſum Catholicum tenes) vel fædus error eſt, ſi non tenes. Non enim humanas ſed Apoſtolicas atque Eccleſiaſticas traditiones nos Catholici aſtruimus & tenemus. Vox autem Apoſtolorum atque Eccleſiæ non humana ſed diuina eſt, vt etiam in hoc opere demonſtrauimus.*

De doctrina non ſcripta.

Lib.8. cap. 16.

Verba autem Apoſtoli de Scriptura diuinitus inſpirata, quàm veſtrum prætextum de ſola Scriptura nihil inuenit, in hoc quoque opere oſtendimus: quę tu omnia prudenter diſsimulas. Quanquam & hic addo in verbis illis Apoſtolicis, vtilitatem non ſufficientiam Scrip-

Lib.12. cap. 8.

turæ (quam vos fingitis) doceri. Omnis (*inquit Apoſtolus*) Scriptura vtilis eſt, ad docendum, &c. *&* quidem vt homo ſit perfectus, ad omne opus bonum inſtructus. *Ad hoc totum vtilis, imò vtiliſsima eſt Sacra Scriptura. Sed vel ſufficientem eſſe Scripturam, vel illam ſolam ad docendum, &c. vtilem eſſe, Apoſtolus non dicit, ne ſanè ſibi ipſi contradicat, qui iuſsit ſuos Theſſalonicenſes,* tenere traditiones (*id eſt traditam doctrinam*) quas acceperant, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam. *Quòd autem tenere eos iuſſit, vtile illis eſſe proculdubio iudicauit. Non ergo ſola Scriptura, ſed etiam traditio non ſcripta vtilis eſt ad docendum, &c. Deinde* pietas ad omnia vtilis *dicitur, non tamen ſola, quia* corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. *Quin vt homo perfectus ſit, vacare bonis operibus vtile eſſe idem Apoſtolus dixit.* Curent (*inquit*) bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. *An ergo hęc ſingula quia vtilia ſunt, etiam ſola ſufficere tuo iudicio videbuntur? Hic ineptiam aut futilitatem tibi non obiicio. Sed ignorantiam & errorem tuum deploro.*

1. Tim. 4.

2. Theſſ. 2.

1. Timoth. 4.

Tit. 3.

Antiquos patres nihil vos iuuare dixeram (quos tu quaſi maiores tuos & in ſucceſsionis ſpeciem produxiſti) quia in multis doctrinæ articulis eos deſeritis. Hic re*ſpondes* eadem ratione nec nos iuuare, quia in omnibus eis non adhæremus. *Sed quum ego articulos ipſos recitaſſem, in quibus à S. Patribus diſſentitis, idémque veſtrorum hominum teſtimonio & confeſſione confirmaſſem, tu nec capita doctrinæ nominas in quibus à Patribus recedimus, nec vel vnum verbum probationis adfers.*

Ita tibi ſemper dicenti tantùm credi poſtulas. Nos ve-

rò Sanctis Patribus in omnibus adhæremus, in quibus eos vnanimiter conſentire deprehendimus, iuxta ea quæ in hoc opere de patrũ authoritate quatenus & quomodo ſit admittenda, diſputauimus. Iam verò ad confirmationem quam attuli, qua à patribus vos diſsentire oſtenderem, exclamando reſpondes, O hominem audacem, quia in quibuſdã quaſi in pulchro corpore, næuos quoſdã obſeruarunt Magdeburgenſes, in alijs inclinationẽ & tanquam inflexionẽ nonnullam aut ſaltem ſpeciẽ quandam eius ad errores quos tum Satanas diſſeminare voluit, licet non apertã prolapſionem, animaduerterunt; graues omniũ illorũ patrũ errores in dictis articulis, alijſq́; permultis, diligẽter & ſtudiosè notaſſe, à te ſũma cum impudentia accuſantur. *Ita ſanè. Quos in nobis fœdos errores & craſſam idololatriam eſſe vultis, in Sanctis patribus næuos & ſtipulas vocitatis. Adorationem Euchariſtiæ quam apertiſsimis verbis* [a] *Ambroſius,* [b] *Auguſtinus,* [c] *Chryſoſtomus,* [d] *Nazianzenus,* [e] *Theodoretus,* [f] *Emiſſenus & alij patres docent, in nobis Idololatriam eſſe pronunciatis: in patribus næuos eſſe vultis? Deinde* Iudaiſmi affectatio in cœna Domini, deformata quoque Theologia in doctrina de lib. arbitrio, deprauatio Scripturę circa iuſtitiam fidei (*quæ omnia veteribus patribus impingit Caluinus, vt ſuprà ex eo commemoraui*) *tibi G. F. næui in pulchro corpore, & inclinatio tantùm non prolapſio ad errores graues videntur? An in Luthero tuo nunquam legiſti, tam graues horum patrum errores circa liberi arbitrij doctrinam fuiſſe,* vt niſi ante mortem reducti fuerint, neque Sancti, neque Eccleſiæ membra cenſeri debeant? *Hoc enim ille & quidem grauiora*

de

[a] De Spir. S. lib. 3. cap. 12.

[b] Enarrat. in Pſal. 98.

[c] Hom. 24. in 1. ad Cor.

[d] In funere ſororis & Gorgoniæ.

[e] Dial. Lib. 2.

[f] Homil. 5. de paſch.

de S. Patribus ſcribit in lib. de ſeruo arbitrio cõtra Eraſmũ. Sed in qua te demum Eccleſia G. F. reputabimus, cui neque cum Caluino, neque cum Luthero, neque cum tuis Anglocaluiniſtis conuenit? Aut fortè quæ de patrum authoritate in expoſitione Scripturarum, de patrum non errore aliquo graui, ſed næui tantùm & inclinatione quadam ad errores ſcripſiſti, non quòd ita cenſeas, vt aliquid reſpondeas, ſcribere voluiſti? Id tu videris; profectò ſi ſectam quam tenes, ſtrenuè tenere & tueri voles, patribus & veteribus omnibus libellum repudij dare debes, quod ſine vlla diſſimulatione ſodales tui & doctiores proteſtantes faciunt. Sed opto tibi ſaniorẽ mentem; & vt ſectariis potius huius tẽporis, quàm antiquis patribus Eccleſiæ Chriſtianæ luminibus, valedicas, vehementer hortor. Adeò inimico in te animo propter hanc tuã aduerſum me ſcriptionẽ non ſũ, vt nihil tibi grauius imprecari velim. Interea tamen illud nobis in principali cauſa tenendum eſt, te de Eccleſiæ tuæ inſignibus perſonis, de paſtoribus & doctoribus qui munera Eccleſiaſtica in tua Eccleſia his tot ſeculis obierint, rogatum, nullos hactenus demonſtrare potuiſſe. Apoſtolos enim & Euangeliſtas, patres quoque quos recenſuiſti, quàm extra propoſitum in hanc arenam produxeris, iam ſatis diſputatum & declaratum dedimus. Recenſueras autem præter iſtos & alios quoſdam, vt Gildam, Bertramum, Marſilium de Padua, Ioannem de Gardino, Brunonem Andegauenſem, Wiclephum, Ioannem Huſſ. Hieronymum Pragenſem. Cum iſtis autem ſicuti cum S. Patribus in præcipuis & eſſentialibus Chriſtianæ fidei articulis veſtram doctrinã conſentire atque conſpirare affirmabas. Ad hanc autem partem quæ reſpondi, tu penitus intacta prætermittis. Bene ſanè ſe res habet, quod ne ad ſpeciem quidem quid hic replicares, habebas. Cuius rei lectorem admonitum *volui: vt hinc intelligas, vos reuera nullos oſtendere poſse Eccleſiæ paſtores & doctores, Epiſcopos & præsbyteros, qui munera Eccleſiaſtica, ſine quibus Eccleſia nulla ſubſiſtit, in veſtra Eccleſia exercuerint: Ideoq; verè latentem & fugitiuam, id eſt, chimęram & idolum quod nihil eſt in hoc mundo, Eccleſiam veſtram eſse. Atque hæc pro defenſione prioris Capitis, quod refutandum ſuſcepiſti, hactenus. Ad alterum nunc caput pergamus, in quo varijs & egregijs quæſtionibus, pro vera Eccleſia inuenienda, quæ olim reſpondiſti, & ego confutaueram, quàm dexterè defendas, quàm breuiſſimè fieri poteſt, expendemus.*

Fulco. Rogatus ab Alano fueram, quęnā illa ſit Eccleſia, quæ per omnium ętatum hiſtorias, nomina recenſere poteſt inſignium perſonarum, qui omnibus prædictis muneribus functi ſunt, ſcilicet, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Prophetarum, Paſtorū ac doctorum ſuo in regimine ac miniſterio floruerunt. Huic iniquiſſimo poſtulato reſpondi, non omnes has functiones in Eccleſia Dei eſſe perpetuas, Apoſtolorum enim Euangeliſtarum, ac Prophetarum officia, iam olim ceſſaſſe: Paſtorum ac doctorum tantum ordinaria munera perduraſſe. Et hoc tu me recte aſſerere dicis: ſed videre iubes, vt cum Caluino conueniā, qui priora illa officia, ſic iam olim ceſſaſſe negat, vt etiam hodie ad erigendas Eccleſias, vbi nullæ antea fuerunt, ſub Antichriſto ſcilicet vaſtatæ, Apoſtolis, vel ſaltem Euangeliſtis opus fuerit: ſed optimè conuenit, nam

Paſtorum & doctorum ordinaria tantum munera perduraſſe affirmo: Caluinus vero vbi dicit ſe non negare, quod Apoſtolos poſt primos illos, vel ſaltem Euangeliſtas excitauit Deus, qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent: Munus tamen ipſum (inquit) extraordinarium appello, quod in Eccleſijs rite conſtitutis locum non habent: Munera paſtorum ac doctorum, quod ſola ordinaria dixerim, non impedit quo minus extraordinarium Euangeliſtarum munus, Deus vbi opus videt, reuocare poſſit. Iterum videre me iubes, vt cum Anglocaluiniſtis, vel ſaltem puritanis conueniam, qui etiã Prophetarũ officia, in Eccleſia bene reformata, locum hodieq; habere volunt. Sed ego qui ſint iſti Anglocaluiniſtæ, aut Puritani, quos narras hoc velle, planè neſcio. Quamuis enim exercitium illud interpretandi Scripturas, per vices, quod Prophetiam vocant, ſint qui vtilem Eccleſiæ exiſtiment, non tamen munus illud Propheticum, quod Apoſtolis proximum recenſet Apoſtolus Eph. 4. & 1. Cor. 12. in Eccleſia ordinarium eſſe, quiſquam, quod ſciam, hodie in Anglia tuetur. Poſtremo videre jubes, vt Paſtores & doctores, quorum ordinaria, id eſt perpetua eſſe munera agnoſcam, perpetuos & ordinarios in Eccleſia noſtra fuiſſe demonſtrem. At hoc jam demonſtraui euidenti ratione, cum Eccleſiam veram, perpetuam, perpetuo in ſana doctrina ab Apoſtolis accepta, quam nunc etiam tenet perduraſſe oſtendi. Tu vero per demonſtrationem Catalogum hominum poſcis, eorum qui in perpetua linea alij alijs ſucceſſerunt: hoc eſt totum illud de

Inſt. lib. 4. Cap. 3. ſec. 4.

1. Cor. 14.

quo controuertitur, ſit ne talis ſucceſſionis huiuſmodi demonſtratio, neceſſaria, ad lites de religione componendas. Sed cum habuiſſe tamen ex omni genere Eccleſiam noſtram ſuis temporibus, ſi non numero, at pietate magis inſignes perſonas (quam proferre poſſunt è ſuis regiſtris Papiſtæ ſibi per omnia conſentientes) Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Doctores, Paſtores, affirmo, quorum aliquos etiam nominibus deſignare poſſemus, Petrum, Paulum, Matthęum, &c. ſubiungis. Hos quando commemoras ſi Eccleſiæ tuæ ſucceſſionem perſonalem non oſtendis, ad quæſtionem propoſitam non reſpondes. Immo vero ad quæſtionem ab illo quæſtioniſta propoſitam, quam initio huius capitis repeto, appoſitè reſpondeo, dum ex hiſtorijs omnium temporum, maxime inſignes perſonas nominibus recenſeo, qui in omnibus illis Eccleſiaſticis muneribus, apud Eccleſiam noſtram floruerunt. Merito igitur conqueſtus ſum, de calumnia inuerecundi hominis ac mendacis, qui hanc meam recenſionem, quaſi continuatam aliquam ſucceſſionē irridet, cum ego de ſucceſſione illa, nec interrogatus fuerim, nec reſponſum dederim. Sed hoc argumentum, quo nullum eſt vitioſius, quod ęquè aduerſario ac mihi conueniat (cum Apoſtolos ſcilicet Euangeliſtas, ſanctoſque patres nobis vendico) tu retuderas, cum omnes Chriſtianorum ſectas, eoſdem authores iactare prædicas. Ego vero hoc argumento non vſus ſum, ſed tantum propoſitæ quæſtioni ſimpliciter reſpondi omneſque tam hæreticos quam hypocritas ad examen doctrinæ, morumque reuocandos cenſui. Quod, cum tu, à me rectiſſime dici concedis, hoc tamen doctrinæ examen, dicis non eſſe in mutis libris, ſed penes docentem Eccleſiam. Chriſtus enim dedit Doctores, iuſſit ire & docere, & ne in doctrina errarent, promiſit fore, vt eos omnem veritatem ſpiritus ſanctus doceret. Sed cum non minor ſit de Eccleſia in omni fere diſſentione, de religionis principijs, quam de dogmate controuerſia, cumque vtraque pars ſibi Eccleſiam vindicet, quomodo docentem Eccleſiam, niſi ex ſacris Scripturis, quas, tu per contumeliam & contemptum mutos libros vocas, certo inueniemus? Non ſunt tam mutæ ſacræ Scripturæ, vt docere nos non poſſint ſapere, ad æternam ſalutem. 2. Tim. 3. Sed obſecro te, an non leges ex quibus morum examen, & cenſura in ciuitatibus exercentur, mutis libris comprehenduntur? proferuntur tamen ab accuſatoribus, reis, & iudicibus, & ex earum tantum decretis damnandi, aut abſoluendi ſunt rei. Eadem ratione diſcutiendę ſunt leges diuinæ, & Spiritus Sancti oracula, ab ijs, qui hæreticos ab orthodoxis, veram Eccleſiam ab hęreticorum cœtibus, diſtinguere cupiunt; & ex ſola Scripturarum ſententia & authoritate, omnes huiuſmodi quæſtiones definiendæ, ac determinandæ ſunt. Non igitur vt ab Eccleſia docente abducam, ad Scripturarum iudicium prouoco vt tu mihi falſo impingis, ſed vt vera Eccleſia ex ea agnoſcatur ab adulterina, vt Eccleſiæ vera docenti, fides, & audientia pręſtetur. Quod dixi, ſacram ſcripturam, ad omnes omnium hæreticorum errores redarguendos, inſtitutionem pleniſſimam continere, oſtendiſſe te ais, toto fere libro 12. quam hæc propoſitio ſit falſa, & ſub prætextu pietatis pernicioſa. Sed ad totos, omneſque tuos libros, reſpondendi mihi nec otium eſt, nec voluntas, niſi argumenta tua breuiter in ſyllogiſmos contraxeris, vt ad logici iudicij examen reuocata, quam ſint infirma maximo cum fructu omnibus perſpicuè demonſtrare valeam. Interim ſufficere debet, ad hoc meum Axioma confirmandum, quod Paulus ita vtilem prædicat ſcripturam diuinitus inſpiratam, ad arguendum, vt ex eius doctrina perfectus fiat vir Dei, ad omne opus bonũ inſtructus, cuius aliquod, nec minimi momenti opus bonum eſt, hæreticorum fraudes detegere, ipſoſque peruerſa docentes palam impietatis coarguere. Iam vero, cum Eccleſiam vos quęrere dixiſſes, quæ has ſcripturas vobis commendauit, atque commendat: huius argumenti infirmitatem notans, reſpondi. *Cur non igitur ad orientalem Eccleſiam conceditis? Nam à Græcis ad Romanos omnis noui teſtamenti ſcriptura peruenit*. Tu vero regeris, quod rectius vos ſub hac reſponſionis forma, ad Iudæos remitterem. Iudęi enim erant omnes excepto Luca Antiochæno, qui eas ſcripſerunt. Sed nulla iam extat Eccleſia Iudæorum, quę non ſolum olim commendauit, ſed nunc etiam commendet ſcripturas. Eccleſia vero Græcorum, ſcripturas quas ab Apoſtolis & Euangeliſtis accepit, etiam nunc commendat. Quod negas à Græcis ad Romanos vel ſcripturam, vel fidem Chriſtianã perueniſſe, ſed ab Apoſtolis ad vtroſque immediatè propagatam, aliam rem agis, de qua ego nullam inſtituo diſputationem, tantum aio Græcorum Eccleſiam, ſcripturam Noui Teſtamenti Græcè ſcriptam, in hunc vſque diem ab Apoſtolis acceptam, conſeruaſſe, ac conſeruare. Quam ſedem Petrus Romæ fixerit, quamq; Cathedram poſuerit, non dum conſtat inter nos, vtcunque Romæ Euangelium prædicauerit, quod tamen non tam certum eſt, ex veterum ſcriptorum conſenſu, quam ex ſcripturæ teſtimonijs incertum redditur, immo falſum eſſe deprehenditur, quod de tot annorum ſeſſione plerique prodiderunt. Eccleſiam Romanam omnium ſemper Eccleſiarum antiquiſſimam iudicatam fuiſſe, miror quo ore protuleris, cum, ſi Hieroſolymitanam, aliaſque Iudæorum, ad fidem conuerſorum Eccleſias exciperes, quod de collectis tantum ex gentibus Eccleſijs, iſta te intelligere cauillareris, Antiochena tamen Eccleſia, & Lucæ teſtimonio, prima Chriſtianorum nomine illuſtris, & Petri etiam ſede antiquior, omnium hiſtoriarum conſenſu iudicatur. Poſtremo quod pręſentis Græcorum Eccleſiæ authoritatem tam propter hęreſim quam propter alios errores non magis quam noſtræ (vt loqueris) ſectæ moraris, tute tuo ipſius argumento neruos omnes præſcidiſti. Ad eius ſcilicet Eccleſiæ authoritatem confugiendum eſſe, quæ ſcripturas nobis commendauit atque commendet.

Sed & illam Eccleſiam te quærere dixiſti, quæ eaſdem ſcripturas iam olim expoſuit, & nunc exponat. Reſpondi, *Si eam quæritis Eccleſiam, quæ veterum expoſitionem in præcipuis fidei articulis, de*

quibus inter nos controuertitur ſuſcipit, atque tuetur, ad noſtram tranſite. Hic tu canina eloquentia inſtructus, ſubſannas, quod dixi, quærisque quam Eccle-
„ ſiam noſtram dicam? Si in qua Caluinus Gene-
„ uæ, tot annis magiſtri munus exercuit, falſa me
„ narrare aſſeris. Ille enim veterum expoſitionem
„ in doctrina ſacramentorum, in doctrina liberi ar-
„ bitrij, in doctrina iuſtitiæ fidei, in doctrina de Ec-
„ cleſia eiuſque poteſtate, præcipuis articulis, de
„ quibus hodie controuertitur, adeo nihil facit, vt Auguſtini doctrinam argutias & Sophiſticam, Hieronymi etiam impiam, peſſime & pernicioſe Gregorium docere, falſi Chryſoſtomum circa ſcripturarum ſenſum ſcribit, immo omnes omnium patrum interpretationes circa illa verba, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* (ſenſum illorum verborum non literalem, ſed allegoricum affirmans) & agnoſcit & contemnit. Et in cęnæ quidem Dominicæ actione ſcribit, veteres patres propius imitatos fuiſſe Iudaicum ſacrificandi morem, quam aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat. In cauſa autem liberi arbitrij frigidam & deformatam Theologiam ex lacunis Philoſophorum depromptam, patres tradidiſſe affirmo. In quæſtione de iuſtitia fidei, perpetuam Auguſtini
„ doctrinam, qua exponit Paulum operibus ſimpli-
„ citer, vel operibus legis, item iuſtitiæ, quę ex lege
„ eſt, tam ſæpe detrahere, & iuſtitiam fidei quæ
„ ex Deo eſt opponere, quia opera & Iuſtitiam in-
„ telligit, quatenus ex ſolis naturæ viribus audita
„ doctrina legis, abſque gratia mediatoris, quam
„ fides impetrat, non autem quatenus ſunt opera gratiæ,

Inſtit. lib. 2. ca. 4. ſect. 3. lib. 3. cap. 11. ſect. 14. lib. 4. cap. 15. ſect. 7.
De prædeſt. & prouid. cap.
Cõment. in Ioan. ca. 6. Inſtit. lib. 4. c. 16. ſect. 25.
Inſtit. lib. 4. ca. 18. ſect. 11.
In tract. de ſcandalis.

gratiæ, & vera legis iuſtitia, hanc inquam Auguſtini doctrinam perpetuam, conſtantem, & manifeſtam, Caluinus tuus tacito Auguſtini nomine, ſophiſtis imputat, qui ſibi ex ſcripturæ deprauatione, & inanibus cauillis ludos & delicias faciunt. Quin & ipſum Auguſtinum nominatim taxat in ſequenti ſectione 15. Hoccine eſt mi G. veterum expoſitionem ſuſcipere ac tueri? Scilicet: ad populum Phaleras. Age, ſingula excutiamus, & quid in locis à te aſcriptis horũ ſimile reperiatur, quoad poſſumus exquiramus. In primo loco ſcilicet Inſtit. lib. 2. cap. 4. ſect. 3. Caluinus poſtquam veteres religioſius interdum ſimplicem veritatis confeſſionem (in cauſa indurationis & excæcationis) reformidare dixiſſet, quod vererentur ne impietati feneſtram de operibus Dei irreuerenter obloquendi aperiant. Quam ſobrietatem vt exoſculari ſe ait, ita minime periculoſam iudicat, ſi ſimpliciter teneamus quod ſcriptura tradit, ſubinfert *Ne Auguſtinus quidem illa ſuperſtitione interdum ſolutus eſt: quemadmodum vbi dicit, indurationem & excæcationem, non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam ſpectare: At iſtas argutias non recipiunt tot ſcripturæ locutiones, quæ plus aliquid Dei quam præſcientiam interuenire, clarè oſtendunt. Et Auguſtinus ipſe libro contra Iulianũ 5. longa oratione contendit, non permiſſionis tantum aut patientiæ diuinæ eſſe peccata, ſed etiam potentiæ, vt ſic priora peccata puniantur.*

Inſtit. lib. 3. ca. 11. ſect. 14.

lib. de prędeſt. & grat.

Hic quis non videt? non alias Auguſtini argutias à Caluino taxari, quam quas ipſe Auguſtinus alibi damnat ac refellit, ſophiſticæ conuitium ex tuo additum. Nam loco proximo nempe Inſtit. lib.3.cap.11. Sect.14. de Auguſtino verbum nullum. Sequitur alius locus Inſtit. lib.4.cap.15. ſect. 7. vbi cum eundem fuiſſe Ioannis atque Apoſtolorum baptiſmum, varijs ac manifeſtis ſcripturæ teſtimonijs confirmaſſet, concludit his verbis: *Quare neminem perturbet quod alterum ab altero diſcernere veteres contendant, quorum non tanti nobis debet eſſe calculus, vt ſcripturæ certitudinem quatefaciat: Quis enim Chryſoſtomo potius auſcultet, neganti in Ioannis baptiſmo comprehenſam fuiſſe remiſsionem peccatorum, quam Lucæ contra aſſerenti, Ioannem baptiſmum pœnitentiæ prædicaſſe, in peccatorum remiſsionem?* Nec *recipienda eſt illa Auguſtini argutia in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata baptiſmo Ioannis, Chriſti Baptiſmo re ipſa dimitti. Quum enim Euangeliſta clare teſtetur Ioannem in ſuo Baptiſmo remiſsionem peccatorum pollicitum fuiſſe quid extenuare hoc Elogium opus eſt, cum nulla neceſſitas ad id cogat?* Hic à Chryſoſtomo & Auguſtino (modeſte tamen) diſſentit Caluinus, vt cum Luca Euangeliſta conſentiat. Deinde non eſt ex præcipuis fidei capitibus hęc de Ioannis Baptiſmo controuerſia. Vtrouis enim modo ſentiamus, ſalutis per Chriſtum doctrina directè non impugnatur. Immo veteribus in hac differentia ſtatuenda propoſitum erat, Chriſti ſolius gratiam omnibus modis extollere, dum non ſatis expenderent, Dei, non autem hominis inſtitutioné fuiſſe Ioannis Baptiſmum, nec quicquam gratiæ Chriſti derogatum eſſe, quod ſerui eius miniſterio ab ipſo mandato, diſpenſandum attribuitur, dum non Ioannes ſed Deus in Ioannis, vt in Apoſtolorum Baptiſmo peccata remitteret. Succedit locus in eodem libro, cap. 19. Sect. 17. in quo de Papiſtarum pœnitentiæ ſacramento ſic ſcribit: *Ementitum hoc ſacramentum ornarunt quo decebat Elogio, ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium: quia ſi quis veſtem innocentiæ in baptiſmo perceptam, peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cuiuſcunque ſit, quia plane impium ſit excuſari nequit, ſi ex eorum ſenſu exponitur. Quaſi vero per peccatum deleatur baptiſmus & non potius in memoriam reuocandus ſit peccatori quoties de peccati remißionę cogitat. Vt illinc ſeſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet peccatorum ſe remißionem impetraturum, quæ ſibi in Baptiſmo promiſſa ſit. Quod autem dure & improprie Hieronymus dixit, pœnitentia reparari Baptiſmum (à quo excidunt quæ excommunicari ab Eccleſia mærentur) boni iſti interpretes ad ſuam impietatem trahunt. Aptißime igitur dixeris ſi Baptiſmum vocaueris pœnitentiæ Sacramentum, &c.*

Primũ nulla hic eſt Hieronymi expoſitio Scripturæ, quam impiam Caluinus diceret. Dictũ vero Hieronymi non vocat impium, niſi ex Scholaſticorum impio ſenſu exponatur. Cum licet dure & improprie locutus ſit Hieronymus, commodiùs tamen ſentire potuit, quam ab illis iniquè trahitur. Deinde peruulgati inſtar axiomatis fuiſſe probat Caluinus in veteri Eccleſia, baptiſmum eſſe pœnitentię ſacramentum, ex libro de fide ad Petrum, qui Auguſtino inſcribitur, vbi ſacramentum fidei & pœnitentiæ dicitur.

Quod adiungis de prædeſt. & Prouid. ca. Neſcio quo, quid ſit quod notas aut vbi illud inueniam plane ignoto. In illo certe libro quem de æterna Dei prædeſtinatione & prouidẽtia ſcripſit Caluinus, plus credo centies Auguſtini ſententiã in teſtimoniũ adducit, ſummiſque laudibus effert, cum contra aduerſarium eius Pighium accuſet quod Auguſtini ſententiam nominatim damnet lib. 8. cap. 1. deinde quod Auguſtinum alibi acriter flagellauerit, vt qui in hac diſputatione impetu magis, quam moderata ratione feratur qui huc illuc impingat, qui proferat quæ aliena videntur Dei bonitate, &c.

In proximo loco ſuſpicor erraſſe typographum, & pro capite 3. cap. 6. poſuiſſe. Sed nec ibi falli Chryſoſtomum dicit, quamuis eius expoſitionem nõ ſequatur. Nec omnes omnium patrum interpretationes circa illa verba, *Niſi quis renatus, &c.* agnoſcit & contemnit: nec ſenſum allegoricum eſſe affirmat, quin potius illam interpretationem non admittit. Primum enim dicit locum illum varie expoſitum fuiſſe. *Quidam enim putarunt duas regenerationis partes diſtincte exprimi, & ſub aquæ nomine veteris hominis abnegationem notari, per ſpiritum vero intellexerunt nouam vitam. Alij tacitam Antitheſin ſubeſſe putant: quaſi aquam & ſpiritum, pura ſcilicet, & liquida elementa, Chriſtus terreſtri & craſſæ hominum naturæ opponat. Ita allegorice hoc accipiunt dictum, quaſi iuberet Chriſtus nos grauem & oneroſam carnis maſſam exuere & fieri aquæ & aeris ſimiles, vt ſurſum tendamus, vel ſaltem non ita degrauemur in terram. Sed vtraque opinio mihi videtur aliena à Chriſti mente. Chryſoſtomus cui maior pars ſubſcribit, aquæ nomen ad Baptiſmum refert,* quem ſenſum poſtquam ſubiunxiſſet, & quid inde perperam collectum fuiſſet, docuiſſet, tandem ad loci explicationem veniens, ſic ſcribit: *Quantum ad hunc locum attinet, nullo modo adducor vt Chriſtum de Baptiſmo verba facere credam: hoc enim fuiſſet intempeſtiuum &c.* Hæccine verba omnium veterum interpretum contemptum profitentur aut arguunt, ſi à pluribus non ſine euidenti ratione, in loci alicuius interpretatione diſſentiat? Inſtit. lib. 4. cap. 16. ſect. 25. Vbi pædobaptiſmum, contra Anabaptiſtas defendit, illorum argumentum, ex huius loci interpretatione deſumptum, refellit, quod tale erat, Baptiſmus regeneratio vocatur à Domino, infantes igitur, qui regenerationis capaces non ſunt, regenerationis ſacramento non ſunt intingendi. Caluinus vero eos falli ait, in eo quod baptiſmi mentionem fieri hoc loco putant, quia aquæ nomen audiunt. Cum eius loci ſenſus ſit, Deum nos regenerare per Spiritum, qui purgando, & irrigando fideles animas, vice aquę fungitur: quemadmodum Chriſtum Iohannes dicit, baptizare ſpiritu ſancto, & igni. Deinde ſubiungit: *Scio alios aliter interpretari: ſed hunc eſſe Germanum ſenſum non dubito: quia conſilium Chriſti non aliud eſt, quam vt doceat, exuendum eſſe proprium ingenium, omnibus qui ad cæleſte regnum aſpirant.* Quid? an ſuccenſes Caluino, quod locum illum à putidiſſimo Anabaptiſtarum cauillo tam dextre vindicauerit? niſi forte Anabaptiſtarum cauſam agis, vt cum eos falli dicat, Chryſoſtomum falli cauilleris. Porro Inſtit. li. 4. cap. 18. Sect. 11. quam iniquè eum, ex ijs verbis quæ à reliquo corpore auulſa repetis, contempcæ veterum expoſitionis in doctrina ſacramentorum incuſas. Integra illius ſententia omnibus patefaciet, poſtquam veterum de cœna Dominica ſententiã expoſuiſſet ſic ſcribit. *Sed quia veteres quoq; illos video alio hanc memoriam detorſiſſe, quam inſtitutioni Domini conueniebat (quod neſcio quam repetitæ, aut ſaltem renouatæ immolationis faciem eorum cœna præ ſe ferebat) nihil tutius pijs pectoribus fuerit, quam in pura ſimpliciq; Dei ordinatione acquieſcere: cuius etiam ideo vocatur cœna quoniam ſola hic eius authoritas vigere debet. Equidem cum pium atque orthodoxum, de toto hoc myſterio ſenſum retinuiſſe eos videam, neque deprehendam voluiſſe vnico Domini ſacrificio, vel minimum derogare, vllius impietatis damnare eos non ſuſtineo, excuſari tamen non poſſe arbitror quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati ſunt enim propius Iudaicum ſacrificandi morem, quam aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat. Sola igitur & præpoſtera illa anagoge, in qua merito eos quis redarguat, quod non contenti ſimplici & Germana Chriſti inſtitutione ad legis vmbras nimis deflexerunt.* Falſo igitur calumniaris, Caluinum in actione cœnæ veteres damnaſſe, cum ille in modo tantum actionis, hoc eſt, in ceremonijs, ac ritibus, non in doctrina aliquid reprehenderit, tanquam nimis ad legis vmbras deflectens à Chriſti ſimplici inſtitutione.

In tractatu de ſcandalis dolorem ſuum teſtatur Caluinus, quod veteres, Philoſophorum & mundi ſapientium offenſione nimis commoti fuerint, vt dum illis mulcendis pharmaca adhibere ſtuderent, dilutam ac degenerem theologiam nobis tradiderint, qui nunquam ſponte ita locuti fuiſſent, aſſent, ſed dum temperamentum quærerent placandis mundi ſapientibus, vel declinandæ eorum offenſioni terram cœlo miſcuerunt; hoc eſt aliquid nimium humanis viribus tribuere viſi ſunt. Nam cum hominem prorſus exanimare odioſum eſſet, & communi iudicio aduerſum, mitigationem excogitant, quæ ad carnis ſenſum propius accedat, ſed interea doctrinæ ſynceritas profanatur. Ergo nihil (inquit) melius quam vlcus ipſum fortiter premi, quo fieri poſſet ex ſanie ipſa iudicium. Quæritur hic Caluinus, veteres pio ſtudio, nonnihil alicubi, ab Euangelij ſimplicitate declinaſſe ad Philoſophorũ placita, vt eos hac ratione Chriſto lucriſacerent, aut ſaltem infirmorum offenſionem cauerent. Nequaquam vero aſſerit vt tu calumniaris in cauſa liberi arbitrij, frigidam & deformatam theologiam è Philoſophorum lacunis depromptam tradidiſſe. Sed dilutam nonnihil, quaſi aqua Philoſophię, & degenerem à generoſo illo Euangelij vino Theologiam, in nonnullis eorum ſcriptis propinatam fuiſſe. Eum tamen alibi ſatis apertè, omnem carnis ſapientiam pro ſtultitia damnarent & ad inferos vſque deiecta omni mundi altitudine, ſolam Chriſti gratiam, qua ad cæleſte regnum aſpiramus, magnifice & pro merito celebrent. Hoc igitur nihil impedit, quin veterum expoſitionem in præcipuis fidei articulis ſuſcipiat, ac tueatur, quod etiam in hoc eodem libro diſerte profitetur. Quod tacito Auguſtini nomine ex Inſt. lib. 3. cap. 11. Sect. 14. Caluinum aſſeris perpetuam illam & manifeſtam Auguſtini doctrinam ſophiſtis qui &c. imputare, putidum nimis eſt cauillum, cum ne vno verbo aut litera indices, vbi hanc doctrinam tueatur Auguſtinus, cum & in hoc, & in ſeptem ſequentibus capitibus, Caluinus ſæpe Auguſtinum in ſuam, de fidei operumque iuſtitia, ſententiam, citauerit. Sed in ſequenti ſectione eum nominatim taxat. Immo potius Lombardum, qui verbis Auguſtini abutitur in alium ſenſum, quam ab ipſo prolata fuiſſe conſtat. Sic enim ſcribit: *Voluit ſcilicet Auguſtini opinionem ſequi: ſed procul ſequitur, atque etiam à recta imitatione multum deflectit: quia & obſcurat, ſi quid ab illo perſpicuè dictum ſit, & quod non adeo impurum in illo erat, corrumpit:* & paulo poſt, *Ac ne Auguſtini quidem ſententia, vel ſaltem loquẽdi ratio per omnia recipienda eſt. Tametſi enim egregie hominem omni iuſtitiæ laude ſpoliat, ac totum Dei gratiæ tranſcribit: gratiam tamen ad ſanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem per ſpiritum regeneramur.* Ex his ſatis manifeſtum eſſe arbitror, quod licet in omnia omnium veterum verba iurare non ſimus addicti, nihil tamen à te hactenus prolatum eſt, quo Eccleſiam noſtram veterum expoſitiones (quod tantopere arrodis) nequaquam ſuſcipere, ac tueri, in præcipuis fidei articulis, demonſtrare poſſis. De Iuelli noſtri ſolemni ſtipulatione, de qua, pro tua modeſtia & candore loqueris, memini quam fæliciter, Eccleſiæ ceſſerit, Hardingo, alijſque Anglopapiſtis fruſtra oblatrantibus. Iacobi Acontij librum non legi, nec quid ille ſenſerit ex hijs quæ tu citas, ſatis intelligo. Videtur autem minime probare eos qui à ſolis Dei oraculis, ſacris libris comprehenſis, nos

auocant, ad religionem ex hominum quorumcunque ſententijs conſtituendam. Mihi vero propoſitum eſt, ſolis diuinis libris, ſummam ac plenam in omnibus de religione controuerſijs componendis, auctoritatem tribuere, ita tamen, vt veteris Eccleſiæ teſtimonia non negligam, quæ cum aperto ſcripturarum ſenſu conſpirare videntur, vt fides ſolo dei verbo nitatur, homines vero pertinaces, etiam hominum teſtimonio verbo Dei conſentaneo coarguantur. Cum puritanis, eorumque ſcriptis vernaculis, neſcio quibus, qui patrum expoſitiones, tanquam paleam (vt ais) reijciunt, mihi nihil eſſe commune volo, niſi ſi quid in patrum expoſitionibus reperiatur, quod precioſo, & vnico fundamenti lapidi Chriſto, parum coueniat, quicquid inquã huiuſmodi eſt, Apoſtolus vt paleã & ſtipulã habendũ, docet. Sed proteſtantũ Anglorũ manifeſta eſt contradictio, quod Rainoldus quidã Ox- “
onienſis auditor, nuper in theſibus latine editis “
The. 5. pa. 106. quartam cauſam quare Romana “
Eccleſia, nec eſt Eccleſia Catholica, nec ſanum “
eius membrum, hanc adfert, *quod in expoſitione* “
ſcripturæ eum ſolum ſenſum approbat, quem Eccleſia “
tenet Romana, aut Patrum vnanimis tradit conſenſus. “
Sed male diſiungis quæ à Rainoldo homine docto & pio, prudenter coniuncta fuerunt. Non enim eam ob cauſam Eccleſiam Romanam damnat, quia in ſcripturæ interpretatione id approbat, quod patrum vnanimis tradit conſenſus, ſed quod non alium admittit ſenſum, quam quem tenet Eccleſia Romana, aut quem vnanimis patrum tradit conſenſus: quo fit, vt cum permulti

ſint ſcripturæ loci quorum expoſitionem patrum vnanimis conſenſus, non tradidit, eorum omniũ interpretationem, ſuo tantum iudicio, Eccleſia Romana ſubijciat. Hæc illius mens te latere non potuit, ſi quæ proxime apud eum ſequuntur vel minimo iudicio expendere voluiſſes, potius quam grauiſſimo eius argumento, cui impetum ferre non poteras, inani captiuncula detrahere ſtuduiſſes. Sic enim ille argumentum illud proſequitur. *Quo decreto efficitur vt ſenſus Sancti Spiritus ſæpe repudietur, humani vero ſenſus, quamuis ſibi contrarij, tamen ſi pro tempore currant, & practicentur, vt loquitur Cuſanus Cardinalis, ſint authentici. Quæ ſcholaſtici theologi, cum è philoſophorum, tum è ſuis lacunis inſerſerunt verbo dei, pro ſacris habeantur: quæ nonnulli patres tractauerunt ſanius, ſpernantur vt humana, licet conſona ſint diuinis: in quibus autem humano vel affectu, vel ratione ducti claudicarunt illis ſtetur vt diuinis, etſi dicta ſint humanitus.*

Vide igitur quam candidè virum doctiſſimum Raimoldum, Oxonienſis academiæ auditorem, mecum in certamen committere volueris. Eccleſiã Cantabrigienſem, cum Oxonienſe, illius ſententiam, cum mea, quaſi non ſatis mihi cum illo per omnia quod ſciam conueniat; vt manifeſta eius verba commonſtrant.

Sed cum exempli cauſa, vos horter, vt cum Tertulliano, Ambroſio, Auguſtino, diſcatis exponere ſcripturam hanc, *hoc eſt corpus meum*, pro figura, ſigno, typo, corporis Chriſti: Dicis me hoc facere in patrum dictis, quod in ſcripturæ documentis me facere oſtendiſti. Hoc eſt, opertis libenter immorari, ne aperta fateri cogar: difficiliora quæque & obſcuriora ſectari, ne de manifeſtis & claris conuincar. At tibi cum libitum fuerit, lux ipſa erit obſcura, & ſol in ipſo meridie, non lucebit. Semel obſcurius (inquis) Tertullianus, figuræ, Auguſtinus ſigni vocula vſus eſt. Sæpiſſime autem veram & realem corporis & ſanguinis exiſtentiam, quod doceant non aduertis. At nuſquam nuſquam (inquam) veſtram, hoc eſt Papiſticam, exiſtentiam docent, ne verbo quidem, nec tu vllum locum ex tam multis profers, vbi vel clare, vel obſcure ſaltem hoc doceant: Deinde ais, neque ibi ſic figuræ, aut ſigni vocabulo vſi ſunt, vt veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramento negarent: atqui ſic vocabulis vſi ſunt, vt veſtrum præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti modum, in hoc ſacramento penitus tollant. Quod amicè ſuades, vt Guilielmi Alani de Euchariſtiæ ſacramento, opus (vt appellas) eruditiſſimum legam, non grauarer equidem, ſi operæpretium putarem, in eo legendo tempus terere, cum quæ ab Heſcino & Sandero copioſè ſcripta ſunt, in hoc argumento, iamdudum à me diligenter confutata ſint, vt nihil ab Alano, ex patribus produci poſſe arbitror, cui ab altero, vel vtroque illorum antea prolato, non ſatisfecerim.

Quia Eccleſiam te quærere dixiſti, quæ omnem aliam doctrinam, ſiue ex ſcripturis collectam ſiue extra eas traditam, ad nos per manus tradiderit, Iratus (vt ais) reſpondeo, *Si vobis non ſufficit doctrina quæ ex ſcripturis diuinitus inſpiratis collecta,* *vtilis eſt ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad inſtituendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo dei ad omne opus bonum inſtructus, & informatus: diſcedite in malam rem ad cœnum humanarum traditionum, atque in illud, vos ad verticem vſque immergite, daturi aliquando pœnas, contemptæ legis diuinæ, quaſi imperfectę atque mutilatæ: ore blaſphemo negantes, quod Spiritus ſanctus apertis verbis aſſerit: ex ſacræ ſcripturæ doctrina perfectum fieri diuinum hominem, atque ad omne opus bonum, abſque illis extra eam traditionibus, ſatis formatum & inſtructum.* Iraſcor, fateor, & merito, hijs qui perfectioni ſacrarum literarum aliquid detrahunt, vt qui negent earum doctrinam, ad plenam Chriſtiani hominis inſtitutionem, ſufficientem eſſe. Verum interrogas an omnes in malam rem abire iubeam, qui extra ſcripturas traditam doctrinam aliquam docent, aut tradunt. Ego quidem omnes, qui extra ſcripturas, traditam aliquam doctrinam affirmant, quæ ad ſalutem ſit neceſſaria: aut qui negent, ſacras ſcripturas comprehendere doctrinam, quæ poſſit nos inſtruere & ſapientes efficere ad ſalutem, non vereor anathematis vinculo

2.Tim.3.
Gal.1.

» ligare, etiam ſi veniſſent de cælo angeli. Et vbi
» eſt inquis, illa tua religio qua veterum patrum
» expoſitiones te ſuſcipere atque tueri aſſerebas.
Quid? an tam cito in alium virum mutatus es? Atqui idem ſum qui fueram, nullus eſt enim ex antiquis patribus, qui ſcripturæ ſacrę perfectionem neget, aut vllas extra ſcripturas traditiones commendet, quæ quidem ſint ad ſalutem conſequendam neceſſariæ. Hæc enim præcipua fidei

fidei capita voco, quæ æternę ſalutis cauſam tam propè attingunt. Nec quiſquam eſt ex veteribus illis, quorum verba lib. 12. produxiſti, qui alias extra ſcripturam traditiones, amplectitur, quam quæ vel ad ritus aliquos externos pertinent, vel ad dogmata quædam Eccleſiaſtica, quæ licet totidem verbis in ſcriptura non reperiantur, ſatis tamen dilucide ex ſcripturæ authoritate confirmantur. Quod negas vos ad cœnum humanarum traditionum tranſire, qui ſolis ſcripturis contenti non eſtis, cum non humanas, ſed Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones aſtruatis, & teneatis: miſeras ſub Apoſtolico nomine latebras captas, quę veſtram impietatem nullo modo obtegere poterint, quaſi aliquid Apoſtolicum poterit eſſe Apoſtolicis ſcriptis contrarium, ex quibus perfectionem ſacrę ſcripturæ, ad omnia diuini viri officia inſtituẽda edocemur. Quas vero nominatim recenſent traditiones Apoſtolicas Tertullianus, Baſilius, Epiphanius, &c. ne vos quidem Pontificij omnes, quæ iamdudum obſoleuerunt retinetis, verum in verbis illis Apoſtolicis addis vtilitatem non ſufficientiam, quam nos fingimus doceri: & quidem vt homo ſit perfectus ad omne opus bonum inſtructus: ad hoc totum vtilem, immo vtiliſſimam eſſe ſacram ſcripturam affirmas. Sed qui ex ſcripturis conſequitur, vt perfectus ſit, adque omne opus bonum inſtructus, annon ille ſufficientem ex ſcripturis doctrinam tibi hauſiſſe videtur? Sed vel ſufficientem eſſe ſcripturam, vel illam ſolam ad docendum vtilem eſſe, Apoſtolus non dicit, ne ſane ſibi

2.Tim.3

” ipſi contradicat, qui iuſſit ſuos Theſſalonicenſes
” tenere traditiones (id eſt, traditam doctrinam)
” quas acceperant, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam,
” quod autem tenere eos iuſſit, vtile illis
” eſſe proculdubio iudicauit. Non ergo ſola ſcriptura,
” ſed etiam traditio non ſcripta vtilis eſt ad
” docendum, &c. Hæc tu. Primum quod negas Apoſtolum dicere, ſufficientem eſſe ſcripturam, ſed tantum vtilem ipſius Apoſtoli verbis, tibi os obſtruam. Prius enim dixit, ſufficientem, quam vtilem. Quum enim hortatus eſſet Timotheum, vt maneret in hijs quæ didicerat, quæque illi concredita erant, vt qui ſciret a quo didicerat, ſubiungit, & qui etiam à puerulo ſacras literas nouiſti, τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, quæ potentes ſunt, hoc eſt ſufficientes, vt te ſapientem reddant ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Solam vero ſcripturam, vtilem ad docendum, quum & opera Dei, & quotidiana experientia, & hominum etiam à fide alienorum ſcripta, docere nos poſſunt, nemo vere dixerit, præſertim vt excludat verbi prædicationem, & ſcripturæ expoſitionem, vt tu videris prolato ex 2. Theſſa. 2. teſtimonio abuti. Sed ita ad docendum, redarguendum, corrigendum, inſtituendum vtiles ſcripturas ſacras credimus, vt vel ſola in ipſis comprehenſa doctrina ſufficiat, ad hominis diuini hoc eſt Eccleſię miniſtri perfectionem, vt ea inſtructus, nihil ei deſit, ad omne opus bonum perficiendum, hoc eſt ad omnes muneris ſui partes fœliciter obeundum: Doctrinam Apoſtoli traditam per ſermonem, id eſt Euangelij prædicationem, quis neget Theſſalonicen-

lonicenſibus vtilem, immo vero neceſſariam fuiſſe:
ſed licet per Epiſtolam tradita non fuerit, quis
neget ſacra ſcriptura comprehenſam fuiſſe? aut
ex eo quod per Epiſtolam tradita non fuerit, nulla
ſcriptura contineri eam probauerit? Non igitur
hinc efficitur, traditionem, quæ extra ſacram
ſcripturam ſit, vtilem eſſe ad docendum, & multo
minus neceſſariam. Sed exemplo vno aut altero
oſtendere vis, quodcunque vtile eſt, non ſtatim
eſſe vel ſolum vtile, vel ſolum ſufficiens. Quaſi nos
ex eo ſolum, quod vtilis ſit ſcriptura, eius ſufficientiam
commendemus, ſed quia vtilis ſit ad omnes
partes miniſtri Dei implendas, ipſumque perfectum
reddendum, & ad omne opus bonum ſatis
inſtructum. Ex his enim quæ vtilia ſunt, quædam
per ſe ad aliquem finem ſufficiunt, quædam niſi
alijs adiuncta. Pecunia vtilis eſt ad omnes res
venales, quæ numo æſtimantur comparandas, &
per ſe ſufficit: vtilis eſt etiam, ad bene & beate viuendum,
ſed non ſola, ac per ſe ſufficit. Sed exempla
excutiamus. Pietas inquis, ad omnia vtilis 1. Tim. 4.
dicitur, at non ſola, quia corporalis exercitatio ad “
modicum vtilis eſt. Pietas tamen ad omnia ea, “
de quibus loquitur Apoſtolus, ſine corporali illa “
exercitatione, ſufficit, vt quę habet promiſſiones “
non pręſentis tantum vitæ, ſed etiam futuræ. “
Quin vt homo perfectus ſit (inquis) vacare bonis “
operibus vtile eſſe, idem Apoſtolus dixit. Curent “
(inquit) bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo. “
Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. An ergo hæc “
ſingula quia vtilia ſunt, etiam ſola ſufficere tuo iudicio Tit. 3.
videbuntur? Ita ſola, ſine ſtultis quęſtionibus “

bus & genealogijs, & contentionibus, & pugnis legalibus, quæ per hæc, vt inutilia & vana excludit Apoſtolus, ſed non ſola ad perfectionem hominis Chriſtiani, de qua eo loco non diſſerit Apoſtolus, quemadmodum ad Timotheum, Ep. 2. ca. 3. vbi per doctrinæ, redargutionis, correctionis, & inſtitutionis nomina, quorum duo priora ad dogmata, duo poſteriora, ad mores ſpectant, plenam perfectamque Chriſtianiſmi in ſcriptura comprehenſi deſcriptionem tradit, eiuſque finem, perfectionem ſcilicet hominis Dei, ad omne opus bonum inſtruendi manifeſtè deſignat. Quibus quidem rationem reddit, quare prius ſacras ſcripturas dixerat, potentes hoc eſt ſufficientes, vt Timotheum redderent ſapientem ad ſalutem, nimirum, quod in hunc vſum ac finem comparatæ ſint, vt omnes voluntatis diuinæ interpretes plenam in illis ſapientiam inueniant, qua ad perfectionem inſtructi, Eccleſiam ſibi commiſſam, in omnibus quæ ad ſalutem per fidem in Chriſto Ieſu aſſequendam neceſſaria ſunt, erudire valeant.

Antiquos patres nihil nos iuuare dixeras (quos ego quaſi maiores noſtros, & in ſpeciem ſucceſſionis (vt ais) produxi) quia in multis doctrinæ articulis eos deſeramus. Reſpondi eadem ratione, nec vos iuuare, quia in omnibus, eis non adhære-
„ tis. Sed cum tu articulos ipſos recitaſſes, in qui-
„ bus à Sanctis Patribus diſſentimus, idemque no-
„ ſtrorum hominum teſtimonio & confeſſione con-
„ firmaſſes, ego nec capita doctrinæ nomino, in
„ quibus à patribus receditis, nec vel vnum verbum
proba-

probationis adfero. Quid opus eſt nominare capita, quæ tu prius recitaſti, quanquam & ipſe poſtea fateris, nonnulla eſſe, & res in confeſſo eſt, in quibus, patribus illis antiquis non adhęretis, cum ea tantum admittis, in quibus eos vnanimiter conſentire deprehendis, nec enim Iuſtini aliorumque veterum Chiliada, nec Tertulliani Montaniſmum, nec Cypriani rebaptiſmum, nec Origenis aliorumque varios errores, vos ſuſcipere ac tueri arbitror. Impudentiam tuam notaueram, quod propter quoſdam, quaſi in pulchro corpore næuos in nonnullis veterum, à Magdeburgenſibus obſeruatos, in alijs inclinationem, & quaſi inflexionem nonnullam, aut ſaltem ſpeciem quandam eius, ad errores, quos tum Satanas diſſeminare voluit, licet non apertam prolapſionem ab ijſdem animaduerſam: graues omnium illorum patrum errores in dictis articulis, alijſque permultis, diligẽter & ſtudioſe ab ijſdem notatos aſſerueris. Nunc vero, ita in me inſurgis. Ita ſane, quos in nobis fœdos errores & craſſam Idololatriam eſſe vultis, in Sanctis patribus næuos, & ſtipulas vocitatis. Adorationem Euchariſtiæ, quam apertiſſimis verbis [a] Ambroſius, [b] Auguſtinus, [c] Chryſoſtomus, [d] Nazianzenus, [e] Theodoretus, [f] Emiſſenus, & alij patres docent, in nobis Idololatriam eſſe pronunciatis, in patribus næuos eſſe vultis. Merito nos iniquiſſimi iudicij accuſares, ſi ad tam horrenda ſcelera in patribus adeo conniueremus, vt pro næuis tantum haberemus, cum eadem in vobis pro Idololatria, quo nullum fere peccatum grauius condemnaremus. Sed diſcu-

[a] De Sp. Sancto lib. 3. c. 12.

[b] Enar. in pſa. 98.

[c] Hom. 24. in ad Cor. 1.

[d] In fun. ſororis Gorgoniæ.

[e] Dial. lib. 2.

[f] Hom. 5. de paſch.

tiamus diligenter ſingula. Primo loco, Ambroſius de Spiritu Sancto lib. 3. cap. 12. *Per ſcabellum (inquit) terra intelligitur, per terram caro Chriſti, quam hodie quoque in myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli vt ſupra diximus, in Domino Ieſu adorarunt.* Hiccine apertiſſimis verbis Euchariſtiæ adorationem docet Ambroſius? Nihil minus, nam & nos, qui Euchariſtiæ adorationem eam quam Papiſtę pani exhibent, craſſam Idololatriam eſſe volumus, carnem Chriſti hodie in myſterijs eius, ſiue baptiſmi, ſiue Euchariſtiæ adoramus. Aliud eſt enim carnem Chriſti in myſterijs adorare, aliud myſteria vt ipſam Chriſti carnem adorare. Nunquam igitur ex hoc Ambroſij loco, Euchariſtiæ adorationem euiceris. Sed Auguſtinus credo, apertioribus verbis Euchariſtiæ adorationem Enarratione in Pſal. 98. docet, cuius verba hæc ſunt, *Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ, carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis ad manducandum, ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit, inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Adoramus & nos ipſam carnem Chriſti, quam nobis manducandam dedit, non ſolum in Euchariſtiæ myſterio, ſed etiam fide ſine externo ſymbolo. Nemo enim Chriſti carne paſcitur, niſi eam prius adorauerit, vt carnem filij Dei. Sed ne Euchariſtiam vt carnem Chriſti adoremus, ipſe Auguſtinus apertiſſimis verbis nos pręmonuit dicens, in perſona Chriſti eodem in loco ad eos qui in eius de manducanda carne ſermonem, impingebant. *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, tamen oportet inuiſibiliter intelligi.* Aliud eſt igitur corpus & ſanguis Chriſti, aliud ſacramentum corporis & ſanguinis eius, quod licet viſibili modo celebrandum eſt, ſpiritualiter tamen & inuiſibiliter intellectum ſalutare eſt. Chryſoſtomus in Epiſtolam priorem ad Corinthios Hom. 24. multis verbis hortatur auditores ſuos, vt cum ſumma reuerentia, & tremore, ſicut huius myſterij magnitudo poſtulat ad participationem corporis & ſanguinis dominici in cœna accedant, nuſquam tamen ipſa ſymbola, pro corpore aut ſanguine Chriſti adoranda, proponit. Quamuis enim magos adoraſſe Chriſtum dicit in præſepio, ad quorum imitationem fideles excitat, non tamen ad myſteriorum tanquam naturalis corporis & ſanguinis Chriſti adorationem, eos inuitat. Sed ita concludit: *Excitemur igitur horreſcamuſque vt maiorem quam barbari illi, præ nobis feramus pietatem, vt non ſimpliciter, neque frigide accedentes, vehementiori igni caput obijciamus. Hæc autem non dico, vt non accedamus, ſed vt ne temere accedamus.* Eius verba in hanc rem ſunt prolixiora, quam vt omnia huic loco inſerere volui, tamen ſi qua ſunt ex quibus veſtram Euchariſtiæ adorationem neceſſario colligere poteris, cum ea protuleris, reſponſionem meam accipies, ſed nulla eſſe ſat ſcio, ex quibus hoc neceſſario conſequi poſſet. Ad Nazianzenum tranſeamus, qui in funere ſororis Gorgoniæ refert eam noctis ſolitudinem nactam cum morbus vel minimam intermiſſionem dediſſet, ſolitam ante altare cum fiducia procúmbere, eumque qui apud ipſum adoratur, magna voce inuocare. Eius verba ſunt τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως καὶ τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλουμένη. Quis dubitet quin apud altare adoraretur Deus, quem inuocauerat Gorgonia, nam de Euchariſtiæ adoratione verbum nullum. Immo quæ poſtea de eadem narrat Gregorius, ſatis arguunt Euchariſtiam in altari ab ea non fuiſſe adoratam, quamuis in magna reuerentia, & fortaſſe non ſine ſuperſtitione habitam. καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν, ὢ τοῦ θαύματος ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθομένη τῆς σωτηρίας, &c. Has igitur ſacramentalis panis, aut vini reliquias, non in altari inuenit, ſed ipſa, vt tum mos ſuperſtitioſus eas apud ſe ſeruandi inoleuerat, ſecum adoratura Deum attulit, deinde non adorauit ea, vt Deum quæ lachrimis commiſcuit. Poſtremo ἀντίτυπα erant corporis & ſanguinis Chriſti, non igitur verum & naturale eius corpus. Quid enim ſignificet vox ἀντιτύπων docuit euidenter Apoſtolus ad hæbræos nono, cum ἀντίτυπα τοῖς ἀληθινοῖς opponit, vetus enim ſanctuarium manu factum ἀντίτυπον erat veri ſanctuarij, hoc eſt cœli. Theodoretus vero Dial. 2. ait de myſticis ſignis: Intelliguntur ea eſſe quæ facta ſunt, καὶ πιστεύεται καὶ προσκυνεῖται. Hoc eſt creduntur, & in honore habentur, vt quæ illa ſint quæ creduntur. Hoc eſt modo quodam ſpirituali, ſunt corpus & ſanguis Chriſti, atque non minore reuerentia ſumuntur, quam ipſum corpus & ſanguis, cuius ſunt ſymbola. Non quod in corpus & ſanguinem Chriſti permutata ſint, hoc enim aperte negat eodem in loco Theodoretus. *Neque enim ſigna myſtica (inquit) poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura, manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma.* Et in Dial. primo: *Symbola quæ videntur, appellatione corporis & ſanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adijciens.* Quæ ſatis indicant Theodoretum à Papiſtica Euchariſtię adoratione alienum fuiſſe, cum myſtica ſigna, quorum natura non eſt mutata προσκυνεῖσθαι diceret. Vltimus teſtium Euſebius Emiſſemus in ſermone paſchali ſic loquitur. *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis noſtris & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat vt nobis in hoc Dei ſacramentum corporis & ſanguinis conſecraret. vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in precium.* An tu Chriſti corpus quod ſemel offerebatur in precium non poſſe coli per myſterium putas, niſi Euchariſtia tanquam Deus & homo adoretur? Colimus quidem nos Chriſtum pro nobis ſemel oblatum per hoc myſterium, quoties mortis eius memoriam cum gratiarum actione celebramus. Ad reliqua ex Caluino antea reſponſum eſt. In Luthero quod de patribus eum ſcripſiſſe ais, non legi, neque mihi propoſitum eſt, omnia, quæ vel Lutherus, vel quiſquam alius ſcribit, tanquam Dei oracula ſuſcipere, vt non liceat mihi, vel latum vnquam ab eorum ſententia diſcedere. De antiquis patribus, quod ſenſi, ſcripſi, neque muto ſententiam. Quod diſſentire nos ab illis dixeras, in tota ſacramentorum doctrina, &c. quos nominaueram, cum quibus in præcipuis & eſſentialibus Chriſtianæ fidei articulis, doctrinam noſtram conſentire ac conſpirare affirmabã, ais me penitus intacta prætermittere, quæ ad hanc partem reſpondiſti, nihil habuiſſe quod ad ſpeciem quidem hic replicarem. Cum tu nihil reſponderas niſi falſiſſimum eſſe, quod dixi de conſẽſu noſtro cum patribus, quia diſſentiamus in tota ſacramentorum doctrina, &c. Quæ omnia mihi ſatis eſſe arbitror negaſſe, quę tu abſque vlla probatione aſſeruiſti, niſi quod teſtes citabas Magdeburgenſes, in quo tuam impudentiam merito admiratus ſum, præſertim cum ne nunc quidem aliquid ex Centuriaſtis protuleris, quo tanto mendacio colorem aliquem induceres.

QVOD ROMANA ECcleſia contra latentem Proteſtantum *(ſi qua talis erat) penitus præua*luit: vbi & diſcrimina perſecutionum quę legibus & ſupplicijs fiunt, & quę per hæreſes excitatæ ſunt, itemque primæ Eccleſiæ ſub cruce poſitæ & proteſtantum (quæ fingitur) à Romana his aliquot ſeculis oppreſſæ, claræ differentię latè explicantur

CAP. X.

PRIMA *quæſtio erat, quibus &* Stapletonus,
quando hæc occulta Eccleſia ſacra-
menta adminiſtrauerit. Quam eti-
am diſciplinam exercuit? Ad hanc
quęſtionem quum reſpondiſſes, v- “
trumque id factum fuiſſe, quo- “
ties per Antichriſti Papæ tyrannidem id facere “
licuit; *replicaui ego, ex hac confeſſione præualuiſſe Ro-*
manam Eccleſiam, idque multis iam ſeculis, aduerſus il-
lam tuam in deſerto poſitam, Ideoque Chriſti Eccleſiam
hanc fugitiuam eſſe non poſſe: quia contra Chriſti Eccle-
ſiam nulla falſa Eccleſia ſeu papiſtica ſeu alia quæuis
potuerit vnquam præualere, De qua dictum eſt, Et por- Matth. 16.
tæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Hic ex-* “
clamas. O admirabile controuerſiarum profeſſo- “
ris acumen. Hoccine præualere vocas Stapleto- “
ne? Quid igitur legibus & ſupplicijs ex toto Ro- “

manorum orbe propelli? Diocletianus, Iouius &
" Maximianus Herculeus, deletam à ſe penitus
" Chriſti ſuperſtitionem & nomen Chriſtianum
" penitus ſublatum (quod etiam marmora hodie
" teſtantur) ſuperbè non minus quam impiè gloria-
" bantur. Præualueruntne igitur aduerſus Eccle-
" ſiam Chriſti? *Prorſus dico contra illam tuam fugiti-*
" *uam præualuiße Romanam Eccleſiam quæ à Romana Eccleſia tot ſeculis, mille ſanè & amplius annis tuorum penè omnium confeſſione, non ſolum impedita fuerit vt tu hic loqueris & vrges, quaſi prætermiſſus ſacramentorum vſus aut neglecta diſciplina grauius (quod ego ſcripſi) ſonet, quam impeditus vſus, aut impedita diſciplina, (quod te ſcripſiſſe dicis) vt tu hic multis verbis inaniter declamitas, ſed ſic impedita, vt planè fuerit ſublata: id eſt vt nullos valeat diſpenſatores myſteriorum Dei, nullos Paſtores & Doctores, nullos Epiſcopos & præsbyteros proferre, qui vel ſacramenta adminiſtrauerint, vel diſciplinam Eccleſiaſticam exercuerint. Donec enim tales protuleris, nullos te proferre poſſe rectiſſimè inculcabo. Nec ſine huiuſmodi perſonis, rerum huiuſmodi vſus, adminiſtratio, exercitium vllo modo in Eccleſia Chriſti quę acies ordinata eſt, haberi poteſt.*

Quod autem hic rogas, an propterea contra Eccle-
" ſiam Chriſti Ethnici perſecutores præualuerint,
" quia ſuo tempore Chriſtianum nomen ſubſtule-
" runt, vt marmora etiam hodie teſtantur, *Reſpondeo*
" *varium & multiplex diſcrimen eſſe inter Ethnicas perſecutiones & hæreſes, item inter ſtatum Eccleſiæ Chriſtianæ ſub huiuſmodi perſecutionum cruce, & ſtatum hæreſis ſeu ſchiſmatis, qualem tu fingis Romanę Eccleſiæ ſtatum fuiße. Quod quidem diſcrimen tu ſi intellexiſſes,*

nunquam (vti arbitror) tam inſolenter aduerſus confuſationem noſtram declamitaſſes. Primùm enim illę Ethnicorum perſecutiones breues & momentaneæ erant, lucida & longa interualla, frequentes & prolixas inducias habebant. Quum enim totis ferè trecentis annis legibus & ſupplicijs contra Eccleſiam Chriſti ſæuitum fuiſſet, tamen totius illius temporis duodecim tantum perſecutiones recenſentur: & quæ omnium grauiſſima, atque vt ſcribit Oroſius, Maximè diuturna, fuit, Diocletiani & Maximiani à te hîc producta, Decennalis tantum vt ſuum fuit. At Eccleſia Romana contra veſtras hæreſes (quam latitantem in deſerto Eccleſiam vocatis) iam ab annis nongentis & amplius præualere cæpit, quingentis autem totis aut ſexcentis penitus præualuit; iuxta calculum tuum: ſed vt alij exactius ſupputant, non ſolum totis iam mille annis & amplius, ſed etiam Azoſymi tempore (quod & Auguſtini fuit) ſedis Romæ Antichriſtus, in cuius communione totus reliquus orbis Chriſtianus manſit: ideoq́; ſi extitit tunc hæc adulteram veſtram, profecto in deſertum iam vt habitaret, profugerat, & contra eam Antichriſtus præualuerat. Ex hac ergo parte vt vides, vnum & magnum diſcrimen eſt.

Primum diſcrimē inter primas ethnicorum perſecutiones & ſtatum Rom. Eccleſiæ qualē fingunt Proteſtantes.

Lib. 7. cap. 26.

Sed plura tibi & maiora diſcrimina proferam. Externi gladij perſecutio quæ legibus & ſuppliciis perſequitur Eccleſiam (qualem tu profers) adeo non opprimit aut extinguit Eccleſiam, vel (vt tu falſo aſſeris) ex toto Romanorũ orbe propellit, vt planè illuſtret eam, propagandi ac dilatandi fines eius cauſam præbeat. Notarunt hoc diligenter ſancti Patres. Gregorius Magnus in hæc verba. Penſandum eſt quod Arcturus ſemper verſatur & nunquam mergitur, quia & Sancta

Alterum diſcrimen.

Moralium lib. 9. cap. 7.

Ec-

Perſecutio gladij illuſtrat potius Eccleſiam quàm deprimit.

In lib. ad Scapulam & in Apologetico.

Ioan. 12.

Lib. 9. cap. 20. in Lucam.

Eccleſia perſecutiones iniquorum ſine ceſſatione tolerat, ſed tamen vſque ad mundi terminum ſine defectu perdurat. Sæpe namque eam Reprobi: quia vſque ad internecionem perſecuti ſunt, quaſi hanc ſe funditus extinxiſſe crediderunt. Sed eo multiplicius ad ſtatum ſui profectus redijt, quo magis inter manus perſequentium moriendo laborauit. Arcturus ergo dum verſatur erigitur, quia tunc ſancta Eccleſia valentius in veritate reficitur quum ardentius pro veritate fatigatur, *Hæc ille. Sanè iuxta illud Tertulliani*: Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. *Vel potiùs iuxta illud Saluatoris.* Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit; multum fructum affert. *Quod de ſua benedicta perſona propriè dictum, etiam in corporis ſui id eſt Eccleſiæ perſona verum eſt. Vnde eleganter Ambroſius Eccleſiam alloquens*; Salue, *inquit*, vinea tanto digna cuſtode. Te in perpetuum multorum nobis Martyrum plantauit interitus. Te crux Apoſtolorum, æmula Dominicæ paſſionis vſque in orbis totius terminos propagauit. *Hæc ille, oſtendens quo modo tam de Apoſtolis & martyribus verum eſt, quàm de Chriſto, quòd granum mortuum facit fructum multum. Quare & eodem loco addit*: vt vinea dum ligatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur, ita ſancta plebs, dum ligatur, erigitur: dum humiliatur, attollitur; Dum reciditur, coronatur. *Hæc ille. Quam ſanè ob cauſam huius generis perſecutionem quæ legibus & ſupplicijs exercetur, incrementum potius Eccleſiæ dediſſe, quàm detrimentum attuliſſe, ſcripſit Apoſtolorum temporibus*

vi-

Lib.6.Stromatum in fine.

vicimus, & ſub ipſa perſecutionum rabie viuens Clemens Alexandrinus, non ſine egregia & ſingulari quadam fidei ac religionis virtute ac laude. Græcam, *inquit*, Philoſophiam ſi quiuis Magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit; noſtram autem Doctrinam à prima vſque prædicatione prohibent ſimul Reges & tyranni, & ſinguli Duces & Magiſtratus cum vniuerſis ſatellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus, in nos belligerantes & nos pro viribus excindere conantes. Illa autem magis etiam floret. *Rationemque huius rei propriam ſubiungit.* Non enim emoritur vt doctrina humana, neque flacceſſit vt donum imbecillum. Nullum enim Dei donum eſt imbecillum: manet autem huiuſmodi vt prohiberi nequeat. *Hæc eſt nimirum vis veritatis cæleſtis, eius profeſſoribus Diuinitus conceſſa, nulla vt humana vi, nullis legibus, ſupplicijs nullis opprimi queat. Sed omnium elegantiſsimè vt ſolet, & copioſiſsimè, hanc Eccleſiæ & cæleſtis Doctrinæ, vim explicat Chryſoſtomus.* Vbi Chriſtus dixit, ædificabo Eccleſiam meam multa acceleratione facta eſt, etiam contra eam tyrannis ſe armantibus, & militibus, arma mouentibus, & populis plus valido igne inſanientibus, & obluctante conſuetudine etiam oratoribus & ſophiſtis, & diuitibus & principibus inſurgentibus, ſermo Dei velut ignis validus adueniens ſpinas conſumpſit, agros repurgauit, verbum prædicationis. Et licet ſi qui crediderunt, in carceribus ſeruarentur ſeminauit deſpectui eſſent, amitterent ſubſtantias, occiderentur, traderentur igni, ſubmergerentur aqua; & omne tormentorum genus ſuſtinerent cum ſumma igno-

In demonſtratione quod Chriſtus eſt Deus.

minia, & perſecutionẽ paterentur vt hoſtes publici, plures tamen ſemper accreſcebant. *Et paulò poſt:* Etiam Eccleſiam in toto orbe vbique extruxerunt, licet ligarentur, perſecutionem ferrent, fugarentur, proſcriberentur eorum bona, flagellis cæderentur, occiderentur, comburerentur, ſubmergerentur vna cum Diſcipulis. *Hæc ille & multò illic plura. Et ne teſtimonium eius qui tempore perſecutionum non viuebat, minus fide dignum videatur, Tertullianus inter medias perſecutiones agens, & contra perſequentium furorem Apologeticum ſcribens, quàm parum tamen verum eſſet quod tu dicis*, legibus & ſupplicijs toto Romano orbe propulſos fuiſſe fideles, *luculenter oſtendit, dicens.* Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis reliquimus templa.

In Apolog. cap. 37.

Lib. 2. cap. 18.

Lib. 1. contra Celſum.

Hæc ille & adhuc plura; quæ quia aliàs in hoc opere produximus, hic non repetimus. Nec diſſimiliter Origenes qui patre Martyre natus, plurimoſque ad Martyrium hortatus fuerat quum obiiceret Celſus, Chriſtianorum dogma obſcurum & ignobile eſſe, reſpondet vniuerſo terrarum orbi quod prædicant Chriſtiani longè eſſe notius, quàm Philoſophorum placita. *Ex his ergo omnibus ſatis manifeſtum euadit, legibus & ſuppliciis, nec toto orbe propulſam fuiſſe Eccleſiam, nec Chriſtianorum nomen funditus ſublatum, nec denique contra Eccleſiam præualitum fuiſſe.*

Hæreſum ſtrages in Eccleſia

At verò hæreſes in Eccleſia exortæ maximas & propemodum inſanabiles Eccleſiæ ſtrages dederunt. Nã etſi non ita contra Eccleſiam vlla unquam præualuit hæ-

hæreſis aut præualebit, nec etiam omnes ſimul coniunctæ præualere poterunt, vt aut vniuerſum orbem Chriſtianum occupent deleta funditus Catholica & orthodoxa Eccleſia, aut ad finem vſque ſeculi perdurent, ſicuti ſola perdurat Catholica; ſed vnaquæque hæreſis ſuum exitum & interitum hactenus paſſa fuerit (ſola ſupereminente quaſique in media tempeſtate ex fluctibus emergente Catholica) patientur ſimiliter & hodiernæ, ſiue aliæ quæcunque (quo ſanè ſenſu etiam de hæreſibus rectè intelligitur, eſſe illas portas inferi quæ non præualebunt contra Eccleſiam, ſuntque illa Patrum dicta intelligenda quæ ex Theodoreto, Hilario, Auguſtino alibi in hoc opere produximus, quod in perſona Eccleſiæ etiam contra hæreticos dicitur. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi) *tamen hoc habet proprium & ſingulare hæreſis, atque à legibus & ſupplicijs diuerſum, vt quandiu viget & vbi viget, veram Eccleſiam tanquam proprius & maximè infenſus aduerſarius vehementiſſimè oppugnet, peſtilentiſſimè corrumpat, ac denique excedat quaſi atque exterminet: vt certè hæreſium quæ diu inualuerunt, exitus & cataſtrophe ſit, vel paganiſmus vel Atheiſmus.*

Hæreſis propria Eccleſiæ peſtis.

Huius rei & argumenta & exempla non deſunt. Argumento eſt quod hæreſis fuco ſe & prætextu religionis contra Eccleſiam armat: nomine & armis Chriſtianis vtitur. Occultus hoſtis eſt, qui ideo caueri niſi difficillime poteſt. Ciuile bellum agit, quod ſine ſociorũ ſanguine nunquam terminatur. Deniq; fidẽ ipſam, non ſub nomine perfidiæ, vt idololatria, vt Mahometiſmus, vt Paganiſmus, ſed ſub fidei ſacratiſſimo vocabulo oppugnat. Per verba legis, legem impugnant, *ait Ambroſius.*

In cõment. ad brosius. Scripturas ſine ſenſu loquuntur, & fidem
Tit. 3. ſine fide prætendunt, *ait Hilarius. Amicum ſe o-*
In lib. ad Con- *ſtendit, & hoſtis eſt. Socium ſe dicit, & capitale bellum*
ſtantinum. *gerit. Deinde ut magis fallat, à paruis incipit,* vt can-
2.Tim.2. cer ſerpit, per dulces benedictiones ſeducit,
Rom.16. transfigurans ſe in Angelum lucis, venit in veſti-
1.Cor.11. tum omnium, *Scripturas obtendit, vt Sathan, vt*
Matth.7. *Iudæi olim contra Chriſtum ipſum, Sponſæ voces uſur-*
pat & meretrix eſt, Chriſtum loquitur, Euangelium
ſonat, verbum Domini *crepat.* Poſtremo *omnes eius*
machinæ aſtutia & dolus ſunt. Fur eſt & latro, *non*
iuſtus hoſtis. Nequitia & aſtutia circumuenit in
Ioan.10. errorem, *veris & apertis armis non aggreditur. Vnde*
Epheſ.4. *factum eſt, vt infiniti hodie Chriſtiani in hæreticorum*
laqueos inciderint, qui ad Mahumetiſmum ſimiliter
tentati, quæuis potius diſcrimina ſubituri, quam ab
auita fide ſe abduci paſſuri fuiſſent. Rurſum hæreſis
ſeducit intellectum, mutat affectum, animum penetrat,
voluntatem trahit, cor poſſidet. Leges & ſupplicia ex-
ternam vocem fortaſſe extorquent, manum ſubſcribere
cogunt, ad corporalẽ præſentiã impellunt. Sed quia nihil
animorum diuertunt, ubi vel pax data, vel ſæuire ceſſa-
tum eſt, nihil legibus nihil terroribus actum eſt. Quod
animo altius impreſſum erat, immotum manet. Contra
vbi quem hæreſis ſemel occupauit, raro aut nunquam
reſipiſcit. Præterea id agit propriè hæreſis, vt viola-
ta ſemel fidei pudicitia & integritate, ad quæuis ſeſe
opinionum portenta proſtituat, conculcata ſemel Au-
thoritate qua fides nititur, cuiuſuis magiſtri imperium
& iugum ſubeat. Denique dum fidem ſemel atque i-
terum mutare docuit, eo demum propellit, vt omnem fi-
dem & religionem penitus excutiat. Vnde de ſuo tem-

pore

pere Hilarius. Dum plures fides fiunt, ad id cæperũt eſſe ne illa ſit. *Et ſanè hodie eo redacta res eſt, vt in vnaquaq; ſecta & hæreſi, retento tantum fundamento, (quod quale ſit, nondum conſtitutum habent;) ſaluari ſe poſſe, qui ab Eccleſia Catholica hodie receſſerunt, ſibi planè perſuaſerint. Hæc ſanè argumento ſunt proprias fidei & religionis orthodoxæ ſtrages adferre hæreſes non leges & ſupplicia externa. Quam ſanè ob cauſam ſapienter de Cornelio Romano Pontifice ſcripſit Cyprianus, quòd* multò patientius & tolerabilius audiret leuari aduerſum ſe æmulum principem, quàm conſtitui Romæ ęmulum ſacerdotem. *Quare hunc quidem vt declinaret, & Romæ concilium coegit, & ad vniuerſos per orbem Epiſcopos accurate ſcripſit; vt principis minas caueret, nec digitum mouit: ſed, vt ſcribit Cyprianus,* Sedit intrepidus Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore quo tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, expectans corporis ſui carnifices & tyranni ferocientis vltores.

In lib. ad Cõſtantium.

Lib. 4. Epiſt. 2.

Exemplo autem ſunt ampliſſimæ & Orientis & Africæ Prouinciæ, quæ in hæreſes primum dilapſæ, Arianam potiſſimum & Neſtorianam in paganiſmo tandem, & Mahometiſmo (qui eas vſque hodiè occupat) deſierunt. Vix enim alibi obtinuit Mahometiſmus niſi vbi prius ſedem ſuam habuit aliqua hæreſis eademque inueterata. Quum Antiochiam & Syriam occuparet Homar Mahometis ſucceſſor; Iacobitarum hæreſis quæ Eutychianæ ſectæ pars erat ſub Anaſtaſio Iacobita eum latiſſimum tractum occupauerat. Quum in Africa Mauri Mahometem primo ſuſciperent, Ariani, non Catholici erant quos in ſuam blaſphemiam traxe-

Multæ prouinciæ ab hæreſi ad Paganiſmũ vel Mahometiſmum prolapſæ.

Paulus Diaconus lib. 18.

Paulus diaconus lib. 18.

traxerunt. Quum Alexandriam & vniuerſam Ægyptum primo occupârent Sarraceni, ſtatim à morte Mahometis qui illorum Dux fuerat, Monothelitæ erant ſub Cyro pſeudopatriarcha, non Catholici illius gentis Chriſtiani. Et memorabile eſt quod quum eodem ferè tempore totam ferè Perſidam & Aſſyriam reliquam Sarraceni ſectæ Mahometanę comparent, ſoli Armeni, Iberi & Alani, in religione Chriſtiana integri & ſinceri, fortiſſime illis reſtiterunt, ſeſeque & religionem Chriſtianam ab illorum tyrannide ſoli ex adiacentibus illic populis vindicarunt. Idem quoque præſtiterunt Cantabri & Aſtures (quæ nunc Gallitia vocatur) qui ſoli ex Hiſpanicorum populis, vt à Gothorum Arianiſmo (quorum imperata nunquam fecerat, quum reliquis omnibus Hiſpanis Gothi iura darent) ita à Sarracenorum ſeu Maurorum iugo qui Mahometiſmum Arianiſmo in Hiſpanijs ſubſtituerunt, ſemper liberi & immunes perſtiterunt. Sed vt ad Chriſtianiſmi per hæreſes vaſtationem redeam, quemadmodum quum primo in Europam deſcenderent Sarraceni, occaſionem & animum illis præbuit Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ diuiſio (propter Monothelitas & Iacobitas Patriarchales Orientalis Eccleſiæ ſedes tunc occupantes) ſic Turcæ Sarracenorum Domini facti, ipſam Græciam gliſcente magis illo diſſidio & in apertum ſchiſma erumpente Græcia, & inuaſerunt, & magnam eius partem ab annis iam ducentis occupârunt, quam & hodie tenent. Atque in omnibus his prouincijs erecto Mahometiſmo, longa iam annorum ſerie Chriſtiana religio tota propemodum extincta eſt: vt illud facilè obtinuerit hæreſis, quod nullis ſupplicijs & legibus externa perſecutio obtinere potuit. Non

Ann. 640. Sabell. Ænead. 8. lib. 8.

tamen hæreſes iſtæ propterea contra Eccleſiam Chriſti præualuerunt, quia & ipſæ in ſe penè omnes iam interierunt & à Mahometiſmo penitus oppreſſæ atque extinctæ in obliuionem apud illos populos vbi olim inualuerant, abierunt; & præterea quod in illis gentibus ac populis à fide Apoſtatantibus Eccleſiæ deceſſit, hoc per alias gentes ac populos eodem ferè tempore ad Chriſti fidem adductos, ex alia parte Eccleſiæ acceſſit. Quo enim tempore per hæreticos antedictos & Sarracenos in Oriente & Meridie Mahometiſmus obtinuit, quinto videlicet & ſexto ſeculis, eodem tempore permultæ Occidentis, & Septentrionis nationes atque inſulæ fidem Chriſtianam recenter amplexæ ſunt: videlicet Lazi, Seruli Hunni ſub Iuſtiniano Imperatore: Angli per Gregorium magnum, Hollandia, Phriſia, Weſtphalia & magna pars Germaniæ per Anglos Willibrordum, Sinbertum, Leuuinum, Marcellum, Winfridium (aliâs Bonifacium) & Offo. Flandria per Eligium, Bauaria per Rupertum, Saxones ſub Carolo magno, aliæque per alios prouinciæ.

Quare hæreſis vtcunque aliquas gentes perdidit, tamen contra Eccleſiã non præualuit.

Paulus diac. Lib. 15. & 16. Beda hiſtor. lib. 2.

His ergo ita explicatis, vides Gulielme Fulc. aliud illuſtre diſcrimen inter perſecutionem illam quæ legibus ac ſupplicijs fit, & illam quæ per hæreſes excitatur. Ex quo diſcrimine illud infero. Si Eccleſia Romana his tot ſeculis Antichriſtianiſmus eſſet, vel ſecta aliqua hæretica, (vt tu eam vocas) prorſus omnem in tota hac Latina & Occidentali Eccleſia, veram fidem & religionem penitus extinxiſſet; quod & Magiſtri tui ingenue profitentur. Aiunt enim veram Eccleſiam huius Romanæ & nequitia ſeductam & potentia oppreſſam fuiſſe, *quæ Muſculi verba ſunt: Aiunt* Romanam iſtam alias Eccleſias ſa-

In loc. com.

Inſtit. lib. 4. cap. 6. ſect. 12.

crilega impietate prophanaſſe, Immani dominatione afflixiſſe, malis & exitialibus Doctrinis corrupiſſe, & propemodum euertiſſe: *quæ verba ſunt Caluini. Rationem quoque addit Muſculus.* Huic Romanæ Eccleſias omnes eſſe ſubiectas, vſum omnium ſacrorum in eius eſſe manibus, omnes denique coniuratos eſſe Antichriſto, & tales vt luporum rabie imbuantur. *Dico igitur, ſi ſecta hæretica Romana Eccleſia tot ſeculis fuiſſet, profectò contra veram Eccleſiam præualuiſſet, hæreſis enim vbi viget, vbi dominatur, vbi obtinet veram fidem extinguit.*

Quam vim leges & ſupplicia externa non habent: Addo etiam quanto fuit hæc Romana potentior & diuturnior, tanto facilius ſi hæreſis fuiſſet, omnem veram Eccleſiam exterminaſſet; adeoque in paganiſmum vel atheiſmum deſiſſet.

Denique & hoc adiicio. Si Antichriſtianiſmus fuiſſet, quum nihil magis Chriſto aduerſetur quàm Antichriſtus, profectò multò violentius quàm vlla hæreſis Chriſti nomen ac fidem extinxiſſet. Sed vt in hoc opere oſtendimus, hæc ſola Eccleſia illa eſt quæ contra omnes hæreſes non veſtras tantum G. F. quas hodie vel de nouo protuliſtis vel veteres reſuſcitaſtis, ſed & alias quaſcunque perpetuò præualuit.

Lib.4.cap.22.

Sed aliud nunc diſcrimen accipe. Perſecutiones quæ legibus & ſuppliciis fiebant, quod contra Chriſti Eccleſiam non præualuerunt, luculentiſſimo argumento eſt quòd totius eius temporis quo vel maximè ſub cruce erat Eccleſia, monimenta & teſtimonia illuſtris & conſpicuæ Eccleſiæ habemus ampliſſima. Oſtendimus enim non ſecus illius temporis quàm ſubſequentis ætatis ſucceſſionem

nem Eccleſiaſticam omnibus præcipuis Eccleſiæ Chriſtianæ ſedibus: in Romana, Antiochena, Alexandrina, Hieroſolymitana, Epheſina, Laodicena, Corinthiaca, & aliis. Harum enim ſedium Epiſcopos diligenter hiſtoria huius temporis Eccleſiaſtica memoriæ prodidit. Oſtendimus & proferimus huius temporis ſcriptores Eccleſiaſticos, tam qui fidem Chriſtianam contra paganos ipſos Apologeticis editis liberrimè propugnarint, vt Tertullianum, Iuſtinum Martyrem, Athenagoram, Clementem Stromateum, Ariſtidem, Tatianum Aſſyrium, Appollinarium Syriæ, Quadratum Athenarum, Apollinarem, Hieropolis Epiſcopos, Origenem, Apollonium Senatorem, Theophilum Antiochenum, Cyprianum: quàm qui religionem orthodoxam contra emergentes tunc hæreticos ſtrenuè defenderint: vt eundem Tertullianum, Theophilum, & Apollonium, ac præterea Irenæum, Agrippam, Proculum, Milciadem, Dionyſium Alexandrinum, Archelam Meſopotamiæ Epiſcopum, Methodium Cyri, Victorinum, Maximum, & alios non paucos quorum nomina libris ſimul inſcripta non reperiuntur, vt meminit Euſebius: quàm denique qui ſcriptis Commentariis & tractatibus Scripturam & fidem orthodoxam illuſtrarint, vt Dionyſium Areopagitam, Clementem, Origenem, Dionyſium Alexandrinum, Symmachum Samaritem, Rhodo Aſianum, Hippolitum Epiſcopum, victorium Pictauienſem, Theodorum Epiſcopum, Lucianum presbyterum & Martyrem, & alios non paucos quorum vel Euſebius in hiſtoria, vel S. Hieronymus in catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis memoriã nobis reliquit. Sanè ſcriptorum Eccleſiaſticorum omnis generis tanta tunc copia erat, vt in mediis crucibus, Bibliothecas Chriſtiani inſtituerint Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, S. Ieroſolymis

Succeßio in Eccleſia prima ſub cruce poſita.

Scriptores eccleſiaſtici primæ Eccleſiæ, contra Paganos.

Contra hæreticos.

Hiſtor. Eccle. Lib. 5. cap. 26.

Scripturarum interpretes.

Bibliothecæ primorũ Chriſtianorum.

Genebrardus in Chronol.

mis & aliis in locis; quorum Romana illa ſub Commodo Imperatore capitolio fulmine icta conflagrauit, ut meminit in Chronico Honorius.

Synodi primæ Eccleſiæ.

Euſeb.lib.5. cap.22. Tripart.lib.6. cap.20. Euſeb.lib.6. cap.vlt.& lib. 7.cap.24.

Oſtendimus pręterea & proferimus eiuſdem temporis frequentes Epiſcoporum Synodos contra hæreticos & ſchiſmaticos habitas. Cæſarienſem,in Palena anno 200. à Theophilo & aliis Epiſcopis de die Paſchatis: Romanam quoque, Ponticam, Achaicam, Gallicanam eadem de cauſa. Carthaginenſem in Africa anno 240. De baptiſmo paruulorum. Philadelphiæ in Arabia contra Berillum anno 250. Romæ & Antiochię, Arelati, & Carthagine contra Nouatianum, in Aſia diuerſas contra Montaniſtas, Gangræ contra Euſtachium, Antiochiæ duas contra Samoſatenum anno 270. Denique ſub Diocletiano Sinueſſe 300. Epiſcoporum, in Campania Epiſco. 180. & Ancyræ.

Monimenta latitantis Proteſtantis Eccleſiæ neceſſariò proferenda.

Vides ergo G. F. illuſtrem & conſpicuam faciem illius primæ Eccleſiæ, contra quam legibus, & ſuppliciis ſæuitum quidem eſt, ſed non præualitum. Si tu Eccleſiam tuam, ſæuiente ut dicere ſoletis Antichriſto Romano, his iam aliquot ſeculis, oſtendere & proferre vis, ut probes contra eam, non præualuiſſe Romanam, id eſt illam veſtram nihilominus toto orbe latitaſſe; age profer tu ſicut de veteri illa ſub cruce poſita proferimus, Epiſcopos & Paſtores Eccleſiarum uerarum: profer tu ſcriptores Eccleſiaſticos, contra gentes, contra hæreſes ſcripturæ veſtræ interpretes, alioſque tractatores: profer denique & oſtende vel vnicam Synodum Eccleſiæ quæ vel contra Romanam hanc, quam dicitis meretricem, vel contra aliam quancunque hæreſim, his totis mille annis exortam, collecta fuerit. Vides nunc ergo diſcrimen aliud luculentiſſimum illius temporis, ſiue illius Eccle-

ſiæ primæ ſub cruce poſitæ, à veſtra latitante & fugitiua: quam illi ita per omnia ſimilem eſſe vis: vt ſicuti contra illam primam leges & ſupplicia principum ethnicorum non præualuerunt, ita nec contra hanc tuam Romana vnquam Eccleſia præualuerit: Cernis enim nunc niſi planè tibi mentis oculos hæreſis eripuit, rectiſſimè dici contra illam præualitum non fuiſſe, quia oſtendere illa poteſt monimenta & teſtimonia clariſſima quòd ſubſtiterit; de veſtra autẽ niſi impudentiſſimè hoc dici non poſſe, quia talia monimẽta & teſtimonia nulla planè proferre poteſt. Aut ſi poteſt tu me mendacij conuincito.

Quòd cõtra fugitiuam Proteſtantium Romana Eccleſia verè præualuit.

Denique vt hunc locum abſoluam, vides iam non ſanè admirabili aliquo acumine, ſed profectò vero & ſolido iudicio, profeſſorem controuerſiarum quem rides, firmam hanc collectionem feciſſe. Eccleſia veſtra fugitiua ab Eccleſia Romana impedita non interdum fuit, vt tu dicis, ſed longo iam multorum ſeculorum tractu, quo minus vel Dei verbum prædicare, vel ſacramenta adminiſtrare, vel diſciplinam Eccleſiaſticam exercere potuerit: præualuit igitur contra illam his multis ſeculis Romana Eccleſia; vnde conſequitur veram Eccleſiam illam veſtram eſſe non poſſe. Contra veram enim Eccleſiam ſic vt nuſquam appareat, nec Romana potentia, nec ipſæ inferorũ portæ vnquam præualebunt.

Fulco.

VEntum eſt ad caput vndecimum libri tui, quarti, quod ego confutandum ſuſcepi. Tu vero reſponſionis meæ primam ſectionem, alto ſilentio præteris, nec ſemel attingis, quæ in ea poſita ſunt, ne prius me reſpondiſſe omnibus huius decimi capitis argumentis, quam à re propoſita fuiſſent, omnes facile intelligerent. Aſcribam igitur quia breuis eſt totam illam ſectionem, vt ſi eam antea minus animaduerteris, nunc tandem agnoſcas, nihil te attuliſſe nouum, cui non antea à me ſatiſfactum fuerit.

Qua fide non ſolum à Rishtono (quiſquis is eſt) propoſitas quæſtiones, ſed meas etiam ad ſingula reſponſiones referat, facilè agnoſcet, qui libellum illum Anglica lingua compoſitum perlegere dignabitur. Sed abſurdiſſimam vocat occultæ & latentis Eccleſiæ opinionem, cuius nulla ſucceſſio oſtendi poteſt. Certe ſi in fidei doctrina, ſucceſſiſſe eam primis illis Eccleſiæ architectis, Apoſtolis, & Euangeliſtis, oſtendere non poſſemus, merito abſurdiſſimam & ab omnibus qui Chriſtum profitentur, explodendam ſententiam libere fateremur. Quod ſi quis cui ſucceſſit, per omnes Eccleſias illas latentes, ex quo è Babylone diſceſſiſſent, ordine percenſere queamus, quod etiam in quibuſdam forſan Eccleſijs eorum quos fratres vocant Valdenſes, qui ab annis quadringentis ad hæc vſque tempora manſerunt à Papiſtico hæreſi alieniſſimi fieri poteſt, niſi fidem eorum & doctrinam, cum Apoſtolica & Euangelica, in præcipuis & neceſſarijs ſaltem capitibus prorſus conſentientem, ac plane conſpirantem, ex Scripturis ſanctis demonſtrare valeamus quid illis prodeſſet per infinita ſæcula continuata hæreticorum, aut Schiſmaticorum ſucceſſio? Non igitur nullam, vt tu abſque ſubare fingis, quamuis, non perſonalem, de qua ſola abſurdiſſimè gloriantur Papiſtę, ſedo primam, & ad conſtitutionem Eccleſię Chriſti, maximè neceſſariam ſucceſſionem deſignamus. Quam vero aptè ad ſingula reſponderit hic Doctor Anglus, ex refutatione replicarum iſtius controuer-

ſiarum,

ſitarum, profeſſoris regij & ordinarij, ſatis (vt ſpero) ęquis lectoribus probatum erit, ne ad Eccleſiam Papiſticam, pro vera & Catholica Chriſti Eccleſia, ſuſcipiendam inanibus iſtis quæſtiunculis cogi poſſe videamur. Sed ad ſecundam ſectionem conuertamur, in qua primam fuiſſe quæſtionem ais, quibus & quando hæc occulta Eccleſia ſacramenta adminiſtrauerit. At hæc prima non erat, ſed ad verbum lingua vernacula tranſlata talis erat. *Quæ ſacramenta proteſtantes per mille annos quibus latuiſſe Eccleſiam aut pene aut penitus fatentur, adminiſtrauerunt?* non quibus & quando, & huic quæſtioni ab Alano propoſitæ, ſic reſpondi: ea quæ Chriſtus inſtituit, baptiſmatis, & cœnę ſacramenta, idque quoties per tyrannidem Papiſtarum, non impedirentur, quo minus ad hæc celebranda conuenirent. Altera quæſtio erat, quam correctionem, & diſciplinam exercuerunt in peccantes? Reſpondi, eandem diſciplinam, quæ erat in vſu Cypriani æuo, cum perſecutio liberum eius vſum non impediret, de quo ſępe quæritur &c. Ad hæc replicaſſe te ais ex hac confeſſione, præualuiſſe Romanã Eccleſiam, idque multis iam ſæculis, aduerſus illam noſtram in deſerto poſitam, ideoque Chriſti Eccleſiam hanc fugitiuam eſſe non poſſe. Quia contra Chriſti Eccleſiam, nulla falſa Eccleſia, ſeu Papiſtica, ſeu alia quęuis potuerit vnquam præualere. Hic ego vt ais exclamo. *O admirabile controuerſiarum profeſſoris acumen. Hoccine præualere vocas Stapletone? Quid igitur legibus & ſupplicijs ex toto Romanorum orbe propelli? Diocletianus, Iouius & Maximianus Herculeus deletam à ſe penitus Chriſti ſuperſtitio-*

capitis argumentis, quàm à te propoſita fuiſſent, omnes facile intelligerent. Aſcribam igitur quia breuis eſt totam illam ſectionem, vt ſi eam antea minus animaduerteris, nunc tandem agnoſcas, nihil te attuliſſe nouum, cui non antea à me ſatiſfactum fuerit.

Qua fide non ſolum à Rishtono (quiſquis is eſt) propoſitas quæſtiones, ſed meas etiam ad ſingula reſponſiones referat, facilè agnoſcet, qui libellum illum Anglica lingua compoſitum perlegere dignabitur. Sed abſurdiſſimam vocat occultæ & latentis Eccleſiæ opinionem, cuius nulla ſucceſſio oſtendi poteſt. Certe ſi in fidei doctrina, ſucceſſiſſe eam primis illis Eccleſiæ architectis, Apoſtolis, & Euangeliſtis, oſtendere non poſſemus, merito abſurdiſſimam & ab omnibus qui Chriſtum profitentur, explodendam ſententiam libere fateremur. Quod ſi quis cui ſucceſſit, per omnes Eccleſias illas latentes, ex quo è Babylone diſceſſiſſent, ordine percenſere queamus, quod etiam in quibuſdam forſan Eccleſijs eorum quos fratres vocant Valdenſes, qui ab annis quadringentis ad hæc vſque tempora manſerunt à Papiſtico hæreſi alieniſſimi fieri poteſt, niſi fidem eorum & doctrinam, cum Apoſtolica & Euangelica, in præcipuis & neceſſarijs ſaltem capitibus prorſus conſentientẽ, ac plane conſpirantem, ex Scripturis ſanctis demonſtrare valeamus quid illis prodeſſet per infinita ſecula continuata hæreticorum, aut Schiſmaticorum ſucceſſio? Non igitur nullam, vt tu abſque ſubare fingis, quamuis, non perſonalem, de qua ſola abſurdiſſimè gloriantur Papiſtæ, ſedo primam, & ad conſtitutionem Eccleſiæ Chriſti, maximè neceſſariam ſucceſſionem deſignamus. Quam vero aptè ad ſingula reſponderit hic Doctor Anglus, ex refutatione replicarum iſtius controuerſiarum, *ſitrum, profeſſoris regij & ordinarij, ſatis (vt ſpero) æquis lectoribus probatum erit, ne ad Eccleſiam Papiſticam, pro vera & Catholica Chriſti Eccleſia, ſuſcipiendam inanibus iſtis quæſtiunculis cogi poſſe videamur.* Sed ad ſecundam ſectionem conuertamur, in qua primam fuiſſe quæſtionem ais, quibus & quando hæc occulta Eccleſia ſacramenta adminiſtrauerit. At hæc prima non erat, ſed ad verbum lingua vernacula tranſlata talis erat. *Quæ ſacramenta proteſtantes per mille annos quibus latuiſſe Eccleſiam aut pene aut penitus fatentur, adminiſtrauerunt?* non quibus & quando, & huic quæſtioni ab Alano propoſitæ, ſic reſpondi: ea quæ Chriſtus inſtituit, baptiſmatis, & cœnę ſacramenta, idque quoties per tyrannidem Papiſtarum, non impedirentur, quo minus ad hæc celebranda conuenirent. Altera quæſtio erat, quam correctionem, & diſciplinam exercuerunt in peccantes? Reſpondi, eandem diſciplinam, quæ erat in vſu Cypriani æuo, cum perſecutio liberum eius vſum non impediret, de quo ſępe quæritur &c. Ad hæc replicaſſe te ais ex hac confeſſione, præualuiſſe Romanā Eccleſiam, idque multis iam ſæculis, aduerſus illam noſtram in deſerto poſitam, ideoque Chriſti Eccleſiam hanc fugitiuam eſſe non poſſe. Quia contra Chriſti Eccleſiam, nulla falſa Eccleſia, ſeu Papiſtica, ſeu alia quęuis potuerit vnquam præualere. Hic ego vt ais exclamo: *O admirabile controuerſiarum profeſſoris acumen. Hoccine præualere vocas Stapletone? Quid igitur legibus & ſupplicijs ex toto Romanorum orbe propelli? Diocletianus, Iouius & Maximianus Herculeus deletam à ſe penitus Chriſti ſuperſtitio-*

nem & nomen Chriſtianum penitus ſublatum (quod e-
tiam marmora hodie teſtantur) ſuperbe non minus quam
impiè gloriabantur. Præualueruntne igitur aduerſus
Eccleſiam Chriſti? His vero quid tu reſpondeas
» excutiamus. Primum ſic, Prorſus dico contra
» illam tuam fugitiuam præualuiſſe Romanam Ec-
» cleſiam: quæ à Romana Eccleſia tot ſæculis, non
» ſolũ impedita fuerit, &c. ſed ſic impedita, vt plane
» fuerit ſublata. Hoc tu dicis & te dicere ſatis eſt,
nullam enim rationem adfers, niſi quam me pu-
det referre, ne iterum exclamare cogar: O ad-
mirabile controuerſiarum profeſſoris acumen.
ſic enim explicas, plane ſublatam fuiſſe Eccleſiam
» noſtram: id eſt vt nullos valeat diſpenſatores my-
» ſteriorum Dei, nullos paſtores, nullos presbyteros,
» & Epiſcopos proferre, qui vel ſacramenta admi-
» niſtrauerint, vel diſciplinam Eccleſiaſticam exer-
» cuerint. Donec enim tales protulerit, nullos te
» proferre poſſe rectiſſime inculcabo. Age quoni-
am ita tibi propoſitum eſt, inculca vt libet, falſum
tamen eſt antecedens, & licet verum eſſet, con-
ſequentia tamen nulla eſt. Non enim tam obſcura
fuit Eccleſia difficillimis illis temporibus, etiam in
Europa noſtra, vt non poſſint proferri omnibus
ſæculis, aliqui ſaltem ex hijs, qui Eccleſiæ in ſa-
cramentorum & diſciplinæ adminiſtratione præ-
fuerunt. Quorundam nomina etiam expreſſimus.
Valdenſium quoque (vt dicebantur) Eccleſiæ, in
tot Europæ prouincijs, ac regionibus diſſeminatæ,
non potuerunt carere ſuis paſtoribus, ac doctori-
bus, per quos ab annis plus minus quingentis, vſ-
que in hunc diem continuata fuit doctrina E-

uangelij, in ſummis fidei capitibus, fruſtra contra eam ſæuientibus Papiſtis. Quod verò à mille, & amplius annis, omnium pene noſtrorum confeſſione, Romanam Eccleſiam noſtræ pręualuiſſe ais, omnino falſum eſt. Hoc enim nemo noſtrum confitetur, quamuis myſterium iniquitatis à mille amplius, & quingentis annis, cæpiſſe operari, ab Apoſtolo edocti fateamur omnes. Neque homo ille peccati cum palam ſe oſtendiſſet omnem è veſtigio profligauit Eccleſiam, quomodo enim ſedem in templo Dei, hoc eſt Eccleſia Chriſti occupaſſet? Quin & in ipſo papatu, quædam manere agnoſcimus Eccleſiæ veſtigia, & ita impleri quod ab Apoſtolo ſcriptum eſt, Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum. Impeditum nonnunquam vſum ſacramentorum, & diſciplinæ curſum, quod dixi non idem eſſe, ac omnino per tot ſæcula pretermiſſum fuiſſe, nemo ſanæ mentis dubitauerit.

2. Theſſ. 2.

Quod autem rogo vt ais an propterea contra
Eccleſiam Chriſti Ethnici perſecutores præualu-
erint, quia ſuo tempore Chriſtianum nomen
ſuſtulerint vt marmora etiã hodie teſtantur. Re-
ſpondes varium & multiplex diſcrimen eſſe, inter «
Ethnicas perſecutiones, & hæreſes, item inter «
ſtatum Eccleſiæ ſub huiuſmodi perſecutionum «
cruce, & ſtatum hæreſis ſeu ſchiſmatis. Quod qui- «
dem diſcrimẽ ſi intellexiſſem, nunquam (vti tu ar- «
bitraris) tam inſolenter aduerſus confutationem «
tuam declamitaſſem. Mirum ni ego omnium ſtu- «
pidiſſimus, quod pueris & mulieribus notum eſt,
non intellexerim, diſcrimen eſſe inter Ethnicas

perſecutiones,& hæreſes, ſtatuſque Eccleſiæ ſub vtriſque. Verum vt ſit maxime varium & multiplex diſcrimen, hanc tamen inter ſe affinitatem retinent, vt ſe tam Ethnica perſecutio, quam hæreſis & Antichriſtianiſmus, contra Eccleſiam pręualere poſſe ſperent, ſed fruſtra. Nunquam enim aſſequuntur quod miſerè cupiunt, vt contra Chriſti Eccleſiam pręualeant, etiamſi ſua opinione, ſibi vel maximè præualuiſſe videantur. Quod vero quaſi mea verba refers, Ethnicos perſecutores, ſuo tempore Chriſtianum nomen ſuſtuliſſe, facis pro more tuo, quodlibet fingendi, nec enim ſuſtuliſſe aio, ſed ſuperbè non minus quam impie gloriatos fuiſſe, nomen Chriſtianum à ſe penitus ſublatum. Hac tamen ſua opinione, vt par erat, falſi ſunt, manſit enim ſemperque manebit Chriſtianum nomen, & infiniti etiam Chriſtiani nominis profeſſores, quamuis tyrannorum oculis, ſęuiente grauiſſima perſecutione, multiſque millibus Martyrio iam coronatis, minus conſpicui & aſpectabiles. Seruauit enim ſibi Deus maximas reliquias, non ſolum eorum qui metu perſecutionum Idololatriæ cultum ſimularunt, ſed eorum etiam, qui nunquam Dijs alienis vel genua flexerunt, vel micam ſalis aut thuris obtulerunt.

» Sed diſcrimina quæ doces accipiamus. Pri-
» mum fuit, quod illæ ethnicorum perſecutiones,
» breues & momentaneæ erant, lucida & longa in-
» terualla, frequentes & prolixas inducias habe-
» bant, totis enim trecentis annis, quum legibus &
» ſupplicijs contra Eccleſiam Chriſti ſæuitum fuiſ-
» ſet; duodecim tantum perſecutiones recenſen-
tur,

tur, & quæ grauiſſima & maxime diuturna fuit, «
illa ſcilicet Diocleſiani & Maximiani decennalis «
tantum fuit: Eccleſia vero Romana, contra lati- «
tantem in deſerto Eccleſiam, iam ab annis non- «
gentis, & amplius pręualere cæpit, quingentis au- «
tem totis, aut ſexcentis, penitus præualuit, ſed vt «
alij exactius ſupputant, à Zozymi & Auguſtini «
tempore ſedit Romæ Antichriſtus. Hoc diſcri- «
men, quod à perſecutionum diuturnitate ſumptum eſt, non probat magis præualuiſſe Antichriſtum cum ſuis hæreticis, quam ethnicos tyrannos aduerſus Eccleſiam Chriſti. Neutri enim, vel ad horam pręualuerunt aduerſus Eccleſiam Chriſti, contra quam, ne inferorum quidem portæ vnquam pręualituræ ſint: vtcunque vel diuturniori, vel breuiori perſecutione, Chriſti membra ad tempus afflixerunt & diuexarunt. Quin & illa lucida & longa interualla, frequentes & prolixas inducias habuiſſe Eccleſiam ſub Antichriſti tyrannide, certum eſt, quæ habuit olim ſub ethnicis perſecutoribus, quorum licet duodecim tantum perſecutiones numerentur, & decem tantum annorum grauiſſima extiterit, totis tamen, vt tute fateris, trecentis annis, legibus & ſupplicijs, contra Eccleſiam Chriſti ſæuitum fuit, & vix aliquod, à prima Neronis in Chriſtianos ſæuitia, tempus fuit tam ſerenum à perſecutionum procellis, in quo non aliqui ſaltem, ad necem vſque teſtimonium pro Chriſto dixerunt. Duodecim igitur illi æſtus, ac paroxyſmi erant perſecutionum, non ſolæ perſecutiones, quas paſſa eſt Eccleſia, totis illis trecentis annis. Et Antichriſti tyrannis, ſuos

habuit paroxyſmos,ſuas etiam inducias, cum vel bellis ſerendis , vel voluptatibus ingurgitandis, nonnulli Pontifices,vt olim Cæſares,magis vacarent, ita vt remiſſius cum Chriſtianis ageretur, cum non totis viribus ad eorum internecionem, in Eccleſiam incurrerint.Nunquam tamen beſtia illa ſepticeps,aut in his,aut in illis , contra Eccleſiam prȩualuiſſe dicenda eſt. Quanquam enim ab annis fere 900. cæpit ſe palam mundo oſtentare Antichriſtus , vt omnium Epiſcoporum authoritatem, ſibi vni ſub capitis Eccleſiæ titulo arrogaret, non tamen aduerſus Eccleſiam Chriſti, vel tum vel vnquam poſtea præualere cæpit . In hijs enim ſolummodo qui pereunt, hoc eſt in reprobis,non in veris Chriſti membris , eius impoſturæ præualent , ad perpetuum ipſorum interitum. Quod verô Zozymus, Bonifacius, Celeſtinus Romani Epiſcopi , obtruſo Africanis adulterino Concilij Niceni Canone ; autoritatem admittendi prouocationes, ex Africa & abſoluendi eos,qui à ſuis Epiſcopis excommunicationis vinculo alligati eſſent , arrogantius quam Chriſtianos prȩſules docuit , ſibi vindicarent , myſterium iniquitatis paulatim magis ac magis , caput ſuum exerere , ſeque patefacere cæpit , non tamen in apertum antichriſtianiſmũ erupit. Fortiter enim obſiſtentibus tantæ ſuperbiæ Auguſtino, aliiſque Africanæ Eccleſiæ Epiſcopis , fraudemque Miſſis à Cyrillo Alexandrino,& Attico Conſtantinopolitano, veris Niceni decreti exemplaribus palam detegentibus , repreſſa fuit ad tempus ſatanȩ malitia , ſuum Antichriſtum, ante plenum

Con.Car.6.
cap.4.& 7.
Con.Milet.
Ep.ad Bonif.
Con.Aphri.ad
Celeſtinum.

reuelationis tempus, in Eccleſiam introducere feſtinantis. Et licet vt Socrates teſtatum reliquit, Romanus Epiſcopatus, iam olim extra ſacerdotij limites, in externum dominatum progreſſus fuiſſet, non tamen in Antichriſti ſolium euectus eſt, priuſquam vniuerſalis Eccleſiæ procurationem, quod Chriſti capitis proprium eſt, ad ſe ſolum caperet Bonifacius. Hoc igitur diſcrimen quod tibi magnum videtur, non probat Antichriſtum Romanum contra Eccleſiam Chriſti præualuiſſe, quamuis non ſolum legibus ac ſupplicijs, ſed peſtifera etiam doctrina eam perdere aggreſſus fuerit.

Lib.6.cap.11.

Sed plura mihi & maiora diſcrimina profers. Externi gladij perſecutio, quæ legibus & ſupplicijs proſequitur Eccleſiam, adeo non opprimit, aut extinguit Eccleſiam (vel vt me falsò aſſerere ais) ex toto Romanorum orbe propellit, vt plane illuſtret eam, propagandi ac dilatandi fines eius cauſam præbeat. Primum nego me aſſeruiſſe, ex toto Romanorum orbe propulſam fuiſſe Eccleſiam, quantumuis hoc ipſum legibus ac ſupplicijs molitos fuiſſe tyrannos illos dixerim. Deinde fateor Eccleſiam gladij externi perſecutione, adeo non opprimi aut extingui, vt potius eam, quaſi afflictionum igni probatam, & excoctam illuſtriorem reddi, in conſpectu Dei agnoſcam, eius etiam dilatandi propagandique fines, occaſionem præbere concedam, ſed tum demum, cum Deo viſum fuerit, plures, non exemplo ſolum patientiæ Martyrum, ſed verbi etiam præconio, & miniſterio, ad eius gremium

um vocari, ſic enim ſanguis martyrum (vt recte
Tertullianus) ſemen eſt Eccleſię. Hoc noſtræ
Eccleſiæ vſu veniſſe, omnes qui à ſatana penitus
obcæcati non retinentur, vident apertiſſime.
Quo magis enim gladio ac ignibus ſæuitum eſt
ab Antichriſto in Eccleſiam, eo magis ipſa illuſtrata
eſt, fineſque ex angulis illis, in quibus furente
Antichriſto latuit, iam tandem in plurimas,
& ampliſſimas orbis regiones, produxit.
Egregias itaque illas & planè aureas ſententias,
ex antiquis patribus, Gregorio, Tertulliano, Ambroſio,
Clemente, Chryſoſtomo, Origene à te decerptas,
de Eccleſiæ per crucem & perſecutiones
illuſtratione, ac propagatione, agnoſco omnes,
Mor. lib.9. c.7. atque exoſculor. Imprimis vero illuſtris eſt illa
Gregorij ſententia, qua ſanctam Eccleſiam aſſerit
perſecutiones ſine ceſſatione tolerare, ſed tamen
vſque ad mundi finem ſine defectu perdurare.
„ Sæpe namque eam reprobi (inquit) quia vſque
„ ad internecionem perſecuti ſunt, quaſi hanc ſe
„ funditus extinxiſſe, crediderunt. Sed eo multiplicius
„ ad ſtatum ſui profectus redijt, quo magis inter
„ manus perſequentium moriendo laborauit.
Idem ego quod Gregorius, licet alijs verbis, ac
non aliud, dixi & ſenſi; tantum abfuit, vt legibus ac
ſupplicijs, toto Romano orbe propulſos fuiſſe fideles
dicerem, quanquam adhibitas fuiſſe à tyrannis,
in hunc finem, legum ac ſuppliciorum omnes
„ Machinas, verè aſſeruerim. Sed aliam eſſe
„ dicis hæreſeon rationem, quæ in Eccleſia exortæ,
„ maximas & propemodum inſanabiles Eccleſiæ
„ ſtrages dederunt, etſi enim nunquam præualere
potuerint,

potuerint, vt vel vniuerſum orbem Chriſtianum occupent, deleta funditus Catholica & orthodoxa Eccleſia, aut ad finem vſque ſæculi perdurent, ſicut ſola perdurat Catholica: tamen hoc habet proprium, & ſingulare hæreſis, atque à legibus & ſupplicijs diuerſum, vt quam diu viget, & vbi viget, veram Eccleſiam, tanquam proprius, & maximè infenſus aduerſarius, vehementiſſime oppugnet, peſtilentiſſimè corrumpat, ac denique exedat quaſi, atque exterminet: vt certe hæreſum quæ diu inualuerunt, exitus & Cataſtrophe ſit vel paganiſmus, vel Mahometiſmus. Diſcrimen hoc agnoſcimus, ſed nihil cauſam tuam adiuuat, aut noſtram labefactat. Hæreſis externo gladio, magis exitialis eſt peſtis Eccleſiæ, quanto magis legibus ac ſupplicijs armata, vt papiſmus. Vtriuſque tamen coniunctam vim experta Eccleſia, non interijt, è latebris in lucem prodijt, Papiſmum vicit, ignem & cruces patienter ferendo ſuperauit, fraudes & errores veritatis lumine patefecit. Quo modo igitur hoc diſcrimen, prȩualuiſſe Romanam Eccleſiam contra Chriſti ſponſam, conuincit? Prætereo quod quædam etiam à te, licet quodammodo extra propoſitũ, temere aſſeruntur: vt illud, quod nulla hæreſis ad finem vſque ſæculi perdurabit: quod hȩreſis, quamdiu, & vbi viget Eccleſiam exterminet: quod denique hæreſum, quæ diu inualuerunt, exitus & Cataſtrophe ſit paganiſmus, vel Atheiſmus. Antichriſtum qui peſſimum omnium hæreſeωn caput eſt, Chriſtus glorioſo ſuo aduentu abolebit. 2. Theſſ. 2. Non ſemper exterminatur Eccleſia, quamdiu & vbi viget hæreſis. Peſtis enim Arriana, diu lateque graſſata eſt ſub Conſtantio & Valente imperatoribus, *vt non iam portiunculam quandam* (teſte Vincentio Lyrinenſi) *ſed pene totum orbem contaminauerat, adeo vt prope cunctis latini ſermonis Epiſcopis partim vi, partim fraude deceptis caligo quædam mentibus offunderetur.* Nec tamen valuit Arriana hæreſis, Eccleſiam ex omnibus illis locis, etiam cum maximè vigeret, exterminare. Poſtremo Neſtorianæ & Eutychianæ antiquiſſimarum pene hæreſeon reliquiæ, à multis retro ſæculis in hunc vſque diem alicubi in oriente perdurant, quę tamen in Paganiſmum aut apertum atheiſmum non reciderunt. Sed huius rei & argumenta & exempla tibi non deeſſe dicis, nimirum proprias fidei & religionis orthodoxæ ſtrages afferre hęreſes, non leges & ſupplicia externa. Imò vero vtraque valent ad reprobos à ſimulata veræ religionis profeſſione, partim alliciendos partim deterrendos. Et vtriſq; Antichriſtum defectionem à Chriſto moliturum fuiſſe, ſacræ literæ docent. Non enim efficaciam tantum erroris immiſſurus erat Deus, ſed daturus etiam poteſtatem beſtiæ, bellum inferendi ſanctis eoſque vincendi. Et meretrix illa Babylonica, non tantum vino ſcortationis ſuæ reges populoſque inebriauit, ſed ipſa etiam ebria ſanctorum Chriſti martyrum ſanguine conſpecta eſt. Nec tamen deceptio iniuſtitiæ valebit, niſi in his qui pereunt qui veritatis dilectionem non ſuſceperunt vt ſeruarentur, & adorarunt beſtiam, & admirati ſunt meretricem omnes terræ habitatores, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ.

2.Theſ.2.
Apoc.13.17.

vitæ. Antichriſtus igitur Romanus cum non ſolum hæreſi omnium teterrima, multitudinis animos inficeret, ſed legibus etiam & ſupplicijs in pios omnes ſæuiret, maximam & luctuoſiſſimam Eccleſię ſtragem dedit. Vt non mirum ſit paucos tantum ſuperfuiſſe, ad quos illius venenum ac tyrannis non peruenerit, qui purè Chriſtum colerent ac profiterentur. Sed rationum tuarum momenta qualia ſint videamus. Hæreſis (inquis) fuco & prętextu religionis ſe contra Eccleſiam armat: nomine & armis Chriſtianis vtitur. Occultus hoſtis eſt, Ciuile bellum agit, fidem ipſam ſub fidei ſacratiſſimo vocabulo oppugnat. Recte quidem hęc papiſmo conueniunt omnia. Nam ſub fuco religionis, facilius religionem oppugnauit Antichriſtus. Nomen Chriſtianum & verbum dei prętendit, vt Chriſti ſpolijs armatus ſuas ipſius blaſphemias pro Dei oraculis haberi contendat. In templo Dei ſedet, Chriſti Vicarium in terris ſe profitetur, vt ſolus in terris pro Chriſto regnet, cælum vendat, inferos aperiat, & claudat, pecuniæ parcentes in carcerem ſuum purgatorium concludat, nummos liberaliter præbentes emittat. Denique fidem ipſam, non ſub nomine perfidiæ, idololatriæ, paganiſmi, mahometiſmi, &c, ſed ſub ſanctiſſimo fidei Catholicæ titulo expugnat, labefactat, ſubuertit. Cætera etiam quibus hæreticorum fraudes ex Ambroſio & Hilario deſcribis, in eum conueniunt omnia.

1 Per verba legis legem impugnat, dum ſcripturæ perfectionem negat, ob aliquam traditę doctrinæ mentionem. Scripturas ſine ſenſu loqui-

tur, dum ſe maius luminarè à deo factum ſtultè & ſuperbè gloriatur, vtriuſque glaudij poteſtatem ſibi arrogat, ex eo quod ſcriptum eſt, ecce duo gladij hic; & quia Petro paſcendi gregis domini cura maior, quanto dilectio eius ob grauius delictum condonatum debuit eſſe maior, committitur: idcirco ad omnes Chriſti oues non paſcendas verbo vitæ, ſed trucidandas, laniandas; deuorandas, ſibi poteſtatem permiſſam eſſe iactitat. Quin & fidem ſine fide prætendit, cum id præcipuè agit, ne fides in ſolum Deum recumbat. Amicum ſe oſtendit, & hoſtis eſt. Socium ſe dicit, & capitale bellum gerit, cum ſalutem quæ à ſolo deo per Chriſtum gratis datur fidelibus, á ſe ſuiſque blaſphemis, indulgentijs, miſſis, operibus, ceremonijs, potendam ac emendam profitetur. Deindè vt magis fallat à paruis incipit, vt cancer ſerpit: ſic Antichriſtus in tantam ſuperbiam atque potentiam creuit. Quid tibi reliqua commemorem? nihil eſt quo ſe hęretici occultent, mundo venditent, ſuumq; virus latius diffundere ſoleant, quod in Pontificijs fraudibus, doliſque facile reperiri non poſſit. Vnde factum eſt, vt infiniti nominis Chriſtiani profeſſores, iam olim in Antichriſti caſtra conceſſerint, hodie etiam in eiſdem permulti maneant. Quid vero leges & ſupplicia externa, vocem tantum extorquere, manum ad ſubſcriptionem cogere, corporalem præſentiam impellere dicis, vt nihil legibus, nihil terroribus actum ſit: fateor verum eſſe ad Eccleſiam penitus è mundo profligandam, nihil minis, nihil agi tormentis. Electos etiam labi interdum victos ſupplicijs, pliciјs, qui dei benignitate reſuſcitati, fortius depugnent. Reprobi vero & qui nulla veritatis dilectione præditi ſunt, etiam ſupplicijs & terroribus ad idololatriam deijciuntur, à qua nunquam reſipiſcunt. Exemplo ſunt permultæ regiones orbis, in quibus Mahometi peſtis Chriſtianiſmo penitus expulſo pręualuit. Præterea quod hæreſin id propriè agere dicis, vt violata ſemel fidei pudicitia, ad quæuis ſeſe opinionum portenta proſtituat, id non eſt perpetuo verum. Iacobitæ, enim Neſtoriani, Græci etiam, quos vos pro hæreticis habetis, ad noua opinionum portenta iam diu obſurduerunt, veteribus tantum importunè adhærent; auitam & antiquam fidei profeſſionem, ſiue veram ſiue falſam, non minus quam vos Papiſtæ, mordicus retinent, nec cuiuſquam alterius magiſtri imperium aut iugum ſubire ſuſtinent. Et maior eſt interdum quorundam hæreticorum in ſua hæreſi pertinacia, quam piorum quorundam in vera fide conſtantia. Quod Hilarius in libro ad Conſtantium refert, dum plures fides ſint, ad id cæperunt eſſe, ne vlla ſit: locum habuit illo ſæculo, cum plures fidei confeſſiones, in ſingulis pene ſynodis quæ tam frequentes admodum coibant, & à ſeipſis diſcrepantes æderentur, qua patrum & Epiſcoporum diſcordantia, miſera plebs in diuerſas opiniones diſtracta cum nihil certi haberet quod ſequeretur; cępit ex ęquo omnes contemnere. Et niſi Chriſtus laboranti eccleſiæ opem tuliſſet opportunam, magnum inſtabat periculum, ne iam tum à fide Chriſtiana, multo maxima pars hominum

deficeret, vel ad Paganiſmum vt ſcribis, vel ad Atheiſmum. Adeo vt à præcipuis Eccleſiæ columnis eò ſeculo quæſitum ſit, an iam tum ſeſe antichriſtus patefacere cœpiſſet, vt ſuperius à nobis annotatum eſt. Sed & hodie eò redactam rem eſſe ais, vt in vnaquaque ſecta & hæreſi,
» retento tantum fundamento (quod quale ſit
» non dum conſtitutum habent) ſeruari ſe poſſe
» qui ab Eccleſia Catholica receſſerunt ſibi plane
» perſuaſerint. Imo vero Libertini, Anabaptiſtæ, & horum proles Henriconicolaitæ, Dauid georgiani & cætera hæreſeωn monſtra, præter eos qui ſua fide vnumquemque ſaluari putant, nullum extra ſuos cætus alicui ad ſalutem aditum permittunt. Soli fideles Chriſti diſcipuli Charitatis ſymbolo conſpicui, omnes qui ſuper vnicum illud fidei & religionis fundamentum ædificant, quanquam paleam fortaſſe, aut ſtipulam, ligna, aliamque materiam pretioſo fundamenti lapide indignam, cum Apoſtolo ſaluandos, ſic tamen quaſi per ignem, concedunt. Fundamentum vero quid & quale ſit, cum Apoſtolus apertè Chriſtum eſſe pronunciet, mera eſt calumnia à te conficta, non habere eos conſtitutum, quale ſit. Qui Chriſti igitur non ſolum perſonam, ſed etiam officia, hoc eſt totum Chriſtum vera fide amplectuntur, eos quidem licet in leuioribus, à recta religionis ſemita exorbitent, non tamen ab æterna ſalute reijciendos eſſe Apoſtoli ſententia decreuit. Quod ſequitur, Cyprianum ſcripſiſſe de Cornelio Romano pontifice, quod multo patientius & tolerabilius audiret

leuari aduerſum ſe æmulum principem, quam “ conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem, miror cur “ ad Cornelium trahas, quod aperte Cyprianus de “ tyranno ſcripſit, ſiue is Decius fuit, vt plures exiſtimant, ſiue quiſquam alius qui Romanam Tyrannidem eo tempore inuaſerat. *Cypriani* verba ſunt de Cornelio *Sediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra, eo tempore quo tyrannus infeſtus ſacerdotibus dei, fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & tolerabilius audiret leuari aduerſum ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ dei ſacerdotem. Nonne hic frater ſummo virtutis & fidei teſtimonio prædicandus eſt? Nonne inter glorioſos confeſſores & Martyres deputandus, qui tantis temporibus ſedit expectans corporis ſui carnifices & tyranni ferocientis vltores, &c?* Hæc Cypriani verba quo conſilio à te diſcerpta ſunt atque immutata, tu videris. Schiſma & hæreſim Nouatianorum eo ſedente exortam ægerrimè tuliſſe Cornelium non dubito, hoc tamen ex his Cypriani verbis conſtare nego. Sed ab argumentis ad exempla tranſeamus. Exemplo dicis eſſe ampliſſimas Orientis & Africæ prouincias, quæ in hæreſes Arianam & Neſtorianam primum dilapſæ, in paganiſmo tandem & mahometiſmo deſierunt. Non inficior veritatis ſuæ contemptum, in his prouincijs, deum vltum eſſe, Paganos & Mahometanos in eos immittendo, omnes tamen in quos factæ ſunt barbarorum in curſiones fuiſſe vel Arrianiſmo vel Neſtorianiſmo infectos nunquam probaueris, Catholicę profeſſionis erant Africæ prouincię in quos irruperant Vandali, Arriano

Lib.4.Ep.

veneno

veneno infecti, qui non tam hæreticorum fraudibus, Afrorum fidem ſubruere conabantur, quam bellis & hoſtilibus inuaſionibus eorum vices attriuerunt. Iamque rerum potiti in Africa, crudelitate & ſupplicijs, potius quam conſuetis hæreticorum artibus, othodoxos diuexaſſe, author eſt in hiſtoria perſecutionis Victor Vticenſis. Nec omnes erant in Oriente prouinciæ, Neſtorij blaſphemijs addictæ, in quos Saracenorum aut Turcarum arma conuerſa, Mahometiſmum Chriſtiana religione deſerta intulerunt. Imò vero manent adhuc Neſtorianæ labis reliquiæ, vt omnium hodie aut nuper, peregrinantium teſtimonijs confirmatum accepimus. Non enim hæreſis ſola obtinuit, quod nullis ſupplicijs externa perſecutio extorquere potuit, vt Eccleſiæ multis in locis penitus deſertæ fuerint, multitudine ad paganiſmum aut Mahometiſmum prolabente, ſed & ſcelerata vita eorum, qui veræ religionis titulo, & gratia Dei abuſi ſunt ad laſciuiam omnemque improbitatem, eandem vindictam iuſto Dei iudicio promeruit. Exemplo tibi ſint, non qui veram religionem amplexi ſunt, ſed qui tuo iudicio Catholicę Eccleſiæ membra fuerunt, Chios Rhodus, Cyprus, aliæque maris mediterranei inſulæ, Hungaria, Myſia ſuperior & inferior, Bulgaria, magna pars Illyrici, Daciæ Tranſyluaniæ Walachię, in quibus nunc Mahometi inſania regnat vt verũ non eſſe poſſit quod
,, aſſeris. Vix alibi obtinuiſſe Mahometiſmum, niſi
,, vbi prius ſedem ſuam habuit aliqua hæreſis, ea-
,, demque inueterata, niſi Papiſmum ſicuti re-

uera eſt, pro hæreſi inueterata agnoſcere velis.

Sed quod in illis (inquis) gentibus & populis à fide apoſtatantibus Eccleſiæ deceſſit, hoc per alias gentes ac populos, eodem ferè tempore ad Chriſti fidem adductos ex alia parte Eccleſiæ acceſſit. Hoc tu dicis quaſi reparatis in occidente & ſeptentrione damnis, in fines multo anguſtiores contracta non fuerint Eccleſiæ pomeria, ſic enim infers, quare vtcunque hæreſis aliquas gentes perdidit, tamen contra Eccleſiam non præualuit. At ſi præualere vocas, in anguſtias compingi, procul dubio præualuerunt hæreſis & Mahometiſmus, parua enim facta eſt acceſſio ad fidem, prouinciarum in oriente & ſeptentrione, præ maxima illa diſceſſione ab Eccleſia, regionum Orientis & Auſtri, deinde nihil fere acceſſit ex recenti illa barbarorum conuerſione ad fidem, quod non prius in Eccleſiæ gremio fuerat, quam barbari illi finibus ſuis egreſſi & in Romani imperij ditiones effuſi, omnia cædibus & incendijs deuaſtaſſent. Quemadmodum ex hiſtorijs conſtat de Britannia, Pannonia, Belgia, magna etiam Germaniæ parte. Quæ omnes prouinciæ multo ante, Chriſtianam fidem amplexę fuerant, quam ab Hunnis, Saxonibus, Francis, Herulis, alijſque nationibus barbaris, antiquis colonis partim cæſis, partim expulſis occupatæ fuiſſent.

Sed ex hoc diſcrimine, quod tibi illuſtre admodum videtur, quid infers? Si Eccleſia (inquis) Romana hijs tot ſæculis antichriſtianiſmus eſſet

» vel ſecta aliqua hęretica (vt tu eam vocas)
» prorſus omnem in tota hac latina & occiden-
» tali Eccleſia veram fidem & religionem penitus
extinxiſſet. Annon mihi etiam ex eodem diſcri-
mine, ſimili ratione inferre licet ? Si orientalis
Græcorum Eccleſia, his tot ſæculis, quot à latina
auulſa eſt, hæreſis eſſet, vel ſchiſmatica aliqua
ſecta (vt tu eam vocas) prorſus omnem in tota il-
la Græca, & orientali Eccleſia, veram fidem & re-
ligionem penitus extinxiſſet. At non omnem ve-
ram fidem & religionem extinxit, vtcunq; varijs
ſuperſtitionibus ac erroribus implicitam retinuit.
Ita nec Romana quantumuis Antichriſtianiſmus
& hæreſis omnium peſſima, omnem veram fi-
dem & religionem, ex hac qualicunque Eccle-
ſia latina & occidentali penitus vnquam extin-
» guere valuit. Sed & magiſtri noſtri Muſculus
» & Caluinus (ſi tibi credimus) ingenue profiten-
» tur. Quorum ille ait Eccleſiam, huius Roma-
» nę & nęquitia ſeductam & potentia oppreſſam
» fuiſſe. Hic dicit Romanam iſtam, alias Eccle-
» ſias ſacrilega impietate profanaſſe, immani do-
» minatione afflixiſſe, malis & exitialibus doctri-
» nis corrupiſſe, & propemodum euertiſſe. Bene
eſt, quod non eam penitus euertiſſe dicit. Man-
ſerunt igitur aliquo modo Eccleſiæ, quamuis an-
tichriſti tyrannide oppreſſæ fraudibuſque & er-
roribus circumuentę. At neuter omnem è mun-
do perijſſe Eccleſiam dicit, quod ſi aſſequutus fu-
iſſet Antichriſtus, planè contra Eccleſiam præ-
ualuiſſent portæ inferi. Hæreſis enim vbi viget,
vbi dominatur, vbi obtinet, non ſemper veram

fidem extinguit, viguit enim, dominata eſt, obtinuit hęreſis Arriana, vt modo ex Vincentio oſtendi, veram tamen fidem non extinxit, ſed pręualuit tandem vera fides & Arrianiſmo exploſo, altas radices iterum per totum terrarum orbem fixit.

Addis vero etiam: Quanto fuit hæc Romana potentior & diuturnior, tanto facilius ſi hęreſis fuiſſet, annon veram Eccleſiam exterminaſſet adeoque in paganiſmum vel Atheiſmum deſijſſet? Addo & ego, ſi poſſibile fuiſſet etiam electos in perniciem traxiſſet. Sed proſpexit Deus electorum ſaluti, & nulla quamuis diuturna Antichriſti dominatione aut potentia Eccleſia exterminari potuerit. Atheiſmus vero nuſquam gentium poſt Chriſtum natum tam aperte ſe prodidit quam Romæ, quam in Italia, quam in ipſis Pontificibus Romanis, è quorum numero Iohannes 23. etiam a ſuis in Conſtantienſi ſynodo damnatus eſt, quod animæ diuinitatem, carnis reſurrectionem & vitam æternam negaret. Notæ ſunt etiam & vulgo feruntur aliorum pontificum voces, pectus enim religione Chriſtiana vacuum, aperientes Pauli, Leonis, Clementis, Iulij, &c. Adijcis denique, Si Antichriſtianiſmus fuiſſet Papatus, cũ nihil magis Chriſto aduerſetur quam Antichriſtus, profecto multo violentius quam vlla hæreſis Chriſti nomen ac fidem extinxiſſet. Reſpondeo multo violentius quam vlla hæreſis non errorum tantum veneno, ſed legibus etiam & ſupplicijs, Chriſti fidem, ſub Chriſti nominis fuco oppugnauit, fidem vero prorſus abolere non potuit, nomen callide

Seſſio.11.

retinere voluit. At Eccleſia hęc ſola illa eſt inquis, quæ contra omnes hæreſes vt alibi oſtendiſti perpetuo præualuit. At nemo tibi ſanus conceſſerit meretricem hanc Babylonicam, veterem eſſe illam & inſignem Romanorum Eccleſiam, quæ olim fortiter hæreſibus reſtitit, cum ſit mater abhominationum terræ. Fruſtra igitur ſub antiqua Romanæ Eccleſiæ vmbra, hanc adulteram obtegere conaris, cum & vere non minus quam eleganter fateantur Cypriano Papæ, presbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes earum laudum quas de ipſis Apoſtolus protuliſſet dicendo: *Quia fides veſtra prædicatur in toto mundo; eiuſq́; gloriæ degenerem fuiſſe, maximum crimen ſit. Minus enim dedecoris eſt, nunquam ad preconium laudis acceſſiſſe, quam de faſtigio laudis ruiſſe. Minus eſt criminis, honoratum bono teſtimonio non fuiſſe, quam honorem bonorum teſtimoniorum perdidiſſe. Minus eſt ſine prædicatione virtutum, ignobilem ſine laude iacuiſſe, quam exhæredem fidei factum, laudes proprias perdidiſſe*. Sed aliud nunc diſcrimen accipere iubes. Perſecutionis quæ legibus & ſupplicijs fiebant, quod contra Chriſti Eccleſiam non præualuerunt luculentiſſimo argumento eſt, quod totius eius temporis quo vel maxime ſub cruce erat Eccleſia monumenta & teſtimonia illuſtris & conſpicuæ Eccleſiæ habemus ampliſſima. At vero luculentius argumentum eſt, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ perpetuam durationem promiſit, etiamſi nulla extarent temporum illorum hiſtorijs conſignata monumenta.

Lib.2.Ep.7.

Non enim fides noſtra ab hominum relatione pendet, ſed à verbo Dei. Nec tamen negauerim experimento etiam diuinarum promiſsionum, fidem nobis confirmari & quaſi obſignari. Illa tamen quæ commemoras monimenta, licet illuſtrem, non tamen perpetuo conſpicuam mundi oculis Eccleſiam demonſtrare valent. Sed vt progrediaris, pluribus quam opus eſt oſtendere vos ais, ſucceſsionem Epiſcoporū in præcipuis Eccleſiæ Chriſtianæ ſedibus, Scriptores Eccleſiaſticos tam contra Paganos quam contra Hæreticos, Scripturarum interpretes, & ſynodos etiam frequentes: & ſimilia monumenta latitantis proteſtantum Eccleſiæ neceſſariò proferenda clamitas. Sed toties inculcatorum diſcriminum oblitus videris. Legibus tantum & ſupplicijs oppugnatæ Eccleſiæ, illa facies erat vt tu diſertè fateris. Latitans verò illa proteſtantum Eccleſia, non legibus tantum & ſupplicijs, ſed hæreticorum fraudibus, nequitia, & aſtutia celebriora quæque mundi loca occupantibus, in magnas anguſtias, ſedente in templo Dei Antichriſto detruſa eſt, vt multo deterior fuerit eius conditio ſub Antichriſto, quam cum Arriano veneno totus pene orbis infectus eſſet, adeo vt celeberrimas etiam cathedras, non Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, ſed hæretici aut Schiſmatici occuparent. Vt ſi tibi Romanæ etiam ſedis præſules, qui eo tempore præfuerunt Eccleſiæ proferendi eſſent, Liberium hæreticum, & Fœlicem Schiſmaticū preterire non poſſes. Inique igitur poſtulas, vt afflictæ in his Europæ præſertim regionibus Eccleſiæ, non minus illuſtrem & conſpicuam ſucceſsionem proferamus, cum Patriarchalem ſedem ipſe Antichriſtus inuaſiſſet, alioſque omnes celebriores protruſa in deſertum Eccleſia, ſuæ tyrannidi ſubiugaſſet. Sed proferimus Eccleſias, quas vos odioſe Valdenſium vocatis, qui ab annis quadringentis è Babylone veſtra egreſſi, in hunc vſque diem manſerunt: proferimus ſcriptores, & Scripturarum interpretes, vt plurimos Illyricus in Catalogo teſtium veritatis, & nos etiam nonnullos attigimus in hac ſectione, de quibus poſtea cap. 12. quod cum » diſſimulare nõ poſſes, proferre me iubes & oſtendere » Vnicam ſynodum huius Eccleſiæ, quæ vel contra » Romanam hanc quam dicimus meretricem, vel » contra aliam quamcunque hæreſin, his totis mille annis exortam, collecta fuerit. Quoties dicendum eſt, quod à mille annis latuerit Eccleſia nunquam aſſeruiſſe me, neque quenquam noſtrorum? Sed quia nimis vrges, profero tibi intra milleſimũ annum, ſynodum vniuerſalem Conſtantinopolitanam ſextam, in qua & Honorius Romanus pontifex, de hæreſi Monothelitarum conuictus, anathemate percuſſus fuerit, & ſedes Conſtantinopolitana æqualis Romanæ conſtituta fuit, vt in Chalcedonenſi etiam multo antea fruſtra obnunciante Epiſcopo Romano, decretũ fuerit. Quid ſi Conſtantinopolitanum concilium contra imaginum in Eccleſia vſum & venerationem protulero? Subijcies à Niceno paulo poſt fuiſſe repudiatum. Sed & illud ipſum Pſeudonicenum, à Carolo magno in occidente & libro ædito, & Concilio Francofurti coacto damnatum fuit. Vt vero poſtulato tuo, & noſtrę aſſertioni propius ſatiſfaciam,

ciam, An tantam ab Antichriſti Romani tyrannide diſceſſionem, per eos quos vocant Valdenſes & Albigenſes, qui vera fuerunt Eccleſię membra, vtcunque à Scriptoribus Papiſticis, infinitis calumnijs onerati ſunt, abſque vlla ſynodo factum credibile eſt, cum & Epiſcopos habuerint, & Eccleſias, & ſcholas, & principes auxiliarios, aliquos etiam reges, vt teſtantur Matthæus pariſienſis, Antoninus, Reinerus. Saltem ab vniuerſa Bohemiorum ſynodo, damnatum fuiſſe Adamitarum hæreſin, & ab ijſdem Bohemijs deletam, nemo hiſtorię ſciens negauerit. Poſtremo verba tibi proferam Hermanni Shedoti in Cronic. qui ſic ſcribit. Nunciatis in Bohemia quæ Conſtantiæ geſta fuerunt, diſcipuli eorum ſequaceſque omnes in vnum conuenientes; memoriam imprimis defunctorum conſecrant celebrandamque quotannis decernunt. Ab annis autem quinquaginta proximè elapſis, frequentes fuiſſe à nobis celebratas ſynodos, Londini in Anglia, Rupellæ in Gallia, Tiguri in Heluetia, varijſque alijs, Germaniæ, Daniæ, Suetiæque regionibus, ne tu quidem Stapletone negaueris. Sed de mille annis quæ hæc noſtra tempora præceſſerunt, petitionem tuam intelligere te arbitror. Quanquam frequentes ſynodi, veram Eccleſiam non arguunt, cum multo plures ab Arrianis intra paucos annos quibus inualuerunt, quam ab orthodoxis celebratas fuiſſe memoriæ proditum ſit. Nō igitur pręualuit Antichriſtus, cum tota Romanenſium colluuie, contra hanc fugitiuam & latitantem in deſerto proteſtantum Eccleſiam, quia & monimenta eius extant clariſſima, qualia fere tute exigis tibi oſtendi, & quo nullum monimentum clarius eſſe poteſt, ſunt vrbes, oppida, nationes, licet nec celebres nec valde multæ quæ non à Luthero edoctę, ſed à patribus per multa ſæcula acceptam veræ fidei profeſſionem in hodiernum vſque diem retinent. Fatetur Æneas Syluius, & poſt eum hiſtorici plures, Valdenſium doctrinam contra Romanam Eccleſiam, quam fatuitatem appellant, ab anno Domini 1160. ad ſua vſque tempora perduraſſe, multiſque in locis viguiſſe. Horum vero temporum poſteriores perſecutiones ſatis teſtantur, in prouincia, Calabria, Pedemontana, regionibus, nunquam defeciſſe veræ religionis, licet obſcuræ & in mundi oculis contemptę, clariſſima ac certiſſima etiã monimenta, vt iamdudum quod me facere iubes, quando ita vis, mendacij te conuicerim, qui nulla omnino reſtare, nec à nobis proferri poſſe, confidenter, pene dixeram impudenter aſſeris: Ita nec admirabili aliquo acumine, multo minus vero & ſolido iudicio, firmam hanc collectionem feciſti, quod ſcilicet præualuerit aduerſus Chriſti Eccleſiam in deſerto poſitam, Romanus Antichriſtus, quia interdum ſacramentorum adminiſtrationem ac diſciplinæ executionem, ſua ſæuitia impedire, quamuis nunquam ab Eccleſia auferre potuerit.

QVOD PROTESTANTUM Eccleſia non ſic hodie floreat, *vt contra Catholicam, Romanam* adhuc præualuerit, luculenta Demonſtratio.

CAPVT XI.

Stapletonus.

SED nunc à præteritis latebris latitantis & profugæ tuæ celerrimè te recipiens, ad præſentem lucem & ſplendorem te conuertis: planéque triumphabundus, quaſi capta Roma, procedis: & ais. Imò ſi non „
cerebrum tibi omne me- „
retrix illa babylonica ſuis „
veneficijs infeciſſet, non præualuiſſe veſtram „
Romanam aduerſus hanc profugam & occul- „
tam in deſerto Eccleſiam fatereris: quia licet „
omnibus machinis, iam olim & nunc etiam à „
Pontificibus eorumque miniſtris, inquiſitoribus, „
rabulis, mendicantibus, eam oppugnauerit An- „
tichriſtus, Deus tamen fruſtra frendente Satha- „
na atque rumpentibus Papiſtis, eam huc vſque „
ab infinitis periculis conſeruatam, hodie in a- „
pertam lucem reſtituit, & Romana Synagoga „
(quanquam non externa pompa auri, argenti) „
at omni tamen ſpirituali gloria illuſtriorem, à „

„ tot regibus ac populis, quibus ſordet prorſus at-
„ que odio eſt Babylonica meretrix, palam ag-
„ noſci voluit. *Hic eſt ille triumphus quem agis, præualentis iam & florentis nunc tandem in orbe terrarum Eccleſiæ veſtræ, quę hactenus miſella & fugitiua in deſerto latuit. Sed vide quàm multis vanitatem tuam oſtendam.*

A quibus regibus & populis Proteſtantium Eccleſia agnoſcitur.

Primum quæro, qui ſunt illi Reges ac populi qui veſtram fugitiuam, omni nunc ſpirituali gloria illuſtrē, palam agnoſcunt? An Regem aliquem præter vnum aut alterum Angliæ ac Daniæ proferre potes, qui veſtras hæreſes amplectitur? Scotiæ quidem regnum veſtras blaſphemias profitetur. Sed tam Regina innocentiſſima, quam Rex puer à veſtris hæreſibus alieniſſimi ſunt. In potentiſſimo Franciæ regno confratres habetis. Sed Rex Chriſtianiſſimus cane peius & angue veſtras nouitates odit: In multis Germaniæ ciuitatibus & dominijs ſectæ veſtræ admittuntur. Sed quem illic Regem nominare poteſtis? Imò quam Ciuitatem celebriorem, quam Rempub. etiam in Germaniæ latiſſimo tractu deſignare potes, vbi pariter cum ſectis veſtris ſuas etiam Eccleſias non habent Catholici? Auguſtæ Vindelicorum, Vlmis, Spiræ, Wormatiæ, id oculis noſtris iam antè triennium perſpeximus. An non verò & in ipſa Germania totus Bauariæ Ducatus, totus Tirolenſis comitatus, tota Carinthia, Auſtria, Suetia, tot præterea illuſtres ciuitates, Treueris Moguntia, Colonia, Conſtantia, Salitzburga cum adiacentibus & ſubiectis oppidis ac pagis veſtras hæreſes omnes execrantur? Certè nulla harum prouinciarum illas palam agnoſcit. In Belgio quidem iſto graſſantur ſicarij ſectæ veſtrę. Sed nunquid Rex Catholicus Hiſpaniarum princeps veſtras abhominationes recipit? Denique in Bohemia inueteratum eſt, hoc malum veſtrum. Sed an Regem Bohemiæ qui idem eſt Imperator à partibus veſtris ſtare, poteſtis dicere? Certè & in Polonia ſparguntur peſtilentiæ veſtræ ſemina, quæ & creuerunt iam ab aliquot annis. Sed potentiſsimum illic Regem hoſtem habetis acerrimum. Quid quòd Rex Suediæ qui iam pridem veſtris toxicis correptus fuerat, liberatus nunc ad Catholicæ Eccleſiæ gremium ſe recepit? vt quid ergo Reges ac populos crepas, qui tam paucos proferre potes Eccleſiæ tuæ amicos, tam multos vides hæreſium veſtrarum hoſtes infenſiſsimos?

Deinde quæro abs te, quam tuam Eccleſiam dicis, ſpirituali gloria illuſtrem à Regibus ac populis nunc palam agnoſci? Anglia quidem & Scotia, Geneua & Heluetiorum pagi aliquot, aliqua etiam Germaniæ portiuncula vt comitatus nunc Palatinus Rheni, ſi tamen & ille, propter Seniorem fratrem nunc Lutheranum, veſtrum nunc Caluiniſmum & hæreſes profitentur. Reliqui verò Germanorum populi, principes ac ciuitates qui à Catholica defecerunt, vos Caluiniſtas abominantur, & Lutheri placita ſequuntur: quanquam non eodem modo, ſed in varias quoque ſectas diſſecti vt alibi in hoc opere oſtendimus. Hic in belgio ſchiſma magnum factum eſt. Sed in Flandria, Hollandia, Zelandia, Anabaptiſtarum maximus numerus eſt, vt Gandaui, Aldenardi & in pagis adiacentibus penè ſoli obtinent. Nobiliſſimæ autem Burgundiæ, Luxemburgi, Hannoniæ, Arteſiæ, Valencenarum, & Tripolis noſtræ prouinciæ veſtrorum hîc hominum non ſecus fœdas hæreſes, quàm ſceleratam & perfidam rebellionem toto pectore execrantur, & armis vi-

Caluiniſmus apud multos Eccleſ. Rom. hoſtes reijcitur, Lib. 4. cap. 9.

ctricibus egregiè perſequuntur. Deo ac Regi Catholico fideliſſimæ. Quorum etiam ſancto fœderi & Flandriæ & Brabantiæ Ciuitates aliquæ coniunctæ manent. Habent quoque in Germania & in Polonia ſuas Eccleſias Trinitarij, Oſiandrini, Vbiquitarij ſeu Brentiani ſectę planè à vobis Caluiniſtis & vulgaribus Lutheranis multùm diuerſæ. Quam ergo vnam Eccleſiam dicis niſi Caluiniciam, quam multi populi deteſtantur etiam ex illis qui à Romana diſceſſerunt?

Rurſum veſtra Anglocaluiniſtarum Eccleſia nuſquam niſi in Anglia floret. Vos enim ſoli Laicocephali eſtis. Vos ſoli principi Laico ſupremum in cauſis Eccleſiaſticis iudicium defertis. Vos ſoli præter Epiſcopos, etiam Archiepiſcopos, Archidiaconos, Decanos, aliaque Eccleſiaſticę dignitatis officia retinetis, multaque alia in cultu & politia externa obſeruatis, à quibus reliquæ extra Angliam reformatæ Eccleſiæ penitus abhorrent: niſi fortè papatum Saxonicum veſtræ berthæ ſimilem eſſe velitis dicere. Quanquam ſi in politia externa ſimilis eſt, in Doctrina maximè diſſimilis. Lutherani enim illi ſunt, Caluiniſtæ vos.

Quid quod nec in ipſa Anglia ſecta illa veſtra ita ſpirituali gloria illuſtris eſt, vt palam ab omnibus agnoſcatur? Quomodo enim illam agnoſcunt Puritani, quomodo familia amoris, quo modo denique tot Reconciliati Catholici, qui turpitudine ſcorti veſtri conſpecta & agnita ad verum Chriſti ſponſum Eccleſiam Catholicam his poſtremis annis maximo numero redierunt, vt illos taceam qui coram baal veſtro nunquam genua flectere voluerunt: ſed à veſtris Pſeudopontificibus eorumque miniſtris, tortoribus, rabulis, (vt tuis ver-

bis vtar) & rapinam bonorum & multorum annorum carceres ac ſqualores & denique nonnulli (quos adhoc certamen vocare voluiſtis) atrociſsimam mortem pro fide Catholica perperſsi ſunt. Non eſt ergo quod de ſcorti tui dilatatis fimbriis iactanter glorieris, cuius tam anguſti ſunt fines, vt ne quidem inſulam ipſam in qua ſola dominatur, teneat adhuc pacifica.

Poſtremò vtcunque vera eſſent quæ narras, de tot Regibus ac populis à quibus Eccleſia tua omni ſpirituali gloria illuſtris palam agnoſcitur, *tamen nihil aliud hoc totum eſſet, quàm quale olim in Arianis, Donatiſtis, Nouatianis, aliiſque veterum hæreticorum ſectis Eccleſia Catholica olim pertulit. Ariani enim ſub variis imperatoribus ſuæ ſectæ deditis, Conſtantio, Valente, Zenone totius ferè Orientis Eccleſias occuparunt: nec niſi poſt 180. annos in Oriente deleri potuerunt. In Occidente poſtea per Longobardos in Italia, (adeo vt ſub Rothari Regis anno 640 in omnibus ferè Italiæ vrbibus duæ Eccleſiæ & duo Antiſsites Catholicus & Arianus conſtituerentur) per Gotthos in Hiſpania, per Vandalos in Africa, aliquot etiã ſæculis inualuerunt. Donatiſtæ in Africa ducentos & ſeptuaginta Epiſcopatus habuerunt tempore Auguſtini, & vſque ad Gregorij magni tempora ferè trecentis annis ſuas, Eccleſias retinuerunt. Nouatiani (ſi Socrati Nouatiano credimus) etiam in vrbe Roma Eccleſias perpetuò habuerunt vſque ad Cæleſtinum & Theodoſij Iunioris imperium annis 200. In Oriente verò maximè Conſtantinopoli adhuc multo diutius in quadam ſucceſsione perdurarunt. Nihil tamen ſimile vel illæ ſectæ ampliſſimæ olim habuerunt, vel hæc hodie veſtra habet (quæ vtcunque ampla, multis tamen partibus illis anguſtior eſt,) cum Eccleſiæ Catholicæ amplitudine,*

Sabell.lib.6. Ænead.8.

In breuic. collat.Carth.

Regiſt.lib.3. epiſt.32.lib.5. epiſt.36. &.63.

Socrat.hiſt. Eccleſ.lib.7. cap.11.

dine, conſpicuitate, & duratione: idque propter cauſas ſuperius explicatas, vbi veræ ac falſæ ſucceſsionis diſcrimina tradidimus. Multo etiam minus contra Romanam, id eſt Catholicam Eccleſiam veſtra ſecta Anglocaluiniſtica, aut etiam omnes veſtræ ſectæ quæ ſub Proteſtantum nomine graſſantur, hodie præualent, quam olim contra illarum temporum Catholicam Eccleſiam prædictæ ſectæ præualuerunt. Non ignoras enim Romanæ Eccleſiæ communionem, & obedientiam, vtcunque circumlatrantibus vobis, tanquam immobilem petram in multis & ampliſsimis orbis Chriſtiani prouinciis, firmam adhuc & validam ſubſiſtere, non ſolum ad quas peſtilentum veſtrorum Dogmatum clamor adhuc non peruenit, ſed etiam circa quas his totis ſexaginta annis & amplius ad rauim vſque vociferati & ſollicitè negotiati eſtis: ſtudioſiſsimè ſcriptitando, Declamando, Mentiendo, calumniando, ſeditiones & bella non ſolum aduerſus externos concitando (vt veſtris malis artibus in Scotia, in Gallia, & nunc in hoc belgio) ſed etiam nefaria rebellione in Principes & Poteſtates ſublimiores, fœda proditione in fratres & conciues eadem accendendo: vt ipſi inter ſe Helueti primum, deinde Germani, poſt Galli, ac nunc belgæ, qui mutuis penè vulneribus & cladibus ad ſcorti veſtri fimbrias dilatandas conciderunt, vel ſeſe potius confecerunt. Nam in iſtis ipſis prouinciis quæ hæreſum veſtrarum vel rugitu attonitæ vt in Hiſpania, Italia, & Luſitania, vel labe aſperſæ vt in Gallia & hoc belgio, vel aliqua etiam rubigine tactæ vt in Germania, Anglia, Scotia, tantum abeſt veſtram meretricem præualere, vt ſcribis, aut deuicto hoſte triumphum iam ſecuram agere, vt planè in præcipuis harum gentium ne hiſcere quidem aut mutire audeat; in aliis ad ſilentium com-

Sabell lib.6. Aenead.8.

In Deuic. collat. Cath. Regist. lib.3. epist.9. lib.5. epist.36. & 63. Socrat. hist. Eccles. lib.7. cap.1.

Proteſtantum Eccleſia nō præualet vſpiam.

compulſa taceat; in illis denique vbi maximè procax & garrula eſt, non ſolùm contradictionem manifeſtam ſuſtineat, & in armis cum hoſte confligere cogatur, ſed etiam vtcunque legibus ac ſuppliciis alicubi agat (vt apud vos Anglos & Scotos potiſſimum vel potius ſolos) abiecta tamen & deſpecta tam à doctis pleriſque quam ab Indoctis veſtris iaceat, nec niſi vi legum & ſuppliciorum, fidem & authoritatem apud vos obtineat. Argumento huius rei ſunt tot non ſolùm è clero ſed etiam ex laica nobilitate apud vos à multis iam annis in vincula coniecti, in cuſtodia etiam hodie detenti, bonis & fortunis exuti. Argumento ſunt frequentes veſtræ, etiam adhuc poſt viginti annorum ſchiſma legibus confirmatum, viſitationes regiæ, quas commiſſiones vocatis, quibus ad ſacra veſtra ſacrilega vel inuitus populus adigatur. Argumento ſunt multæ apud vos pecuniariæ ſingulis feſtis ac dominicis diebus illis impoſitæ qui ad veſtra conuenticula (quæ volens vix vnus è centum Anglis ingreditur) non accedunt. Argumento denique eſt maximus illorum numerus qui quotidie à vobis non ex populo tantum ſed etiam ex honeſto loco natis, adeoq; è prima nobilitate, vtriuſque ſexus & omnis ætatis atque ordinis, deficiunt & ad Romanę Eccleſiæ vnitatem & communionem Reconciliati (quæ vox adeo apud vos hodie, Capitalis eſt) redeunt. Quæ cum ita ſint, tua ſe vanitas ipſam prodit, & digito palpandam præbet, quum hunc modum ſubiungis, Præualuit igitur & iam præualet, Eccleſia Chriſti (*veſtra.ſ.fugitiua*) contra omnes hæreſes & omnium maximam Apoſtaſiam Romanenſium ab Eccleſia Chriſti. Hoc (vti dixi) quanta vanitate à te dictum ſit, ex iis quæ iam diſputata ſunt, liquidò conſtat. Addo tamen hoc vnum verbum vt tua

Proteſtantes in Anglia quam parum præualeant.

vel alia quauis ſecta contra Romanam Eccleſiam præualeat neceſſe eſt vt omnes Chriſti Eccleſias quas ab aliquos iam ſæculis ſaltem in hac Europæ parte vobis confitentibus) Romana Eccleſia occupauit, illa tua vel alia quęuis ſecta ſimiliter occupet, eamque cogat in deſertum fugere & latitare, vel potius penitus tollat atque extrudat. Hoc enim demum eſt fortiter & efficaciter præualere contra Eccleſiam Chriſti: hoc autem à vobis ſi nondum præſtitum denegare audes, mendacij & impudentiæ palmam feres.

Addis poſtea vt cæptum triumphum proſequaris. Papiſtarum inſipientia iam omnibus etiam mulieribus & pueris manifeſta eſt: eorumq; perditio (vt Petrus docet) non dormitat. Conſumptus eſt iam maxima ex parte ſpiritu oris Chriſti, hoc eſt verbo veritatis, Antichriſtus, & glorioſo eius aduentu propediem penitus abolendus atque exterminãdus: &c. *Valde ſanè & pompaticè & propheticè: Sed collige te pauliſper vir bone: & quod ad Papiſtarum inſipientiam attinet, omnibus, vt ais manifeſtam, circumſpice diligenter Catholicæ & Romanæ Eccleſię cauſam, religionem, fidem, veſtra hodie* callida inquietudine *vt Auguſtini verbis vtar)* exagitatam, & conſiderari diligentius & intelligi clarius, & inſtantius prædicari. *Pone tibi ante oculos tot & tantas doctiſſimorum hodie Catholicorum contra hæreſes diſputationes, tractatus, libros. Cogita ſingulas horum temporum Controuerſias contra prauitatem veſtram acriter defenſas, accuratè explicatas, ſolidè demonſtratas. Memineris denique in Concilio generali Tridentino, in frequentiſſimo Patrum conſeſſu vnanimi Paſtorum & propoſitorum Eccleſiæ Dei conſenſu, veſtras omnes hæreſes anathemate*

De ciuit. Dei. Lib.16.cap.2.
Catholica fides quomodo adhuc vbique inclareſcat.

themate percuſſas eſſe : vbi & cauſa veſtra finita eſt, vtinam & error finiatur. Ex quibus ſanè omnibus cauſæ Catholicæ firmitas egregiè roborata, veritas eruditè confirmata, innocentia fortiter defenſa eſt. Veſtra autem inſipientia G.F. & in Germania vbi rari ſunt Lutherani, primi Euangelij veſtri præcones, & in Geneua aliiſque confęderatis Heluetiorum pagis, vbi penitus ſordet & exulat Lutherus; & in Anglia vbi poſt Lutheraniſmum, Caluiniſmum amplexi, in Puritanos transformari cæpiſtis; ita omnibus manifeſta extitit, vt non ſolum de ſecta ad ſectam quaſi equites deſultorij è ſella ad ſellam vos ipſi tranſilieritis; verum etiam quàm plurimi à vobis etiam magni nominis & excellentis eruditionis viri ad Catholicam migrauerint, veſtras non tam inſipientias & ineptias quàm impietatem & blaſphemias pertæſi atque exoſi. Huiuſmodi ſanè ſunt, (vt paucos è multis nominem, eóſque ſolos qui etiam ſcriptis monimentis ſuam à nefaria ſecta veſtra diſceſsionem orbi teſtatam reliquerunt) Georgius Vicellius, Fridericus Staphylus, Franciſcus Balduinus, Stanis Laus Orichonius, Valentinus Parcæus, Gaſpar franck, Ioannes Albertus, & Laurentius Albertus, Fabianus Quadrantinus, Matthæus Grillus Salernitanus, Ioannes Brunæus gallus, & nuperrimè duo miniſtri galli, Matthæus lannoy & Hēricus pennetier, qui etiam veſtras inſipientias & improbitates, ſibi ex aliquot annorum conſuetudine notiſſimas, ſcriptis Gallico idiomate libellis genti ſuæ propalarunt. Nec ignorare potes G.F. quantus numerus (non ſolum ſtudioſorum & clericorum, & quidem in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtitutorum, ſed etiam Laicorum atque nobilium virorum) his totis viginti annis, vt veſtras hæreſes longiſsimè fugerent, Angliam deſeruerint, &

Proteſtantes deſerti à ſuis.

& exilium voluntarium ſubierint. Aut ſi ignorantiam prætexis, legere potes Nicolaum Sanderum noſtrum in viſibili Eccleſiæ Monarchia lib. 7. Nam quomodo quotidie etiam domi vos deſcrant Reconciliati Catholici, idque adeo ex miniſtrorum veſtrorum ordine, ignorare non potes. His opinor omnibus inſipientia veſtra manifeſta fuit. Porro quia noſtra opuſcula G. F. libenter legis, percurre Speculum prauitatis hæreticæ, *nuperrimè à nobis editum & per orationes ſex deliniatum. Videbis in illo inſipientiam tuam & tuorum variam atque multiplicem ad oculum, ni fallor, demonſtratam. Vos videlicet non eſſe Eccleſiæ reformatores, ſed tranformatores nouos, fœdos atque deformes. Veſtram cœnam nihil minus eſſe quàm dominicam, & cum Chriſtiana atque Eccleſiaſtica liturgia parum aut nihil habere commune. Veſtram nequitiam atque aſtutiam vtramque ſanè egregiam eſſe, maiorem tamen nequitiam. Veſtras hæreſes proximas eſſe Antichriſto, & viam ad eum paratiſſimam ſternere. In veſtra doctrina nihil eſſe conſtans, certum & ſtabile. Poſtremò nullam in vobis prorſus religionem eſſe, diuini numinis cultum & curam nullam. His opinor ſex punctis veraciter oſtenſis, inſipientia veſtra bona ſaltem ex parte omnibus manifeſta facta eſt.*

Quam vero ſubtexis de breui abolendo Antichriſto *prophetiam, id eſt iuxta ſenſum tuum de breui excindenda Eccleſia Catholica Romana, quam te prophetico ſpiritu præditum vel ex admirabili vitæ pietate, vel ex ſignis diuinitus datis intellexerimus, formidare nonnihil incipiemus. Nunc mulierculis iſta & pueris tuis dicito; nec tales ineptias futiliſſimas atque vaniſſimas, ſcriptis libellis, amplius obtrudito. Nam quod præmittis.* Maxima ex parte conſumptũ eſſe Antichriſtum

id

idest Eccleſiam Romanam in ſenſu tuo, quam non ſolum futile & vanum ſed impudens præterea & perfrictæ frontis mendacium ſit, ex ijs quæ modo & paulo ſuperius diximus, imò ex re ipſa & præſenti Eccleſiæ Catholicæ facie, omnibus qui tuam inſulam egreſsi ſunt, illuſtri atque conſpicua, luce meridiana clarius conſtare poteſt.

Fulco.

TRiumphum me agere dicis, quaſi de Roma capta, quod Eccleſiam noſtram quæ iamdudum è tenebris in lucem, Dei benignitate emerſerit ſpirituali gloria, veſtra Romanenſi illuſtriorem à tot regibus & populis quibus ſordet meretrix Babylonica, agnoſci ſcripſerim, præcipue ægre ferre videris, quod eodem modo quo tu præualuiſſe contra Eccleſiam Chriſti Romanam veſtram Synagogam aſſerueras, ego præualere iam dicam Eccleſiam Chriſti contra Romanenſem. Sed videndum eſt, quam multis vanitatem meam oſtendes. Primum quæris qui ſunt illi reges & populi, qui noſtram fugitiuam omni ſpirituali gloria illuſtrem palam agnoſcant. Quæris igitur an Regem aliquem præter vnum aut alterum Angliæ & Daniæ proferre poſſim: qui iſtas hæreſes amplectitur. Potius à te quærere debeam, an vllum iam regem præter vnicum Hiſpanum proferre potes, qui Eccleſiam noſtram vel palam non agnoſcit, vel in ſuis ditionibus publicè agnoſci non permittat. Sed vt nobis aliquos reges eripias, licet Scotiæ regnum, noſtram doctrinam amplecti concedis,

dis, quam tu blaſphemus, blaſphemiam vocas attamen, tam innocentiſſima (inquis) regina, quam rex puer, à veſtris hæreſibus alieniſſimi ſunt: quam fidem merearis, cum de occultis atque incertis ſententiam tuam dicas ſatis ſuperque nobis demonſtraſti, qui & innocentiſſimam appelles illam nō iam reginam, ſed captiuam & exulem, publico principum iudicio damnatam; & nobiliſſimum adoleſcentem Regem Scottorum, ab ipſis incunabulis in verę Scotticæ Eccleſiæ doctrina ita enutritum, vt Papiſtarum hæreſes vix cognoſcere, multo minus agnoſcere potuerit, alieniſſimum tamen à nobis pronunciare non erubeſcis. Sed perſpecta tibi forſan ſunt quorundam conſilia, quæ & illum regno exuere, & regnum eius à fide alienare coniurati ſunt. Sed vt hactenus in irritum ceciderunt omnes proditorum nefarij conatus, ita ſperamus fore, vt eum principem Deus ad vitæ vſque finem; in vera religione ad Antichriſti tyrannidem magis magisque euertendam cōſeruaturus ſit. Audimus quidem Suætię regem inæquali matrimonio copulatum, plus forſitan vxori tribuere quam veræ pietati conueniat, non tamen veræ religionis profeſſionem penitus abiecisse, ſi clariſſimis viris qui oratorum munere, à regia maieſtate apud eum principem functi ſunt, fides adhibenda ſit, potius quam tibi, ad Papiſticæ Eccleſiæ gremium turpiter confugiſſe eum aſſeueranti. Sed in multis Germanię ciuitatibus & Dominijs ſectas noſtras admitti concedis, vrges tamen, Sed quem illic Regem nominare poteſtis? Quaſi multi ſint in Germania regis titulo inſignes, cum tamen plerique principes ſint regia authoritate præditi, Electores alique duces, Marchiones, Landgrauij, Palatini, quibus nunc etiam vt audimus acceſſerunt Archiepiſcopi Colonienſis & Moguntinus. Sed nulla celebrior ciuitas eſt, ſi tibi credamus, in toto Germaniæ latiſſimo tractu, vbi ſuas etiam Eccleſias non habent Papiſtæ. Templum cōcedi audio papiſtis, vt olim Arrianis aut Nouatianis, in imperialibus quibuſdā ciuitatibus, ex pacto cū Carolo quinto inito. Sed quod pene deſertū ſit, & plures habeat plerunq; ſacerdotes qui ritus papiſticos celebrent, quam ex plebe qui ſpectent aut audiant. Denique in Bauaria, Tirole, Carinthia, Auſtria, Sueuia, quas nominas Germaniæ prouincias, an non plures ſunt qui noſtræ Eccleſię adhærent, quam in ciuitatibus Auguſta vindelicorum Vlma, Spira, Wormatia oculis tuis perſpexeris templa Papiſtica frequentantes? Sed in Belgio graſſari ſicarios noſtræ ſectæ ſcribis. Imo vero, ſi omnium iudicio pro ſicarijs habendi ſunt, ſeditioſi illi, quos Malecontentos vocant, veſtrę ſectæ ſunt ſicarij, non noſtræ Eccleſiæ homines. Si vero Auraicum principem, alioſq́; illuſtres viros non ſolum veræ religionis, ſed libertatis etiam Belgicæ vindices inter ſicarios numeras, vide ne te hoſtem potius quam hoſpitem, Belgia ferè omnis explodat. Sed Hiſpaniarum rex, noſtras (vt tibi loqui libet) abhominationes, non recipit. Vnicus is eſt inter omnes Europæ reges, tam alienus à nobis vt nec foueat, nec palam coire Eccleſias permittat in ſuis ditionibus. Bohemiæ Rex, & idem Imperator non in Bohemia ſolum, ſed & in alijs Imperij ſui regionibus,

onibus, Eccleſiarum noſtrarum paci hactenus conſuluit, licet nunc eum meditari arma aduerſus Colonienſem rumor ſit, quam verus neſcio. Sed exitum Deus dabit pro ſua clementia Eccleſiæ proculdubio ſalutarem. Poloniæ regem habere nos acerrimum hoſtem dicis. Quam acer ſit hoſtis neſcio, at Eccleſias iamdudum in Polonia conſtitutas exterminare nec hactenus aggreſſus eſt, nec valebit ſi velit maximè. Non hic frequentes in Pannonia vtraque Eccleſias commemoro, non ſolum in ea parte, quæ adhuc Rodolpho paret, ſed etiam trans Danubiũ intra Turcici Imperij limites, & in ipſa Buda inque Tranſyluania, in quibus etiam Blandratæ & ſimilibus furijs Arriana certamina renouantibus fortiter à doctoribus & pietate & eruditione inſignibus repugnatum eſt, vt ſingulari conſtantia & zelo repulſis ab ouilibus infeſtiſſimis lupis, Eccleſiæ in vera & orthodoxa doctrina, Dei auxilio & gratia munitæ, firmæ ſtabileſque permaneant. Sed nec reges populoſque crepo, vt tu mihi obiectas, quaſi humanis præſidijs Deus indigeret, ad hæreditatem filij ſui ſtabiliendam. Sed cum pro infinita ſua miſericordia, reges dederit Eccleſiæ nutritios, & reginas nutrices, non video cur tantum Dei beneficium, vtcunque te vrat maximè reticere debeam. Sed pergis quærere abs me, quam meam Eccleſiam dicam, ſpirituali gloria illuſtrem, à regibus & populis nunc palam agnoſci. Siquidem Anglia & Scotia, & Geneua, & Heluetiorum aliquot pagi, & aliqua Germaniæ portiuncula, vt palatinatus Rheni noſtrum Caluiniſmum profitetur. Reliqui vero Germaniæ populi, principes, & ciuitates, Caluiniſtas abhominantur, & Lutheri placita ſequuntur. Sed cur demũ Eccleſias Gallicas, Batauicas, Belgicas præteris, quæ cum Anglica & Scottica per omnia conſentiunt? Quin & ſupra modum falſum eſt quod reliquos Germaniæ populos, principes, ciuitates qui ab Antichriſto defecerunt, qui in cœnæ dominicæ explicatione nonnihil diſſentiunt à nobis Caluiniſtas abhominari ſcribis, colunt enim pacem cum fratribus, plerique omnes (ſi Alaſtoras quoſdam excipias & contentionum faces) quod ex tot principum, Ciuitatum ac paſtorum ad ipſum Caluinum literis, eiuſque ad eos reſcriptis, luce clarius eſt. Quod obijcis de varijs Lutheranorum ſectis, partim prorſus fictum eſſe partim calumniam odioſè adhibitam, teſtis eſt Harmonia omnium Confeſſionum orthodoxarú nuper ædita, quę in ſummis fidei capitibus ſummam conſenſionem omnium in Europa Eccleſiarum, ab oculis poſuit. In ritibus ſi quid eſt diſcriminis, aut in explicatione præſentiæ Chriſti in cœna, ſi qua diſcrepantia, non ſcindit vnitatem fidei, & religionis in verbo dei fundatæ, apud eos qui ſapiunt, & pietatis, non minus quam pacis ſtudioſi inueniuntur, Anabaptiſtarum aliorumque hæreticorum cætus, ad nos non magis ſpectant quam ad ipſos pontificios, quos & diſputationibus magis oppugnamus, & ſupplicijs grauius coercemus, quam ipſi pontificij quorum odium in nullos magis accenſum eſt, quam in orthodoxos. Sed noſtram eccleſiam, nuſquam niſi in Anglia flo-

rere iactas: Vos enim inquis ſoli laicocephali eſtis.
Quid hoc monſtrum eſt vocabuli? ſubiungis.
„ Vos ſoli principi laico ſupremum in cauſis
„ Eccleſiaſticis iudicium defertis. Sed hoc impudens
mendacium eſt, nec enim aliter de principis
in cauſis Eccleſiaſticis authoritate, ſentimus,
docemus, tenemus, quam omnes omnium qui
vocantur proteſtantum Eccleſiæ. Et hæc eſt
omnium peſſima calumnia, qua ſereniſſimam
ac ſanctiſſimam principem apud imperitos oneratis,
cum ſupremum ad eam de omnibus cauſis
iudicium deferri dicis, quaſi papalem quandam
dignitatem & authoritatem, etiam ſupra verbū
Dei quidlibet in Eccleſia pro arbitrio ſtatuendi
ſibi arrogaret, cū non aliam aſſumat, quā quæ ex
dei verbo, pijſſimis Iſraelis regibus Dauidi, Solomoni,
Ioſaphato, Ezechiæ, Ioſiæ cōpetebat. Chriſtianis
item principibus Conſtantino, Valentiniano,
Theodoſio, Honorio, Archadio, Martiano,
alijsque ſimilibus, Eccleſia illa antiquior & purior
libere conceſſit; & quam optimi illi principes
tum in cauſas tum in perſonas Eccleſiaſticas
„ exercuiſſe leguntur. Adhæc inquis vos ſoli præter
„ Epiſcopos etiam Archiepiſcopos, Archidiaconos,
„ Decanos, aliaque Eccleſiaſticæ dignitatis
„ officia retineris, multaque alia in cultu & politia
„ externa obſeruatis, à quibus reliquæ extra Angliam
„ reformatæ Eccleſię penitus abhorrent.
Ad hæc reſpondeo: externa regiminis forma, externi
ritus & politia exterior, non ſunt de natura
Eccleſiæ ſpirituali, non mirum igitur, ſi in
alijs Eccleſijs aliter ſe habeant. Abhorrere ta-

re tamen à noſtræ Eccleſiæ gubernatione & ritibus tanquam impijs alias Eccleſias reformatas falsò dicis, ſiue enim hæc probant ſiue reijciunt, in ſua Eccleſiaſtica adminiſtratione, nulla tamen reformatarum Eccleſiarum, noſtram Anglicanam propter hæc vel impietatis damnauit, vel non vt florentiſſimam coluit. Quod ſequitur de Saxonico papatu, qui noſtræ berthæ ſimilis eſſet, quid ſit non intelligo, niſi illuſtriſſimæ ac ſereniſſimæ noſtræ Elizabethæ in eo conuitium dicere voluiſti. Sed nec in ipſa (inquis) Anglia, ſecta illa noſtra eſt ita ſpirituali gloria illuſtris, vt palam ab omnibus agnoſcatur. Certè nec vllum vnquam tempus fuit Eccleſiæ Chriſti Catholicæ tam propitium, vt ab omnibus vſquã ſpirituali gloria illuſtris agnoſceretur. At qui ſunt illi, qui illius gloriam non agnoſcunt? Puritani, (inquis) familia Amoris, Reconciliati Catholici, vt taceas illos, qui coram Baall, noſtrò nunquam genu flectere voluerunt. Verum Puritani, ſi qui fuerunt, qui noſtram Eccleſiam non agnouerunt, quindecim aut ſexdecim vnius indocti & fanatici hominis erroribus ſeducti, iamdudum ad vos in Belgium exulatum abierunt: familia amoris, minis ac ſupplicijs territa, nuſquam exerere caput audet. Reconciliati veſtri, qui pro hoſtibus patriæ principiſque habentur, rari admodum comparent, Cæteri qui ſe pro Eccleſiæ noſtræ membris agnoſci nolunt; pauci ſunt, & diuites plerunque, qui pœnam pecuniariam non magni faciunt, ex his tamen aliqui; qui non ſunt ex ditiſſimis, ſiue verè ſiue ſimulatè ne mulctam pecuniariam perſoluant, ſeſe aliquoties Eccleſiæ ſubijciunt, noſtramque communionem frequentant; vt reliquos magis opibus inſoleſcere, quam vlla religionis conſtantia duci, aut conſcientia moueri perſpicuum ſit. Quod niſi ſumma principis lenitas eos tam diu toleraſſet, idem illis ferè omnibus, quod principe Edoardo, contigiſſe nouimus, proculdubio accidiſſet; vt nullo abſque conſcientiæ ſcrupulo, legibus de religione perlatis ſeſe placidè ſubmiſiſſent. De bonorum rapina, Carcerumque ſqualloribus, quæ perpeſſi ſunt neſcio qui, fingis pro arbitrio tuo, & calumnias ſtruis iniquiſſimè. Nec enim bonorum rapinam quiſquam apud nos patitur in vlla religionis cauſa, & qui carceribus coercentur, ſi opibus affluant, ditiores euadunt, ſi ex fece Papiſtarum ſunt, delicatius viuunt, fortaſſe in carcere, quam ſi libere vagarentur, adeo humaniter habentur, vt nemini illis ſubminiſtrare quæ velit interdictum ſit. Veſtra ſunt illa Eccleſiæ ſtratagemata, inuolare in bona eorum, qui religionis cauſa, vel leui aliqua ſuſpitione apud vos laborant, vel opprimuntur. In carbonariam, in puteum, in ſubterraneos ſpecus detrudere orthodoxos, prohibere acceſſu familiares, cathenis, ferreiſque compedibus, manus & pedes conſtringere, aqua, igne, flagellis ac inauditis tormentis ipſam naturam humanam excarnificare, fœtore, fame, ſiti, laqueo, tortiſis clam necare: aut publicè exquiſitiſſimis tormentis ſuperiora ſanctorum corpora, flammis exurere, interdum etiam lento igne torrere. Atrociſſimam igitur mortem pro fide Papiſtica, aliquos apud nos perpeſſos eſſe, mentiris, cum ſeditionis aut coniurationis in principem aut patriam conuicti, pauci admodum ex veſtris, dignam factis mortem ſubierunt, ſed nulla atrocitate aut crudelitate inſignes. Cum leuius multo ac clementius in eos ſæpiſſimè animaduerſum fuerit, quam iuxta legem latamque de ipſis mortis ſententiam. Sed vtcunque verum eſſet à tot regibus & populis agnoſci Eccleſiam noſtram, tamen nihil aliud hoc totum eſſe ais quam quale olim in Arianis, Donatiſtis, Nouatianis alijsque veterum hereticorum ſectis Eccleſia Catholica olim pertulit. Eadé ratione & mihi regerere licet, quæcunque tu iactas de tot regibus & populis, qui Eccleſiam Papiſticam agnouerunt olim, aut iam agnoſcunt, nihil aliud ſunt quam quæ olim Eccleſia ab antiquibribus illis hæreticis pertulit. Eccleſia enim Catholica cuius illis ſæculis Romana membrum fuit illuſtre, vndique circumlatrantibus hæreticis, firma ſemper ſtetit atq; immobilis. Antichriſtiana vero veſtra Romanenſis, vtcunque adhuc in Hiſpania, Italia, Luſitania, alijsque locis ſubſiſtat, quotidie tamen ſpiritu oris domini, hoc eſt verbo veritatis, atteritur atque conſumitur, etiam illis in locis vbi nihil magis capitale, quam ab Antichriſto Romano ad Chriſtum deficere; quod quidem ſatis teſtantur, tot martyrum in Hiſpania & Italia cineres qui vt olim ſanguis, ſemen nunc ſunt Eccleſiæ. Quod ſeditiones & bella malis artibus à nobis in Scotia, Gallia, Belgio, concitata eſſe calumniaris, facile eſt diluere, cum in Scotia ſi quæ ſeditiones motæ ſunt, à veſtris aduerſus principem excitatas fuiſſe

omnes perſpicuè vident. In Gallia ſi ex hiſtorijs, belli ciuilis ferendi authores agnoſcere nolis, ſaltem regibus fidem adhibeto, qui omnibus edictis pacificationis, ſemper agnouerunt religionis reformatæ profeſſores, tantum abfuiſſe à ſeditioſis, vt omnia pro regni patriæque ſalute, ab illis facta, & in regum ſuorum obſequio atque ſeruitio geſta publicè profiteantur: Omneſque principes, belli duces, nobiles, milites, populumque vniuerſum, qui arma in cauſa religionis ſuſceperunt, aut ſuſcepta adiuuarunt, non vt ſeditioſos, non vt venia ſubleuandos; ſed vt bonos fidoſque ſubditos ſuſcipiunt, & æqualem eis fauorem ac beneuolentiam cum alijs qui Papiſticam retinent religionem promittunt. In belgio autem non religionis ſed retinendæ libertatis, ab Hiſpanis indignè oppreſſæ, ſtudio armatos fuiſſe nobiles ac plebem, argumento eſt luculentiſſimo, quod multi principes, multæ item vrbes, quæ dogma Papiſtarum pertinaciſſimè tuentur, in hoc tamen fœdere libertatis vindicandæ cum his qui puriorem Euāgelij doctrinam amplectuntur, à primo belli orti initio in hunc vſque diem conſenſerunt. Sed proteſtantum Eccleſiam non pręualere vſpiam dicis, nec in Hiſpana, Italia, Luſitania, Gallia, Belgio,
» Germania, Anglia, aut Scotia, quia in præcipuis
» harum gentium, ne hiſcere quidem aut mutire
» audet, in alijs ad ſilentium compulſa taceat, in illis
» denique vbi maximè procax ac garrula eſt,
» non ſolum contradictionem ſuſtineat manifeſtā,
» & in armis cum hoſte confligere cogatur; ſed etiam
» vtcunque legibus & ſupplicijs alicubi agat (vt

apud nos Anglos & Scotos potiſſimum, vel potius ſolos.) abiecta tamen & deſpecta tam à doctis pleriſque, quam ab indoctis veſtris iaceat, nec niſi vi legum ac ſuppliciorum, fidem & authoritatem apud vos obtineat. Octo gentes nominaſti, quarum excellentiam vt videtur Hiſpanis, Luſitanis, Italis attribuis, præ quibus apud te cæteræ gentes penè ſordent. Ego quidem nihil illis derogatum velim, nihil tamen alijs gentibus & noſtræ inprimis ademptum, Italis aut Hiſpanis dandum eſſe conceſſerim. Sed quam hoc verum ſit videamus quod ne hiſcere quidem aut mutire audeat Eccleſia noſtra inter Hiſpanos & Italos. Otium eſt igitur inquiſitoribus quos vocant hæreticæ prauitatis, in Hiſpania & Italia, ſi verum eſt quod audio. Imò ſe abdicarunt munere ſuo boni illi Pontificiæ ſectæ patroni. Quid enim opus eſt Inquiſitoria authoritate, vbi nulla eſt Eccleſia, quæ contra hiſcere vel mutire audeat? Sed quid aliud clamitant, tot cunctorum Martyrum in Hiſpania quotidiana fere incendia? Quid perſecutiones in Italia perpetuæ piorum? Quid Romę pro Chriſti teſtimonio exuſtorum cineres, vt taceam noſtratem de quo fama eſt, inter grauiſſima tormenta Antichriſto eiuſque meretrici Babilonicæ Idololatriam & blaſphemias publicè exprobraſſe, an non in illis etiam regionibus, vbi omnia ſanguine, cædibus exundant, incendijs flagrant, carceribus ac tormentis minacia ſunt ſupereſſe tamen teſtantur, qui non ſolum hiſcere aut mutire, ſed etiam palam ſe ſanctę Eccleſiæ Chriſtique membra profiteri nihil metuunt? Quæ vero ſunt illæ gen-

„ tes in quibus ad ſilentium compulſa taceat Eccleſia noſtra, num Gallorum & Belgarum? at quis te hic tam aperte mentientem ferre poſſit? Sed in reliquis manifeſtam contradictionem ſuſtinet, verum hac ratione, ne Chriſtus ipſe, qui in ſignũ cui contradicitur poſitus fuerit, præualuiſſe dicendus eſt. Quod autem in armis confligere cogatur cum hoſte, cum ſuperior ſemper ex omnibus prælijs diſcedat, eo illuſtrior eſt eius victoria. Intelligo cum ſpiritualibus armis certatur: Nam ſi de armis militiæ carnalibus loqueris, quæ non ſunt Eccleſiæ propria, ſiue in illis vincat ſiue ſuccumbat, nihilominus tamen præualet.

„ Sed à plerisque tam doctis, quam indoctis, non niſi legum vi & ſuppliciorum metu, fidem apud illos obtinet vel authoritatem. Obſecro qui ſunt iſti docti aut indocti plerique, quos ſola legum & ſuppliciorum vis in officio contineat? Doctos eſſe non multos arbitror, plures forſitan indoctos, qui vt equi & muli fræno ac lupatis coercendi ſunt vel vt aſini fuſte cogendi ad obſequium. Sed ſi plerique tam docti quam indocti vt tu aſſeris, legum & ſuppliciorum vi coacti, fidem Eccleſiæ adhibent, authoritatem eius reuerentur: præualuit quidem contra eos Eccleſia noſtra, vt tu præualendi vocem intelligis, ac vſurpas frequenter. Mirarer equidem niſi quod ſæpe temeritatem tuam in aſſeuerando agnoſcerem, cur apud Anglos & Scotos potiſſimum, vel potius ſolos Eccleſiam noſtram legibus ac ſupplicijs agere ſcribas: Quaſi in Germania, Dania, Heluetia, aliarumque regionum liberis ciuitatibus, non minus aut non omnino legibus & ſupplicijs ageretur,

tur, ad reprimendos impios, qui Eccleſiæ alioqui cenſurã & autoritatem flagitioſè contemnerent. Sed nihil proficere nos, niſi legibus ac ſupplicijs varijs argumentis confirmas, primum ab his qui iam à multis annis in vincula coniecti, in cuſtodia etiam hodie detenti, bonis & fortunis exuti argumentum etiam ſummis, à viſitationibus regijs, quas commiſſiones vocant, à mulcta pecuniaria, à maximo denique reconciliatorum numero. Sed qui carceribus incluſi ſunt, pauci admodum ſunt & bonis & fortunis religionis cauſa nemo vnquam exutus fuit, vtcunque lupi ab Eccleſiarũ gubernatione remoti ſunt. Argumentum quod à viſitationibus regijs, & mulctis pecuniarijs deſumptum eſt, eadem ratione omnes bene conſtitutas reſpublicas damnauit, in quibus magiſtratus creantur, leges conduntur, quorum nullus vſus foret ſi omnes boni ciues eſſent. Qui obedientiam principi debitam eiurarunt, ſeque Romanæ ſeruituti addixerunt, quos reconciliatos vocas, ſi maximus eſſet eorum vt ais numerus, adeoque ex prima nobilitate, & omnis ætatis atque ordinis, non poſſent ita latere, vt pauciſſimi admodum in hoc crimine quod merito capitale eſt, deprehenderentur. Quod denique vix vnum è centum Anglis volentem ingredi Eccleſiam affirmas, in eo tua ſe vanitas ipſam prodit, & digito palpandam præbet, dum multa ſint in Anglia paræciarum millia, in quibus mulcta illa pecuniaria eis impoſita, qui dominicis & feſtis diebus ad ſacros cætus non accedunt: nunquam alicui extorta fuerit, & tamen dominicis præſertim diebus, & feſtis etiam quæ celebriora habentur vix vnus è decem Anglis niſi legitima aliqua cauſa impeditus vnquam abeſſe ſoleat. Quin & in hoc etiam magis tua ſe vanitas ipſam omnibus deridendam propinat, quod cum nulla mulcta ſit impoſita hijs qui ad ſacram concionem campanæ ſonitu vocati accedere negligunt, ſigno tamen audito plurimi vndique confluant, templaque compleant, non in vrbibus ſolum, ſed etiam in agris, neque feſtis tantum diebus, ſed ſæpe etiam profeſtis, & quod ipſo aliquoties expertus ſum, in ipſo meſſis tempore cum alioqui propter cœli intemperiem & frequentes pluuias, vel horam operi ruſtico decedere ægre paterentur, niſi eos ardentius verbi diuini audiendi ſtudium accendiſſet. Sed ſi laboribus noſtris, per quatuor & viginti annos ſedulo impenſis, fructum reſipiſcentiæ apud populum non reſpondere, obijcis, vitamque noſtrûm omnium ad euangelij quod profitemur normam, non ſatis compoſitam cauſeris: habebis Stapletone, quod eſt accuſatori maximum, apud Deum tribunal ſcelera ſua & ingratitudinem confitentes reos, ſed ita confitentes vt in qua cauſa à te maxime depreſſi videamur, in eadem Dei benignitate, in Deo etiam merito multumque gloriari poſſimus. Nam quod abiectam & deſpectam à pleriſque tam doctis quam indoctis, iacere Eccleſiam noſtram calumniaris, illa tamen vtcunque multis infirmitatibus obnoxia, omnium qui non malignè bona quæq; peſſimè interpretantur. Iudicio talis eſt, vt tam antiquis pleriſque & doctiſſimis

Eccleſiæ ſub Chriſto magiſtris, ſi aſpicere liceret, multa verę pietatis argumenta, & ſpiritualis gloriæ inſignia agnoſcerent, quorum in papatu ne veſtigia quædam extant. Agnoſceret Ambroſius ſi Londinum aliaſque Britanniæ vrbes Mediolani æmulas religioni vacantes intueretur: *bene mari comparari Eccleſiam quę primo ingredientis populi agmine totis veſtibulis vndas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam vndis refluentibus ſtridet: tum reſponſorijs pſalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, paruulorum conſonus vndarum fragor reſultat.* Si in agros veniret Hieronymus vt olim rure ſuo Bethlemitico vnice delectatus eſt, eaſque regiones peragraret, in quibus Chriſtus per Euangelij prędicationem, non natus modo ſed crucifixus etiam fuit, reperiret alicubi non infrequentes villulas quas Chriſti merito diceret, & vt ad Marcellum pro Paulo & Euſtochio ſcripſit, *in quibus tota Chriſtiana ruſticitas, & extra pſalmos ſilentium eſſet. Quocunque ſe verteret, arator ſtiuam tenens alleluia decantat. Sudans meſſor. pſalmis ſe auocat, & curua attendens ſegetem falce agricola aliquid dauidicum canit. Hæc agnoſceret in illis prouincijs carmina, has vt vulgo dicitur amatorias cantiones, hunc paſtorum ſibilum, hæc arma culturæ.* Audiret etiam in vrbibus *ſonare pſalmos, & aurata templorum tecta reboans in ſublimi, quatere aleluia*, in priuatis ædibus *adhuc teneram puerorũ puellarumque linguam pſalmis dulcibus imbui, à ſeptenni ętate ediſci memoriter pſalterium, & vſque ad pubertatis annos libros Solomonis, Euangelium, Apoſtolos, prophetas, cordis theſauros fieri.*

Hex.lib.3.ca.5.

Ad Lucinam.

Ad Lætam.

Ad Gaudentiũ

In Ep. ad Coloſſ. Hom. 9.

Chryſoſtomus quod vix perſuaſit ſæcularibus *vt compararent ſibi biblia animę pharmaca, ſaltem nouum teſtamentum acquirerent, Apoſtolorum acta, Euangelia* hoc ab infinitis pene noſtrorum millibus præſtitum cum laude Eccleſię noſtræ agnoſceret, Sed cum domi habere tantum ſacros libros parum conduceret, niſi aſſidua ſcripturarum lectione animum paſcerent, quod ſæpe ſuos hortatus eſt Chryſoſtomus tam Antiochenos, quam Conſtantinopolitanos, videret vbique *aliquem ex plebe diuinum librum accipere in manus, conuocatiſq; proximis, per diuina eloquia rigare & ſuam & conuenientium mentem. Videret & domi verſantes, & poſt conuiuium acceptis in manus diuinis libris vtilitatem inde capere, & ſpiritualem cibum animæ præbere.*

In Gẽ. Hom. 9. & 10.

In Luc. ca. 16.

Epiſt. 118.

Auguſtinus qui ſuo tempore *doluit humanis præſumptionibus quarum omnia tum plena erant, & quæ quam primum facultas daretur reſidentia cenſuit plus tribui quam hijs quæ in diuinis libris ſaluberime præcepta ſunt: gauderet ſi cultum Dei in noſtris Eccleſijs, pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis vt Deus voluit liberum eſſe videret, Deumque purè ac legitimè, ex verbo eius, ſacris ſcripturis comprehenſo coli, omneſque humanas præſumptiones quæ religionem Chriſtianam ſeruilibus oneribus premunt penitus ſublatus cerneret:* Sed ne diutius iſtis immorari opus ſit, annon manifeſtos veræ religionis fructus eſſe agnoſcit Iacobus, viduis & orphanis proſpicere? Vbi vero gentium tam multa tam pręclara excitata ſunt Brephotrophia orphanis viduiſque alendis accommodata, quam paucis hiſce annis in noſtra Anglia? Quid quod lege etiam cautum eſt, vt ocioſis & ſegnibus ad laborem coactis, cæteris omnibus qui paupertatis onere pręmuntur publice prouideantur. Elemoſynæ vero quanta alacritate, quamque liberaliter præbeantur ad hoſpites & peregrinos ſubleuandos, ſi quādo neceſſitas vrget, Gallicæ, Belgicæque Eccleſiæ quæ ſunt Londini, alijque hoſpites & peregrini teſtimonium ſat ſcio preſto ſunt vt reddant pręclariſſimum.

Captiuos vero è manu barbarorum Mahometiſtarum redimendi quantum ſtudium ſit paſcales Londini conciones oſtendunt. Cum concionatoris adhortationem redemptorum quantumuis iniquiſſimo pretio captiuorum Deo & Eccleſiæ pro liberatione gratias agentium præſentia mirum in modum adiuuat, tam ſanctus pecuniæ expenſæ fructus parciſſimo cuique cor afficit, crumenam reſerat, munificentiam extorquet. Nec ſatis eſt pleriſque quicquid in loculis circumferunt in ſacram peluim profundere, ſunt etiam qui grandiores ſummas, poſtea vel ad concionatorem vel ad ſenatum Londinenſem deferunt. Bonarum literarum ſtudia, quæ tam in triuialibus ſcholis, quam in Academijs noſtris, ſi vnquam alias, nunc maxime florent, quam benignè foueantur, argumento ſunt in omnibus fere vtriuſque Academiæ collegijs nouæ ſtipendiorum acceſſiones non mediocres. Quid tibi hic referenda ſit honoratiſſimi Cantabrigienſis Academiæ Cancellarij D. Guilielmi Cecilij Baronis Burgley, magnifica plane donatio & agrorum aſſignatio in Collegium diui Iohannis cuius olim fuit alumnus ſuauiſſimus, nunc patronus eſt illuſtriſſimus tanta liberalitate facta vt cum antiqua pauperum Scholaſticorum ſtipendia, vix ad dimidiam partem menſtrui conuictus ſufficerent, nunc honorifica illius munificentia, omnes detrimentorum rationes ſublatæ ſunt.

Collegium vero Penbrochianum cui præſum, quod his annis ducentis & quadraginta ſtetit, quarta parte anni redditus intra viginti hos annos auctum eſſe tibi confirmare poſſum. Scholæ vero Grammaticorum in quam multis vrbibus ac oppidis nō aperte modo ſed honeſto Ludimagiſtri ſtipendio in perpetuum ornatæ plures ſunt, quam vt earum numerum vnquam acceperim. Nulla ferè eſt prouincia in qua plures non ſunt fundatæ, quod omnibus qui in illis degunt manifeſtum eſt. Vt vero ad alia pietatis exercitia feſtinem, Ieiunia priuata quæ ſint Deo nota ſunt. Duobus autem ab hinc annis elapſis, cum terræ motu perculſis mortalium mentibus ad reſipiſcētiam nos diuinitus vocari agnoſceremus, indicta publica authoritate Ieiunio, quanta alacritate quamque frequenter populus Chriſtianus tam nobilis quam plebeij, vtriuſque ſexus omnium ætatum ac ordinum homines ad ſacros cætus celebrandos conuenerint, quantaque conſtantia à mane vſque ad veſperem non in abſtinentia ſolum ab omni cibo ac potu, ſed in orationibus, peccatorum exhomologeſi, Pſalmodijs, lectionibus, concionibus perdurauerit, quis eſt tam inuidus laudum noſtrarum qui non fateatur? Nec ſine larga in pauperes elemoſyna ſancti illi conuentus ſoluti ſunt adeo vt Cantabrigienſis tam Academia quam ciuitas ex illa liberalitate hoſpitium pauperibus ſubleuandis perpetuum reſipiſcentię ſuæ monumentum erigere decreuerit iamque adeo in ſancto propoſito fœliciter proceſſerit. Et te non pudet homo vaniſſime tantum mendacium effutire abiectam ſcilicet & deſpectam tam à doctis pleriſque quam indoctis Eccleſiam noſtram iacere, nec niſi vi legum & ſuppliciorum fidem & authoritatem apud nos obtinere. Ad aliud Chriſtianæ ac non ſimulatæ religionis argumentum venio, preces nimirum & orationes ſanctorum, ad quas tu ne centeſimum quemque hominem in loca publicis precibus deſtinata niſi inuitum ingredi mentiris. Vnde igitur tam laudabilis eſt domeſticę pietatis diſciplina, vt nec cibum capere, nec à cibo ſumendo deſiſtere, nec mane ſurgere, nec veſperi ad cubitum ſe componere velint niſi dictis Deo omnium bonorum auctori pro immenſa eius bonitate laudibus gratijſque actis nec ſine oratione ac precibus, tam pro venia delictorum, quam pro ſua ac totius Eccleſiæ ſalute tot millibus Chriſtianorum apud nos religio impreſſa eſt? Sed ne ea quæ priuatis parietibus incluſa à multitudinis aſpectu abſcondita ſunt me proſequi quęraris: ad nobilium quæ ſerio Euangelium amplexi ſunt illuſtres familias quæ plurimis patent contemplandas te voco; in quibus vt olim cum Papiſmus obtineret, omnia blaſphemijs, rixis, obſcœnis cantibus ac ſermonibus alea, pictis cartis, alijſque ludicris rebus perſtreperent, ita nunc orationibus, Pſalmis, Scripturæ lectionibus, honeſtis ac pijs colloquijs omnia cōdita ſunt: vt vetera piorum monaſteria fœlicius exprimant, quam vlla veſtra mendicantium aut cucullatorum proſtibula.

Poſtremo quam falſū ſit, quod vix vnus è centū noſtràs Eccleſias, niſi legum ac ſuppliciorum metu ingreditur, argumento ſunt ac teſtimonio locupletiſſimo, tam multis in locis, vbi olim à Monachis veſtris Eccleſiæ decimis ſuis ita ſpoliatæ ſunt, vt docto & idoneo Paſtori alendo minime ſufficiant, proprijs auditorum ſumptibus honeſto ſtipendio conducti concionatores eruditi. Quorundam etiam oppidorum ac parœciarum egeſtati ſuccurritur à nobilibus, qui ſuis ipſorum ſumptibus non paucis in locis Eccleſijs ſubueniunt. Inter quos tacere non poſſum honoratiſſimum patronum meum D. Robertum Dudleium comitem Leceſtrenſem, cuius præter infinita in Eccleſia Dei promouenda ornandaque beneficia, vnum illud eſt illuſtre ac imprimis duraturum, quod in vrbe Warwicenſi præter hoſpitium pauperum magnificè dotatum, doctorem etiam Eccleſiæ ampliſſima mercede in perpetuum ornauerit. Deſine igitur mendacijs tuis imperitos rerum Papiſtas, ad reſtituendi papatus qui concedit in Anglia ſpem erigere: dum ab omnibus fere tam doctis quam indoctis abiectam & deſpectam iacere Eccleſiam noſtram falſo illis ingeris, vt in ſuam ipſorum perniciem aduerſus principem patriamque, vt nuper in Hibernia eos non tanquam ad prælium ſed quaſi ad ſpolium iam ſcilicet abiectę,

&

& iacentis Eccleſiæ, improbis tuis cohortationibus incitare valeas. Sed vnum tamen hoc addis
verbum: vt noſtra ſcilicet vel alia quæuis ſecta, “
contra Romanam Eccleſiam prçualeat, neceſſe “
eſt, vt omnes Chriſti Eccleſias, quas ab aliquot iã “
ſæculis, in hac Europæ parte nobis conſentientibus, “
Romana Eccleſia occupauit, illa noſtra vel alia “
quæuis ſecta ſimiliter occupet, eamque cogat in “
deſertum fugere & latitare vel potius penitus tol- “
lat, atque extundat. “
Hoc cum nulla ratione, ſed tua ſolius authoritate nitatur, quam futile ſit omnes vident, cum eodem argumento, nec veſtra nec Eccleſia Catholica, contra vllam ſectam prçualere dicenda eſt, niſi quam penitus è mundo tollere valeat.

Sed me valdè ſane & peripatice, & Prophetice loqui ais, quod Papiſtarum inſipientiam iam omnibus manifeſtam, eorumque perditionem, non dormitare S. Petri verbis dixerim; quodque conſumptum ſpiritu oris Chriſti Antichhiſtum propediem penitus abolendum glorioſo Chriſti aduentu ex Paulo aſſeruerim. Sed circumſpicere me iubes diligenter Papiſticæ Eccleſiæ cauſam, religionem, fidem, noſtra inquietudine exagitatam, & conſiderari diligentius, & intelligi clarius & inſtantius prędicari. Verum quidem eſt quod Auguſtinus ſcripſit de Catholicæ Eccleſiæ cauſa, religione, fide, quę hæreticorum inquietudine exagitata inclareſcit magis. Sed veſtra papiſtica niſi principum authoritate ſuffulta, & inquiſitionum crudelitate defenſa foret, ſtatim vileſceret, plurimiſque contemptui eſſet, vt in ijs regionibus

De ciu. lib. 16. ca. 2.

accidit, vbi libera eſt religionis cuiuſque profeſſio. Nam quod papiſtarum diſputationes, tractatus, libros, commemoras, quantum illis promoueatur cauſa veſtra, ex aduerſarijs noſtrorum diſputationibus, tractatibus, libris, ſatis conſtare arbitror. De controuerſijs quod iactas defenſis, explicatis, demonſtratis, quam euanidum ſit, omnes agnoſcent, donec tu controuerſiarum profeſſor ac demonſtrator, liberas has & effuſas diſputationes in quibus nihil facilius quam latere Sophiſmata vt veritatis amatorem decet, ad logici iudicij lumen examinandas produxeris. Tridentinum conciliabulum Hęreticorum & Antichriſti mancipiorum fruſtra opponis, in quo ſolus iudicium ſibi arrogat qui maximè omnium hæreſium ac blaſphemiarum accuſatus in legittimo conſilio ſiſtere ſe debet,
„ iudicandum. Sed noſtra inſipientia, in Germania,
„ Geneua, Heluetiorum pagis, & in Anglia, ſi
„ tibi cuius vanitatem toties experti ſumus, credimus,
„ quod non ſolum de ſecta ad ſectam quaſi equites
„ deſultorij de ſella ad ſellam tranſilierimus,
„ verum etiam quod plurimi à nobis magni nominis
„ & excellentis eruditionis ad vos migrauerint.

De ſectarum varietate quod obijcis, quam vanum ſit, ſatis indicat Harmonia omnium confeſſionum nuper ædita. De his quos migraſſe ad vos gloriaris, friuolum eſt argumentum, cum infinitis partibus plures ad Eccleſiam noſtram tranſierunt, & quotidie tranſeunt, vt pro vndecim illis quorum nomina recenſes plurima nobis ignota, totidem centurias nominum & magis illuſtrium adſcribere non eſſet difficile. Sed illis adijcis etiam duos miniſtros Gallos Launoiũ & pennetierum, qui ſcriptis nuperimè libris inſipientias noſtras & improbitates, ſibi ex aliquot annorum conſuetudine notiſſimas genti ſuæ propalarunt. Mirum eſt quod tertium hijs Hieronymũ Bolſecum nõ adnumeraueris hominem miſerimum, in quem ſummum extat diuini iudicij exemplum, cum propter alia ſcelera, tum ob eius fœdam apoſtaſiam ab Euangelica doctrina quam aliquando profeſſus eſt. Illi autem vt de ijs verè quidam ſcripſit, quos æſtus perſecutionis abſorpſit cum ad errores veſtros fuerint tempeſtate delati, ad eos tanquam ad ſcopulum obſtinatis animis adhæreſcunt, & quod magis dolendũ eſt gratiam & fauorem veſtrum mendicantes, nullum nec male dicendi, nec male ſcribendi finem faciunt. Sed ne his ex infimo miniſtrorum ordine nimium ſuperbias, frenum tibi inijciunt recentes Archiepiſcoporum Colonienſis & Moguntini vt fertur ad Chriſtum eiuſque eccleſiam conuerſiones. De his qui profugerunt, ſi eos qui proditionis rei ob arma nefarie contra patriam principẽmq; ſumpta excipias, nõ multi ſunt quos vel inuidia præſentis reipublicæ fælicitatis, vel animi leuitas vel inconſtantia, vel ſpes amplioris apud vos mercedis ac dignitatis, ſaltem cum imperium quod affectatis aſſequi vobis contigerit, vel denique ſuperſtitio ad exilium adegerit voluntariũ. De reconciliatis qui apud nos manent, quid dicam amplius, quam vel pauciſſimos eſſe, vel inhoneſtæ meretrici reconciliatos eſſe, vtpote quos pudeat palam confiteri cui ſunt reconciliati. Quod me percurrere iubes ſpeculum hæreticæ prauitatis à te nuper editum in quo inſipientiam noſtram bona ex parte omnibus manifeſtã reddideris: ſcito me nihilo clarius in illo tuo ſpeculo cernere ea quæ manifeſtanda ſuſceperis, quam ſi in obſcuriſſimo ſaxo eadem repręſentanda propoſuiſſes. Sed ſi ad dialecticorum puncta, ſex illa quæ vocas puncta, & quæ te veraciter oſtendiſſe putas, reuocare aliquando dignaberis, aut meam inſipientiam & cęcitatem forſitan agnoſcam, qui in præclaro illo ſpeculo nihil huiuſmodi videre poſſim, aut tuam inſipientiam qui tam ineptum ſpeculum condideris omnibus vt ſpero patefaciam. Quam ſubtexui de breui abolendo Antichriſto prophetiam, non ex meo ſpiritu hauſi, ſed ex ſacra ſcriptura depromptam expoſui. Nos ſiquidem qui ex ſignis omnibus diuinitus datis reuelatum Antichriſtum agnoſcimus, Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentũ in horas expectamus, vos quibus nondum retectus eſt homo peccati, ſecurè diem Domini à vobis propellitis: vt merito quod de Euangelica doctrina calumniamini, eam eſſe ſecuritatis & licẽtiæ lenam quandam & conciliatricem, in ſcortũ veſtrum Babylonicum, eiuſque abhominationes fœdiſſimas, optime quadrare videatur. Veſtri enim de operibus, meritis, ſatisfactionibus, indulgentijs, miſſis, purgatorio, de Antichriſto nondũ patefacto errores, non feneſtram aliquam aut portam, ſed campos latiſſimos ad omnem impiã ſecuritatem ſcelerum, licentiam, reſipiſcentiæ neglectum aperiunt.

MONI-

MONIMENTA OCCVLTÆ & latentis hactenus Proteſtantum Eccleſiæ ab Aduerſario ſtudioſè conquiſita & prolata, quàm ridicula & vana ſint, oſtenditur.

CAPVT XII.

Stapletonus.

NVNC *demum peracto triumpho, quem tibi ſomnians finxiſti, ad me & ad rem redis. Ais & confiteris mecum,* propter veræ Eccleſiæ perſecutionẽ externam eius formã & politiam nunquã ſublatam eſſe, ac ne impeditam quidem in his quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. *Hoc ex te audire vehementer gaudeo. Age igitur, Oſtende in tua latitante tot ſeculis & fugitiua Eccleſia, Sacramentorum adminiſtrationem & diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſeruationem, verbi quoque prædicationem in vſu fuiſſe. Hæc opinor ad ſalutem neceſſaria eſſe, negare non audebis. hoc demum ſanè loco iſtud oſtendere conaris. Ais enim.* Quemadmodum de primis illis centuriis Eccleſiæ Chriſtianæ grauiſſimas perſecutiones ſub impiis Cæſaribus perpeſſæ extant clariſſima Religionis orthodoxæ monimenta & ſcripta de doctrina pietatis nobiliſſima; ita ſuperſunt de quinque aut ſex illis centuriis, quibus oppreſſa fuit per Antichriſti tyrannidem ſinceræ fidei & doctrinæ in Eccleſia

» Chriſti veritas, non minus illuſtria teſtimonia &
» ſcripta clariſſima, quæ nõ interiiſſe ſed oppugna-
» ta fuiſſe veram Eccleſiam arguere valeant. *Hoc ſi*
» *oſtendere potes G. F. virium te profecto præſtiteris. Arri-*
» *gamus ergo aures, & ad latentis tuæ & fugitiuæ Eccle-*
» *ſiæ monimenta proferenda attendamus. Ais,* Nondum
» interierunt Bertrami, Valdi, Ioannis à Gandauo,
» Wiclephi, Huſſi, plena pietatis ac Chriſtianæ
» Doctrinæ monimenta. *Parturiunt montes, naſcetur*
ridiculus mus. Ex quinque aut ſex centurijs, quinque no-
bis authores profers, vt oſtendas habuiſſe latitantem tuã
tanto tempore Eccleſiam, non minus illuſtria teſtimo-
nia & ſcripta clariſſima (*ſic enim loqueris*) *quam*
» *primæ illæ centuriæ Eccleſiæ Chriſtianæ habuerint. At*
» *primæ illæ tres tantum centuriæ quanto & numero plu-*
» *res, & pietate atque eruditione præſtantiores ſcriptores*
» *habuerint, nos ſuperius ex bona parte oſtendimus. Dein-*
de horũ quinque ſcriptorũ quos profers, ne vnus quidem
totus veſter eſt G. F. ne vnus quidẽ ex illis Caluiniſta eſt.
Nemo illorũ veſtra dogmata aut omnia aut plæraque te-
nuit. Vnuſquiſque illorum à veſtra doctrina in quam
plurimis diſſenſit. Bertramus præsbyter in ſolo circa ve-
nerabilem Euchariſtiam errore vobiſcum ſenſit: ſi tamen
etiam in illo. Nam & in illo ſuo errore ex Lutheri ne an
ex Caluini opinione ſcripſerit dubium eſt, & præterea
» *adeo ſententiam Catholicam in ſuo libello ſæpenumero*
& clare docet maximè in priore parte diſputationis ſuæ,
vt Centuriaſtæ Magdeburgenſes diffiteri non potuerint,
ſemina tranſſubſtantiationis in Bertrami libello
iacta eſſe. *Sic enim de eo cenſent Centuria 9. cap. 4. §.*
de Cœna, & ca. 10. *In reliqua autem tota ſua doctrina*
& vitæ actione, Catholicum ſe & Rom. Eccleſiæ filium
gerebat. Monachus enim erat Corbeienſis cœnobij, ſub

Carolo

Scriptores Eccleſiæ Proteſtantum.

Supra cap. 10.

Bertramus de Proteſtantium Eccleſia non erat.

Carolo Caluo, & Eccleſiæ Gallicanæ membrum quæ Romanæ Eccleſiæ communionem tenebat. Denique Bertramus iſte latitantis tuæ Eccleſiæ infrà has quinque aut ſex centurias ſcriptor eſſe non potuit, qui ante annos ſeptingentos & amplius ſcripſit. Floruit enim anno 870. ſub Carolo Caluo Imperatore, ad cuius petitionem libellum illũ ſcripſit. Quare nõ ſatis cõmodè diuiſa ſunt tẽporibus tibi Daue hæc. Valdi ſcripta quę ſint aut quæ fuerint, nec te arbitror ſcire. Vbi tamen ea quo loco & tempore excuſa fuerint prodideris, an tuæ Eccleſiæ membrum fuerit videbimus. Waldenſium qui dicuntur pater & author ſi fuerit, profectò etiã tuo iudicio hæreticus fuit, vt in hoc opere ſupra oſtendimus.

Lib.3.cap.8.

Wiclephus & Hus, Proteſtãtes non erant.

Idem iudicium de Ioanne de Gandauo quem tertio loco profers, eſto. Wiclephus ſanè & Hus multis in dogmatibus vobiſcum conſpirarunt, ſed in alijs multis, eiſdemque grauiſſimis ita à vobis diſcreparunt, vt etiam tuo iudicio pro hæreticis neceſſariò habendi ſint: id quod etiam Pantaleon veſter in ſua chronographia, diligẽter notauit, affirmans quoſdam horum articulos diligẽter reijciendos à pijs.

Cap.35.

Hos ex parte commemorat Æneas Siluius in hiſtoria Bohemica, iſtos videlicet. Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſola contentos eleemoſyna: Liberam cuiq; verbi Dei prædicationem patere. Qui mortalis culpæ reus ſit, eum neque ſeculari neque Eccleſiaſtica dignitate amplius potiri, neque parendũ ei eſſe. Denique inter ſacerdotes nullum eſſe diſcrimen. *Ab iſtis omnibus non ſecus vos abhorrere quam nos, Doctrina & forma Eccleſiæ veſtrę Anglicanæ manifeſtè oſtendit. Iam verò iſti ipſi in tota Doctrina de miſſæ ſacrificio & ven. Sacramento, nobiſcum contra vos ſentiebant, niſi quod ceræmonias Eccleſiæ vobiſcum contemnerent. Et hæc omnia, vt cætera nefanda ſua dogmata,* *guoſa, Ioannes Hus ex libris Wiclephi, quibus de realibus uniuerſalibus titulum dedit, hauſit, vt idem Æneas commemorat. Iſti ſunt latitantis tuæ & fugitiuę Eccleſiæ ſcriptores totis his 500. aut 600. annis. Hæc ſint illa tua* clariſſima religionis orthodoxæ monimenta & ſcripta de Doctrina pietatis nobiliſſima. *Ex quinque ſcriptoribus quos magno ſtudio protuliſti, unus nihil ad vos pertinet; & extra imò antè deſertum fuit. Duo quid ſcripſerint ignoratur. Alij duo etiam tuo iudicio dogmata hæretica tenuerunt. videamus an in alijs monimentis fælicius tibi res ſuccedat.*

De Paſtorali ſucceſſione Eccleſiæ Proteſtantium.

De perpetua (*inquis*) Epiſcoporum & paſtorum ſerie, nec tam ſollicitos fuiſſe credo, vt magni facerent cum de fidei certitudine conſtaret ex verbo Dei anteceſſorum nomina & titulos membranis incluſos oſtentare; nec tamen neglexiſſe
” penitus hiſtoriam Eccleſiæ ſuę miſerè ab Anti-
” chriſto afflictæ, quum extent alicubi ſi operæ-
” preciū eſſet cognoſcere, apud tot gentes Galliæ,
” Germaniæ, Sarmatiæ, Liuoniæ, Calabriæ, Apuliæ,
” Bohemiæ, in quibus diſperſa fuerit piorum in Eu-
” ropa Eccleſia, commentarij difficilium illorum
” temporū rerumq; in Eccleſia geſtarum à fidiſſimis
” Paſtoribus ac fortiſſimis Chriſti Martyribus. *Poſt*
” *ſcripta monimenta, de Epiſcopis & Paſtoribus laten-*
” *tis tuæ Eccleſiæ quæritur, ne ſi nullos oſtendas, peni-*
” *tus illam periiſſe, non ſolum latuiſſe probetur? Sine*
” *Epiſcopis enim* quos poſuit Spiritus S. regere Ec-
” cleſiam Dei; *ſine Paſtoribus & doctoribus* quos de-
” dit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in opus miniſterij, &c.
” *ſine* operarijs miſſis in meſſem, *nullum eſt Eccle-*
” *ſiæ regimen, diſciplina nulla: nullum verbi miniſte-*

rium, nulla ſacramentorum adminiſtratio eſt: Denique non creſcit ſemen veræ Doctrinæ in agro Dominico. *Hos ergo cum oſtendere vis, ais Eccleſiam illam tuam pro ſua haud dubiè prudentia & grauitate, nequaquam ſollicitam fuiſſe vt illorum ſeriem obſeruaret aut magni faceret. Scilicet magnanimè contempſit quod aſſequi non potuit, vt vuas vulpes. Sed dic mihi ſodes mi G. prima illa Eccleſia Chriſtianorum ſub cruce etiam & perſecutione poſita, quî factum eſt, vt Epiſcoporum ſuorum & Paſtorum ſeriem diligentiſſimè conſeruarent, ordinem membranis incluſum, vnde euoluerent quum opus eſſet (quare hæreticos Tertullianus compellat, vt* ordines Epiſcoporum ſuorũ euoluant *) ſedulò cuſtodirent? Denique ſucceſſionem Epiſcoporum continuam poſteris ſuis ſtudioſiſſimè traderent? adeo ſanè vt pace Eccleſijs reddita, ſingularum Eccleſiarũ Epiſcopos potuerit Euſebius Pamphili hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ inſerere; (quod etiam maximè ſibi propoſitum fuiſſe ſtatim initio Operis ſui demonſtrat) poſſint quoque plæræque Chriſtianorum hodie Eccleſiæ in ſuis quæque locis à prima fidei prædicatione tantundem præſtare? Nempe hoc illi primi Chriſtiani cæteriq; Maiores noſtri pro ſua ſimplicitate fecerunt. Veſtra autem in deſerto Eccleſia pro ſua ſingulari ſapientia minimè faciendum putauit. Ita ſanè, homo homini quantum intereſt, ſtulto intelligens? bene ergo habet. Fugitiua tua Epiſcopos & paſtores ſuos oſtendere nullos vult, quia nullos poteſt.*

Act.20.
Epheſ.4.
Luc.10.

Proteſtantium occulta Eccleſia neglexit Succeſſionis lineam.

Lib.1.cap.1.

Tu tamen bono animo es nec diffidis quin extent alicubi rerum ab illa geſtarum apud tot gentes in quibus latuit, commentarij, ſi tamen operæprecium eſſet illa cognoſcere. Laudo confidentiam tuam, quòd haſtam adhuc non abieceris, nec tanta plaga accepta, vt in de-

ſertium compulſa fugerit Eccleſia tua, tamen quaſi poſt Cannenſem cladẽ de Repub. bene ſperare deſieris, vt ille olim Terentius Varro Conſul. Sed Heus tu. Res geſtas Eccleſiæ veſtræ fugitiuæ cognoſcere operepreciumnon eſt? Sic opinor. Quicquid à vobis probari non poteſt, fruſtra & inaniter probandum quæritur. Hiſtoria Eccleſiæ quæ nuſquam erat, profectò cognoſci non poteſt, ideóque fruſtra inquiritur. Mira ſanè & ſingulari ſagacitate hunc locum tractaſti: Sed vnus adhuc ſcrupulus mouet ac pungit. Quî fit quòd inter tot gentes à te enumeratas, in quibus diſperſam ais Eccleſiam tuam fuiſſe, Angliam, Scotiam & Hiberniam non nominas? Quid? Nulla in his locis diſperſa membra habuit fugitiua veſtra? Aut ſi habuit, an ideo hæc loca prætermittis; ne ſaltem domi commentarios hos tuos proferre iubeare, qui apud exteras gentes ſi forte aut interierint aut commodè inueniri non poſſunt, vtcunque te excuſatum reddant; domi verò quo minus proferas, ſi qui tales fuerint, excuſationi locus non eſt? Prudenter ſanè & iſtud.

Nulla fingenda Eccleſia, cuius Paſtores proferri non poſſunt.

In his tamen omnibus fidem in te, Religionem, & pietatem homine Chriſtiano dignam deſidero. Tu enim homo Chriſtianus aliquam Eccleſiam Chriſti cogitare potes, aut tibi fingere audes, cuius Epiſcopos & Paſtores nullos proferre potes? (ſine quibus, vt ſine vicario capite, Eccleſiæ corpus nec eſſe nec ſubſiſtere poteſt) cuius hiſtoriam nullam, rem geſtam nullam oſtendere vales? dicente Chriſto de ſuæ Eccleſiæ præpoſitis, ac locis (vnde *quod futuri eſſent* lux mundi non ponenda ſub modio, ſed in candelabro, *id eſt in certis ſedibus* ſeptem Eccleſias Aſiæ, ſeptem candelabra *vocat Ioannes in Apocalypſi*) vt luceat omnibus

Matth. 5.

Cap. 1.

bus qui in domo ſunt: *imò quod futuri eſſent* Ciuitas ſuper montem, *qui Chriſtus eſt,* poſita, quæ abſcondi non poteſt? *Si enim lux eſt & abſcondi non poteſt, profectò lucebunt opera eius bona, illuſtres erunt res geſtæ eius,* & prædicabitur ſuper tectum *Doctrina eius, non in abſcondito latitabit, veritas enim non quærit latebras,* & qui malè agit odit lucem. *Hæc igitur veſtra fugitiua ſicubi terrarum extitit, meretrix haud dubiè & adultera fuit,* iuxta angulos inſidians, vecordes iuuenes decipiens; *vera Chriſti ſponſa & dilecta coniunx non erat, quæ* foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua. *Denique* aquæ furtiuæ & panis abſconditus *huius fugitiuæ Doctrina & res geſtæ erant, quæ nuſquam oſtendi poſſunt. Vera ſapientia non erat, quæ* miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me. *Propterea vera Eccleſia Chriſti, in qua* Sapientia ædificauit ſibi domum, *profert ſpeculatores, Epiſcopos & Paſtores ſuos, qui per omnes ætates certis & conſpicuis in locis, paruulis quidem ſuis & filijs* miſcuerunt vinum, propoſuerunt menſam, dans illis cibum in tempore: *alienis autem adhuc à fide &* inſipientibus locuta eſt. Venite comedite panem meum, &c. *Quæ ad hoc publicum epulum ſuos non inuitat, ſed panes abſconditos porrigit, ad domum Sapientiæ non pertinet, Eccleſiam Chriſti non conſtituit.*

Matth. 10.
Ioan. 3.
Prouerb. 7.
Prou. 1.
Prou. 9.
Ibidem.
Luc. 12.

Pergis tamen ex tenebricoſa illa tua & latitante fugitiua, aliquam ſi fieri poteſt, lucis ſcintillam eruere, quaſique è pumice aquam haurire; & è commentarijs

illis tuis aliquid tandem nobis repetis ſubiungens. Scribunt
„ ad Caluinum ſeniores vnitatis fratrum qui
„ vulgo Valdeſſenſes vocantur ex Carmelo in Bohemia
„ anno Domini 1560. ſuámque vnitatem
„ quam ſemper in Domino retinuerunt conſtanter
„ ſe tueri velle pronunciant. Suam etiam Apologiam
„ & fidei confeſſionem quam à multis ſęculis
„ profeſſi ſunt, conſtat eos emiſiſſe. Vnde non leuis
„ eſt coniectura, habere ipſos in ſuis Eccleſijs
„ hiſtorias rerum ſuarum abſolutas. *Coniecturis ergo*
„ *rem tantam agis G.F.? Manifeſtiſſima & celeberrima*
„ *in lege, in Pſalmis, in Prophetis, in Euangelio Scripturarum*
„ *teſtimonia, quæ conſpicuam nobis & illuſtrem*
per omnes ætates Eccleſiam deſcribunt (conſpicua autem eſſe non poteſt cuius res geſtæ conſpicuæ non ſunt) tu deſerere audes, & occultam atque latentem neſcio quam Eccleſiam coniecturis exploras? Quid eſt hoc aliud, niſi ad mediam lucem oculos claudere, ac dein quaſi in medijs tenebris manibus palpare? Quàm rectè illud de Donatiſtis olim ab Auguſtino dictum, ad te nunc G. F. & propriè pertinet? Nonne iſti palpant in meridie quaſi in media nocte? Quod quidem omnium hæreticorum eſt qui rem manifeſtiſſimam in lucem omnium gentium conſtitutam videre non poſſunt. *Tu enim ſanè palpas in meridie, quaſi in media nocte; qui conſpicuam ſemper Eccleſiam Chriſti, exploras coniecturis, quaſi latentem in tenebris. Tu rem manifeſtiſſimam*, poſitam in lucem gentium, *id eſt, Eccleſiæ Paſtores & Magiſtros de quibus hoc dictum à Spiritu Sancto fuiſſe*, poſui te in lucem gentium, *Paulus in Actis expoſuit, videre non potes. Quare cum B. Ambroſio in cauſa non diſſimili tibi reſpondeo.*

Proteſtantum Eccleſia coniecturis exploratur.

Contra Parm. Lib. 2. cap. 3.

Act. 13.
Lib. 5. epiſt. 31.

Quod vos ſuſpicionibus quæritis, nos ex ipſa ſapientia Dei & veritate compertum habemus. *Quod tu ex coniectura, vt ais, non leui quæris miſerè, vt in fugitiua tua ac latente adultera hiſtorias rerum ſuarum inuenias, hoc nos in vera Chriſti ſponſa & Eccleſia manifeſtiſſimum tenemus, ſic ab ipſa ſapientia Dei prædictum, ſic in rei veritate exhibitum)* quia ſicut audiuimus ita & vidimus, *Sed* in Ciuitate Dei noſtri. Extra illam qui eſt (*ait Auguſtinus*) nec audit, nec videt. In illa qui eſt, nec ſurdus, nec cæcus eſt. *Hæc ille. Tu quia extra Eccleſiam Catholicam es, quæris in deſerto, in latebris, in ſpeluncis, quod inuenire non potes, niſi fortè ex coniectura.*

Pſal. 47.
Enarrat.
Ibidem.

Sed hæc tua coniectura qualis tandem ſit, nunc videamus. Ais, Seniores vnitatis fratrum qui vulgo Valdeſſenſes vocantur ſcripſiſſe ad Caluinum, &c. *Hic libenter ex te quęrerem, qui quod à me ſcriptum eſt,* Catholicam vulgo dictã Eccleſiam, *tam acriter reprehendiſti, quod vulgus inelligit, & à quo vulgo Valdeſſenſes illos vocari ſcribis? An illi tui Valdeſſenſes ſic vulgo Chriſtianorum noti ſunt, ac Eccleſia vulgo Catholica dicta, toto terrarum orbe nota eſt? Deinde iſti Valdeſſenſes de monte Carmelo in Bohemia, an alij ſunt quam Huſſitarum reliquiæ, vt illi de monte Thabor & alij de monte Oreb, in eadem Bohemia confictis ex Scriptura nominibus, Thaboritæ & Orebitæ dicti? At iſti ſanè fratres, tui fratres G. F. (ſi tu Caluini dogma de Cœna tenes) eſſe non poſſunt. A quo ſanè peſtilenti dogmate iſti fratres cum reliquis Huſſitis omnibus, vnanimiter abhorrent: & hanc opinor vnitatem, intelligunt, quam ſe contra Caluinum conſtanter tueri velle pronuntiant.*

tiant. Addis hos fratres Apologiam ſuam emiſiſſe, *ſed non addis contra quos, ne fortè contra vos Caluiniſtas aut Lutheranos, qui Huſsitarum erroribus, multas nefandas hæreſes addidiſtis, illam emiſſam fuiſſe fateri cogereris. Deinde quia dicis de huius Apologiæ emiſsione conſtare, rem gratam lectori feciſſes, ſi vbi locorum extaret, vbi vel excuſa venalis eſſet vel non excuſa reperiri poſſet, aut in textu aut in margine ſignificaſſes. Sed maluiſti vt te in tenebris palpantem palpando quoque lector ſequeretur: ne ſi apertè ageres, tua fraus & turpitudo palam ſe proderet. Nam quod ad-*
» *dis,* illa Apologia fidei confeſsionem quam à mul-
» tis ſæculis profeſsi ſunt contineri, *luculentum & ſplendidum mendacium eſſe non dubito. Non enim adhuc ducenti completi ſunt anni, ex quo Iohan. Hus Wiclephi hæreſim, in Bohemia ſpargere cœpit: cuius Hus propago infælix erant iſti tui Valdeſſenſes.*

Audiamus nunc reliqua fugitiuæ tuæ monimenta &
» *res geſtas.* Quin & repreſſam fuiſſe ac funditus de-
» letam ab his in Bohemia Adamitarum pernicio-
» ſam ſectam, vel Romanenſium Hiſtoriæ teſtantur.
A quibus his G. F. Ab iſtis Valdeſſenſibus? fuerunt ergo ijdem cum Thabbritis. Ziſcha enim Thaboritarum Dux hoc præclarum facinus confecit. Tantum enim ſcelus, quamuis ſceleratus exhorri *ait Æneas Syluius, & vnico prælio omnes deleuit, expugnata inſula quam occuparunt. Non eſt hoc in illa ſecta vel actionis Eccleſiaſticæ, vllum argumentum, vel magna admodum commendatio. Gladio enim non verbo illam ſectam deleuit. Et habet hoc natura hominum, vt aliena magis quam ſua quiſque vitia perhorreſcat. Denique ſumma mala diu inulta non manent. Ac poſtremo per impios homines im-*

Hiſtor. Bohem. cap. 41.

pietatem à Deo puniri nouum non eſt. Quæ iure inſtrumenta illi ſunt diuinæ iuſtitiæ, virga furoris eius, ſecuris ac flagellum Domini; *ſed non magis inde laudandi quàm Diabolus ipſe, quo ad iudicia ſua iuſta exequenda, ſimiliter Deus vtitur. Pergamus ad alia.*

Sedes illuſtres Eccleſiæ Proteſtantium.

Addis poſtremo. Quæ in Merindolo, Coſta, Cabriera, Muſſio, alijſque prouinciæ & Pedemontanæ regionis oppidis iam diu perdurarunt Eccleſiæ, an ſine vlla diſciplinæ executione, tot ſæculis permanſiſſe quiſquam ſanę mentis crediderit? *Næ tu magnus antiquarius es G. F. qui tam præclara Eccleſię tuæ fugitiuæ monumenta, cum tineis & blattis, cum feris & ſerpentibus hactenus in deſerto conflictata & orbi cognito prorſus incognita, ſic in lucem profers, & in priſtinum ſplendorem reuocas. Multum tibi tua fugitiua debet, quam ſic è poſtliminio ad ſua redeuntem illuſtras, & conſpicuam reddis, vt priores illas tenebras iam oblita, & ſqualore depoſito, omnibus manifeſta & glorioſa compareat, deſignatis locis illuſtribus & digito demonſtratis, vbi hactenus tanquam in Pathino cæleſti colloquio & Angelorum conſortio (nam hominum carebat) freta fuit. Sed ne tibi ſit graue vir Doctiſſime, nos reconditæ huius antiquitatis tuæ imperitos amicè docere quo authore didiceris celeberrimis illis in locis à te commemoratis fugitiuam veſtram latuiſſe. Quid? Aut ſine Authore iſta confingis? Aut author quem ſequeris tam putidus tibi obſcurus & fide indignus eſt viſus, vt eum proferre non ſis auſus? Aut fortè expectas vt dicenti tibi ſine teſte, ſine Authore credamus? Elige quod velis: & vbi elegeris, vide an non maximæ & abſurditatis & impudentiæ quicquid eligas conuincaris. Quid? Ex tot ampliſſimarum gentium tot illuſtribus ciuitatibus &*

oppidis, hos tantum quatuor pagos obſcuriſsimos qui nec in hiſtoria vlla leguntur, nec in Mappis regionum illarum conſpiciuntur, elegit tua fugitiua, in quibus tot ſeculis resideret? Quod ſi verò prouinciæ in Gallia & Pedemontanæ regionis (vt dicis) hæc loca ſunt, quomodo in illis tot ſeculis latuit, in quibus ſola Romana & Catholica fides atque Religio hactenus obtinuit, donec prouinciæ oppida veſtrę hęreſes noſtra iam ætate afflixiſsent, pariterque in fœdam rebellionem contra Regem Chriſtianiſsimum conieciſsent? Nam Pedemontana regio cum tota Sabaudia ſub optimo ſuo principe Philiberto tota adhuc Catholica perſiſtit, nec veſtras hæreſes nouit; niſi quod Geneuenſis lacus à legitimo ſuo principe, vt à Deo & vera religione, diuulſus, impietatis veſtræ antrum & ſpelunca his aliquot annis extitit, ex quo ſacrilegus Caluinus (vt turpiora taceam) illic ex Gallia profugit, & Atheiſmi vexillum ibidem erexit. Sed age, ſi Eccleſiæ in illis pagis perdurarunt ſectę veſtræ, Magiſtros & paſtores, ſuperintendentes, & miniſtros illarū Eccleſiarum profer. Audeo dicere, non niſi etiam tuo iudicio hęreticos proferre te poſſe. Verum id memineris vt teſtem & Authorem opponas. Mihi enim iam religio eſt tibi toties mentito temere credere. Atque hæc omnia ſunt quæ ad tuæ fugitiuę & latentis Eccleſię illuſtrium (vt dicis) teſtimonia oſtendenda protuliſti. In quibus quid aliud quàm tuam ipſe nuditatem & cauſæ quam tueris turpitudinem palam prodidiſti? Si tacuiſſes, ſapiens eſſes. Hanc ſanè Camerinam de veſtrę latitantis fugitiuæ monumentis & rebus geſtis, quanto moues magis tanto fætere facis odorem tuum magis.

Fulco.

Immo quam ridiculus & vanus ſit Stapletonus, oſtẽditur ex eo quod monimenta eiuſmodi ſtudioſius inquirere aduerſarius nunquam duxerit operæprecium, quamuis à Stapletono prouocatus, vt tale aliquid in noſtra latente eccleſia aliqua ex parte factum fuiſſe oſtenderet, paucula quædam collegerit. Sed confiteri me tecum ais, teque eos nomine gaudere propter veræ eccleſiæ perſecutiones, externam eius formam ac politiam nunquã ſublatam eſſe, ac ne impeditam quidem in his quę ad ſalutem neceſſaria ſunt. Age igitur (inquis) oſtende in tua latitante eccleſia Sacramentorum adminiſtrationem, diſciplinæ conſeruationẽ, verbi prædicationem in vſu fuiſſe. Hæc opinor ad ſalutem neceſſaria eſſe negare non audebis. At vero in his principem locum obtinet, verbi prædicatio, quam tu in vltimum angulum reieciſti. Hæc ſummè neceſſaria, reliqua duo non ita neceſſaria, vt non ſubſiſtere poſſit ſine his ad tempus ſaltem eccleſia: quanquam ſint eccleſiæ ſi haberi poſſint inprimis ſalutaria. Quin & ipſa publica verbi prędicatio, ad tempus diſperſis eccleſiæ membris, aut fugatis paſtoribus, ſilere poteſt, vt quamuis maximo in periculo ſit eccleſia hijs ordinarijs ſalutis ſuæ medijs, ad tempus orbata, ſpiritu tamen vnitatis ac veritatis à Deo conſeruari poteſt tantiſper, dum à ſæuiſſimo perſecutionum ęſtu reſpirãdi tempus conceditur. Quod nunquam à Deo vlterius protrahitur quam electorum ſalus ferre poteſt. Cuius rei exempla vt habemus in primis illis à grauiſſimis ſub Cæſaribus ethnicis perſecutionibus, ita poſtremis his temporibus periculoſiſſimis Antichriſti tyrannide oppreſſis eccleſijs, ſimili ratione Deum proſpexiſſe ſuorum quos habuit in mundo electorum ſaluti non dubitamus. Huius vero certiſſimum argumentum è diuinis promiſſionibus deſumptum eſt, non negligimus tamen monimenta quæ in hiſtorijs extant, hoc idem confirmantia. Aiebam *igitur quemadmodum de primis illis centurijs eccleſiæ chriſtianæ grauiſſimas perſecutiones ſub impijs Cæſaribus perpeſſæ extant clariſſima religionis Orthodoxæ monimenta, & ſcripta de doctrina pietatis nobiliſſima, ita ſuperſunt de quinque aut ſex illis Centurijs, quibus oppreſſa fuit per Antichriſti tyrannidem ſincera fidei & doctrinæ in eccleſia Chriſti veritas non minus illuſtria teſtimonia & ſcripta clariſsima, quæ non interijſſe ſed oppugnatam fuiſſe veram eccleſiam arguere valeant. Nondum interierunt Bertrami, Valdi, Herici de Gandauo, Wiclephi, Huſsi plena pietatis ac chriſtianæ doctrinæ monimenta.* Hic tu indignaris ex quinque aut ſex centurijs quinque tantum productos eſſe authores, cum tres illæ primæ Cẽturiæ multo plures & pietate ac eruditione præſtantiores habuerunt. De pietate, Chriſti ipſius ſit iudicium, fuerunt ſatis eruditi & iſti poſteri, habita ratione temporum in quæ inciderunt. Quod vero plures numero fuerint, non mirum, cum ex omnibus mundi regionibus, priores illi quorum ſcripta extant, quaſi ſpicilegium fuerunt. Iſti vero recentiores, ex angulis huius Europæ partis cui incubuit Antichriſtus Romanus prodierunt. Neque tamen admodum multi ſunt illi, nec iſti non plures quam ego recenſuerim. Pauci tamen iſti ſatis docent, non interijſſe doctrinam pietatis, licet ab Antichriſto miſere fædatam. Sed nec vnum ex ijs quos profero fuiſſe Caluiniſtam dicis. Et recte quidem, cum aliquot ſæculis ante natum Caluinum vixerint. Eandem tamen pietatis doctrinam in neceſſarijs ad ſalutem fidei capitibus quam Caluinus amplexi ſunt. Eiuſdem igitur Eccleſię membra quanquam aliquibus forſan erroribus vel hic vel illi fuerint impliciti, fuiſſent. Sed Bertramum nobis etiam eripere ſtudes primum quia fuit Gallicæ Eccleſiæ membrum, etiamſi in vnico Euchariſtiæ ſacramento nobiſcum ſenſit; ſi tamen ſenſit, &c. Deinde quod ante 700. annos floruit. Cum liber illius publice proſtet, quid ſenſerit, quid non, petant lectores ex ipſius lectione iudicium, quod ſatis quidem clarum eſſe non ſolum contra tranſubſtantiationem veſtram, ſed etiam contra Lutheranorum conſubſtantiationem luculenter oſtendit doctiſſimus Theologus Gulielmus Fenguræus qui in eum commentariolum ædidit. Quod ante ſeptingentos annos vixerat Bertramus non me latebat, ideoque teſtem citaui vt continuatam poſterioribus ſæculis de Euchariſtia Eccleſiæ latentis ſententiam, eandem fuiſſe demonſtrarem, quam publice profeſſa erat paulo ante, priuſquam eam etiam doctrinæ partem veneno ſuo inficiſſet Antichriſtus, quod tum quidem cum ſcripſit Bertramus aggreſſum fuiſſe ſatanam ex eius libello liquido oſtenditur. Quæ fuerint Valdi ſcripta me noſcere arbitraris. Vbi tamen ea,

quo loco & tempore excuſa fuerint prodidero, an
fuerit Eccleſiæ noſtræ membrum videbitis. Ita
nihil extare agnoſces, quod non excuſum eſt. Ego
quidem profiteor me illius ſcripta non vidiſſe,
ſed fidem habeo Iohanni Foxo homini & doctiſſimo
& ſanctiſſimo, qui ex ſcriptis eius quæ adhuc
in membranis exarata habentur optimè colligi
dicit, non fuiſſe hominem indoctum ac linguarum
imperitum vt eum infamant Volatterranus,
Laizardus, alijque hiſtorici. Henrici
vero de Gandauo, quem Typographus per errorem
Iohannem poſuit de quo idem fere pronuncias,
ſcripta multa magno volumine comprehenſa
ſpectari poſſunt in Bibliotheca noſtra Pembrochiana:
ſed vterque cum Valdenſibus (quibus
à Valdo ſiue Valdone nomen per contumeliam à
» Papiſtis impoſitum eſt) Wiclepho etiam & Huſſo
» in multis grauiſſimis dogmatibus à nobis diſcreparunt,
» vt etiam meo iudicio hæretici ſint. At
hoc quam futile ſit cauillum ſupra ſatis oſtendi-
» mus. Sed Pantaleon noſter diligenter notauit
» quoſdam horum articulos diligenter reijciendos
» à pijs quos Æneas Syluius ex parte in hiſtoria
» Bohemica cõmemorat, à quibus nõ ſecus abhor-
» remus quam vos. Scio ab aduerſarijs confictos
eſſe contra eos peſſimos articulos à quibus illi
ipſi non minus abhorruerunt, quam illi qui eos
calumniandi ſtudio confinxerunt. Sed eorum libris
& confeſſionibus, non aduerſariorum de
eis calumnijs credendum ſtatuimus, quamuis
non ab omnibus eos erroribus ideo liberamus.
Quin & hoſtes eorum nonnunquam confeſſi ſunt

eorum maxima ex parte integritatem, tam vitæ quam doctrinæ. Guiliemus Paruus refert Valdenſium doctrinam Oxonij in Anglia examinatam repertam fuiſſe ſanam quod ad finem de Deo Chriſtique meritis attinet: in ſacramentorum vero explicatione ab Eccleſiæ Romanæ iudicio diſſentientem, vitam fuiſſe laudabilem, mortem quam ex perſecutorum ſententia paſſi ſunt acerbiſſimam magna patientia animique alacritate pertuliſſe. Reinerus etiam his verbis de ijs ſcribet. *Hæc Leoniſtarum ſecta, magnam habet ſpeciem pietatis, eo quod coram hominibus iuſtè viuant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in ſymbolo continentur, Solam Romanam Eccleſiam blaſphemant & oderunt.* Sed iſtos tu tamen in tota doctrina de miſſæ ſacrificio & ven. ſacramento vobiſcum contra nos ſenſiſſe aſſeris, niſi quod ceremonias Eccleſiæ nobiſcum contemnerent. Hoc vero quam vanum ſit, teſtes ſunt articuli confeſſionis eorum cum Apologia Vladiſlao Bohemiæ regi ab ipſis contra Auguſtinum quendam qui perſecutionem in eos mouebat exhibitæ. Articulo ſiquidem 5. Miſſas omnes & eas nominatim, quæ pro defunctis canuntur, impias eſſe & abrogandas. Deinde contra Auguſtinum illum ſpiritualem tantum modum præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtiæ venerabili ſacramento, validis rationibus tuentur: eadem etiam de gratia, fide, penitentia, operibus, profitentur quæ hodiè Eccleſiæ reformatæ & docent & credunt. Quod ſi hi pauci ſcriptores Eccleſiæ ab Antichriſto oppreſſæ, quos recenſui tibi nunc non

Ex libro Inquiſ. ex Orth. Gra.

ſatisfaciunt, cum prius *aliqua ſaltem ex parte tale aliquid oſtendi poſtulares* : ad catalogum teſtium veritatis te remitto: Ad Iohannis etiam Foxi acta & monimenta Eccleſiæ, vbi plura reperies.

Dixi pręterea me credere *de perpetua Epiſcoporum & paſtorum ſerie non tam ſollicitos fuiſſe, vt magni facerent cum de fidei certitudine conſtaret ex verbo Dei, anteceſſorum nomina & titulos membranis incluſos oſtentare, nec tamen neglexiſſe penitus hiſtoriam Eccleſiæ ſuæ miſerè ab Antichriſto afflictæ quin extent alicubi, ſi operæ precium eſſet cognoſcere, apud tot gentes Galliæ, Germaniæ, Sarmatiæ, Liuoniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bohemiæ, in quibus diſperſa fuerit piorum in Europa Eccleſia, commentarij difficilium temporum, rerumque in Eccleſia geſtarum à fidiſſimis paſtoribus ac fortiſsimis Chriſti Martyribus*. Hic tu criſtas ſolito more erigis, putidumquę & rancidum illud argumentum tuum inculcas: ſi nullos oſtendis paſtores, & Epiſcopos, nulli fuerunt quos oſtenderes, perijt igitur non latuit Eccleſia, &c. Sed huius argumẽti vanitatem qui non videt, cum talpis eum cæcutire arbitror. Sed quęris à me quî factum ſit, quod prima illa Eccleſia ſub cruce & perſecutione poſita, ſucceſſionis ſeriem diligentiſſimè cuſtodiret, eamq; poſteris ſtudioſiſſimè tradiderit, Repondeo non quod tanti momenti res eſſet, ſed quia in celeberrimus vrbibus in quibus per totum terrarum orbem diſſeminata fuit Eccleſia, hoc multo facilius potuerint, quam in obſcuris illis locis in quos ab Antichriſto detruſa eſt Eccleſia in Europa. Nec tamen tanta diligentia ac cura cuſtodita ac tradita eſt ſucceſſionis linea vt in celebratiſſima omnium propter vrbis principatum, Eccleſia Romana cujus vnius ſucceſſionis ſeriem maxime cognitu neceſſariam tenetis, aliquid certi habere poſſit, de Lino, Clemente, Cleto, Anacleto, primis illis Petri ſucceſſoribus, tanta eſt ſcriptorum vt noſti varietas ac diſcordantia. Cum ſi ad perſonam Apoſtoli alicuius deducenda ſit ſucceſſionis linea, eiuſque cognitio ad ea neceſſaria ſit, vt ſine ea nulla ſit Eccleſia (vt tu argute diſputas) fingenda: nihil magis cognitu neceſſarium fuit, quam quis primus ab Apoſtolo decidente, traditam Eccleſiam acciperet, quis deinde ſecundus & tertius, ne ſi prima ſucceſſio ſit incerta, in reliquis Apoſtolicam ſucceſſionem certam agnoſcere nequeamus. Quin & hac ratione, hiſtoria de Petri Romæ ſedentis Epiſcopatu non ſolum incerta redditur, ſed qualis ab antiquiſſimis ſcriptoribus traditur, ſacræ ſcripturæ calculo maniſeſtè repugnans inuenitur. Tu vero omnia tam ſtudioſe conſeruata ac tradita fuiſſe dicis, adeo vt pace Eccleſijs reddita, ſingularum Eccleſiarum Epiſcopos potuerit Euſebius Pamphili hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ inſerere, quod etiam maxime ſibi propoſitum fuiſſe, ſtatim initio operis ſui demonſtrat lib. 1. cap 1. Miror ſanè qua fronte hæc ſcripſeris cum ex plus mille Eccleſijs, quæ tum ab Apoſtolis fundatæ viguerũt, vix paucarum cum Epiſcopos aut ſucceſſiones ab Apoſtolis hiſtoriæ ſuæ inſeruerit, profeſſus etiam *nobiliſſimorum tantum Apoſtolorum ſucceſſiones, celebrioribusque Eccleſijs traditas colligere, & in ordi-*

nem digerere vt potuerit: veniam ſibi dari petens, quod maiora viribus ſuis tentaſſet vt fideliter & integre quę ſunt geſta narraret, eo quod primus omnium huius argumenti, viam ingredi auſus eſſet. In qua nulla hominũ quibus poſſit fidere conſpiceret vel nuda præceßiße veſtigia, niſi quod exiguas duntaxat occaſiones quibus alius aliter ſuis quiſque temporibus particulares narratiunculas nobis, quaſi faculas quaſdem veteres reliquerunt, dum voces ſuas è longinquo emiſerunt, de ſupernis velut e ſpeculo vociferantes qua ſit eundum & quomodo ſermonis iter abſque errore & periculo; & dirigendum ſit pręcipiunt. Poſtremo quod neminem vſpiam Eccleſiaſticorum ſcriptorum ad hoc vſque temporis circa hanc commentariorum partem aliquid diligentiæ impendiſſe cognouerit. Quæ cum ex clariſſimo Euſebij teſtimonio ita ſe habuiſſe conſtat: vbi eſt ſumma illa primæ Eccleſiæ diligentia, ſedulitas, ſtudium & cura quæ prædicas, non ſolum ſucceſſionis ordinem poſteris tradendi, cum omnem pene Eccleſiæ hiſtoriam neglexerint, vt ſi vnus Euſebius rem viribus maiorem aggreſſus non fuiſſet, non minus fere obſcura fuiſſet eorum omnium quæ illis ſeculis acciderunt narratio, quam poſteriora Eccleſiæ latentis monimenta, quæ tu tanto cũ faſtidio oſtendi tibi flagitas? Quod alibi extare commentarios rerum illarum non diffido, laudas confidentiam meam, qui tanta plaga accepta haſtam non abiecerim, & vt Terentius Varro poſt Cannenſem cladem de republica bene ſperare non deſierim. Scilicet, lætale vulnus accepit Eccleſia cum in deſertum fugere compulſa eſt, ita ex ſacris Dei oraculis, & certiſſima ſpiritus ſancti Prophetia ludos facis homo ſuauis, & ineptiſſimo ſophiſmate quo nullam extitiſſe Eccleſiam cuius nulla oſtenditur ab Apoſtolis continuata Epiſcoporum ſucceſſio, quantumuis ei doctrinæ Apoſtolicæ ſuffragetur conſanguinitas, probare niteres, compulſam à te in deſertum gloriaris Eccleſiam. Sed tu non es draco ille rufus cuius tantæ fuerunt vires, etſi ne membrum ſis maligni eius corporis vehementer metuo. Sed vnus adhuc ſcrupulus te mouet, ac pungit, id vero quid ſit videamus. Quî fit (inquis) quod inter tot gentes à te enumeratas, in quibus diſperſam ais Eccleſiam fuiſſe, Angliam, Scotiam & Hiberniam non nominas? Quid? nulla in his locis membra diſperſa habuit fugitiua veſtra? Sed ego tibi hunc ſcrupulum eximam, de Scotia, & Hibernia nihil lego apud authores quos ſecutus ſum, de Anglia ſatis tibi conſtare putaui ex monimentis Eccleſiæ à Ioanne Foxo collectis & in lucem iam pridem editis. Quæ ſi tibi ſatis non faciunt, Gulielmus Paruus in Anglia etiam vocata fuiſſe à Dei miniſtris quos Valdenſes antichriſtani vocabant ex Babylone veſtra, veræ Eccleſiæ membra teſtatur, triginta ex illis quorum præcipui nomen erat Gerardus, Martyrio coronatis, quippe flagris cæſis, frigore, fame, ac ſiti è medio ſublatis. Quod mortis genus cum ſit omnium atrociſſimum, ſumma tamen conſtantia & lætitia ſpiritus ſingulari, eum pertuliſſe ab illo homine proditum eſt, qui cauſæ illorũ parum fauit. In his tamen omnibus fidem in me & religionem homine Chriſtiano dignam deſideras. Quid

„ita quæſo? Tu enim (ais) homo Chriſtianus aliquam
„Eccleſiam Chriſti cogitare potes, aut tibi
„fingere, cuius Epiſcopos & paſtores nullos
„proferre potes; ſine quibus vt ſine vicario capite,
„Eccleſiæ corpus nec eſſe nec ſubſiſtere poteſt,
„cuius hiſtoriam nullam, rem geſtam nullā oſtendere
„vales, dicente Chriſto de ſuæ Eccleſiæ præpoſitis
„ac locis, quod futuri ſunt lux mundi non
„ſub modio ponenda, ſed in candelabro id eſt in
„certis ſedibus, quodque futuri ſunt ciuitas ſupra
„montem poſita quæ abſcondi non poteſt. Ego vero Stapletone me hominem eſſe chriſtianum ideo perſuaſum mihi habeo, quod quæcunque Chriſtus de ſua Eccleſia eiuſue paſtoribus dixerit, ea omnia firmiter completa fuiſſe credam, etſi nulla vnquam monimenta, nullas hiſtorias, nulla Epiſcoporum nomina, aut res geſtas extra ſacram ſcripturam vnquam legiſſem, audiuiſſem, vidiſſem: quanquam omnino falſum eſt, me nullos omnino paſtores, nullam hiſtoriam, nullas res geſtas proferre poſſe cum aliquid protulerim. Tu vero qui te Chriſtianum eſſe, & Catholicum etiam nomen magno ſupercilio, etſi falſo iactitas, age reſponde mihi viciſſim: vllamne agnoſcis in tua Britannia Eccleſiam Chriſti, à quingentis amplius poſt Chriſtum annis? non inficiaberis ſat ſcio floruiſſe in Britannia Eccleſiam Chriſti, ab Elentherij ſaltem Romani æuo vſque ad Saxonicā cladem qua victi Britanni omnes aut interempti, aut ſedibus ſuis pulſi, aut in ſeruitutē redacti ſunt. Profer mihi igitur omnium Epiſcoporum & Paſtorum nomina, hiſtoriam, res ge-

ſtas Eccleſię. Nihil habes ſat ſcio quod proferas niſi pauca quædam à Gilda, Nennio & Beda, quæ nec plura nec clariora ſunt monumenta quã nos Eccleſiæ latentis & occultæ proferrimus: cum in Britannia aliquot ſæculis ſub Romanis principibus, ſuiſque regibus Chriſtianis, Eccleſia in pace non minus quam in alijs prouincijs floruerit. Quo igitur recident bellæ tuę rationes? Si lux eſt & abſcondi non poteſt, profecto lucebunt bona eius opera, illuſtres erunt res geſtæ eius, prædicabitur ſuper tectum doctrina eius, veritas non quærit angulos &c. Quemquamne Theologum, dialecticis vel leuiter tinctum, tam diluta & nullius ponderis argumenta proponere voluiſſe? Similia ſunt quibus noſtram fugitiuam, meretricem fuiſſe conuincis iuxta angulos ſcilicet inſidiantem vecordes Iuuenes deſipientem. At ſi meretrix fuit babylonica, vbi Babylon arx eius imperij? Vbi ſeptem colles? Vbi ciuitas habens imperium in reges terræ? Vbi purpura? aurum? gemmæ? margaritę? poculum furioſi vini, quo reges terræ inebriauit? vbi martyrum cædes, quorum ſanguine ebria fuit? Sed ſapientia inquis in plateis dat vocem ſuam, & quæ ſequntur omnia veriſſima, tamen à ſuis ſolum filijs iuſtificata fuit, eritque ſemper cæleſtis ſapientia. Clamantem, vocantem, inujtantem ſoli audiunt, cæteri contemnunt, faſtidiunt, negligunt. Sed vt lucis aliquam ſcintillam eruam, & aquam è pumice hauriam, ſubiungo, vt tu vis, ſcripſiſſe ad Caluinum ſeniores vnitatis fratrum qui vulgo Valdenſes vocantur ex Carmelo, Bohemia, anno domini 1560. ſuamque vnitatem, quam ſemper in domino retinuerunt, *conſtanter ſe tueri velle pronunciaſſe. Suam etiam Apologiam & fidei confeſſionem quam à multis ſeculis profeſſi ſunt eos emiſſe. Vnde non leuis eſt coniectura habere ipſos in ſuis Eccleſijs hiſtorias rerum ſuarum abſolutas*. Iam tu primum coniecturis rem tantam agi quereris manifeſtiſſima & celeberrima in lege, in pſalmis, in Prophetis, in Euangelio, ſcripturarum teſtimonia, quæ conſpicuam & illuſtrem per omnes ætates Eccleſiam deſcribunt, deſeri, & occultam & latentem neſcis quam Eccleſiam coniecturis explorari. Sed illa ſcripturarum teſtimonia niſi miſerè à genuino ſenſu detorta vt alibi oſtendimus nulla omnino proferre poſſe conſtanter aſſero. Deinde nego Eccleſiam à nobis coniectura explorari, etſi aliquorum temporum & locorū hiſtorias quæ nobis incognitæ ſunt alicubi ſupereſſe coniecturam facio. Eccleſiam enim in voce ſummi eius paſtoris ac capitis inuentam maximo Dei beneficio colimus, inque eius gremio acquieſcimus. Sed & illa rationis explicatio arguta eſt.

Conſpicua eſſe non poteſt Eccleſia cuius res geſtæ conſpicuæ non ſunt. Ita ſi cuiuſque Eccleſiæ res geſtæ vetuſtate oblitæ aut propter locorum diſtantiam nobis conſpicuæ non ſunt, nunquam illa Eccleſia conſpicua eſſe potuit. Romana illa antiquiſſima Eccleſia, ſi pauca admodum excipias quæ ex aliorum libris Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Euſebij obſcurè & confuſè colliguntur, quas demū res geſtas per annos trecentos ſcriptis conſignauit? Non fuit igitur admodum conſpicua ſi qua vis eſt tuæ rationis, quæ nullas fere res ſuas geſtas memoriæ mandauit. Nam adhuc & prudentiorem te arbitror & magis amantẽ ſynceritatis, quam vt decretalium Epiſtolarum farraginem, nobis pro veris Romanæ Eccleſię monimentis obtrudas. Talia enim monimenta facile eſſet cuiuis tibi quæcunque demum poſtulares proferre plurima, Non igitur palpamus in meridie quod Auguſtinus Donatiſtis obiecit, ſed in luce omnium gentium, hoc eſt Chriſto, poſitam Eccleſiam, videmus, agnoſcimus, veneramur. Tu vero rem poſitam in lucem gentium Eccleſiæ paſtores & magiſtros interpretaris, & à Paulo in Actis illud ſpiritus ſancti oraculum, poſui te in lucem gentium, de ijſdem expoſitum contendis. Quod quam ſit à vero alienum, vel illa particula quæ proximè ſequitur ſatis te docere potuit: poſtquam enim dixiſſet ſpiritus ſanctus, poſui te in lucem gentium, ſubtexuit ſtatim, vt ſit in ſalutem vſque ad vltima terræ, Chriſtus vnica ſalus omnium, ſola vera lux gentium, teſtes lucis Apoſtoli, vt & Iohannes, & miniſtri Dei ad ſalutem fidelium, non ſalus fidelium dici poſſunt. Quare non eſt quod cum Ambroſio reſpondeas quod vos ſuſpicionibus quæritis nos ex ipſa ſapientia Dei & veritate compertum habemus. Scriptura ſacra Dei ſapientiam continet ad ſalutem, & ſermo eius veritas eſt, ex quibus nos compertum habemus, cui Eccleſiæ nos regendos ſubiecimus, hiſtoriæ, annales, tabulæ ſucceſſionum, & cætera eius generis monumenta, humana ſunt, quę an ſemper aut omnia verè tradita ſint, ſuſpicari licet, atque hoc

Cont. Par. lib. 2. c. 3.

Act. 13.

2. Tim. 3.
Iohn. 27.

hoc ſenſit Ambroſius contra Simachũ & gentes, qui Deum aliter quam Dei voce cognoſci poſſe putabant, ignorantiã tamen ſuam fatebãtur, cum vno itinere dicerent ad tantũ ſecretũ, peruenire non poſſe. Et nos experti ſumus, quæ de Chriſti Eccleſia, è ſpiritus ſancti oraculis audiuimus, hoc eſt ſicut audiuimus ita vidimus in ciuitate Dei noſtri, ſed fidei oculis plurima, nõ ſenſu corporeo. Sed quod aio ſeniores vnitatis fratrum qui vulgo Valdenſes vocantur, ſcripſiſſe ad Caluinũ, libenter ex me quæreres, qui à te ſcriptam vulgo Catholicam dictam Eccleſiam, tam acriter reprehenderim, quod vulgus intelligam. Iam dixi à Papiſtarum vulgo nomen hoc illis inditum, vt alias dicti ſunt etiam pauperes de Lugduno, Leoniſtæ, Albigenſes, & quicquid placuit Antichriſti ſcurris ac rabulis. Quæris etiam an ſic vulgo Chriſtianorum noti ſunt, ac Eccleſia vulgo Catholica dicta. Reſpondeo quemadmodum Eccleſia vulgo Papiſtarum Catholica dicta, falſo ſe hoc nomine venditat: Ita Valdenſes vulgo dicti verè Chriſtiani & Catholici dicendi eſſent. Vtri magis mundi cogniti fuerunt, non refert. Fuerunt olim mundo etiam ſatis cogniti, cum hoſtis eorum Reinerus de ipſis ſcriberet: *Non erat qui eos impedire auderet, propter potentiam & multitudinem fautorum ſuorum. Inquiſitioni & examinationi eorum ſæpe interfui. Et computatę ſunt quadraginta Eccleſiæ quæ hæreſi infectæ fuerunt, ac in vna parochia Cammach fuerunt decem eorum ſcholæ &c.* Scripſerunt etiam de ijs iam olim Archiepiſcopi Narbonenſis, Arelatrenſis, Aquenſis, Albanenſis de Valdenſibus è

Ex Ioan. Foxo

Gallia ſi fieri poſſit extirpandis conſultantes. *Quis enim ſolus ille peregrinus inquiunt, qui condemnationem hæreticorum Valdenſium ignoret à longe retro annis factam tum formoſam, tum publicam, tot ac tantis laboribus & expenſis & ſudoribus fidelium in ſe, & tot mortibus ipſorũ infideliũ, ſolenniter damnatorũ publiceque punitorũ tam fortiter ſigillatã.* Ex quo aduerſariorum Eccleſiæ teſtimonio liquet non tã diu, tantoque ſilentio in deſerto latuiſſe Eccleſiã, vt non ſubinde ad fraudes & blaſphemias Antichriſti detegendas, fortiter ad dimicandum quoſdam è ſuis emiſerit, qui ad mortem vſque fœliciter pugnantes, Martyrij coronam reportarunt. Quę Antoninus etiam & Matheus Par. de Albigenſibus, quos eoſdem eſſe cum Valdenſibus illa Archiepiſcoporum Epiſtola probat varijs certaminibus ſuperioribus & ſuperatis referant, eiuſdem rei teſtes ſunt locupletes, modo ne credamus miraculo à Dominico coniecti in ignem libri & non combuſti, ſuperatos qui diſputatione ex ſacris literis vinci non potuerunt. Pergis quęrere annon fuerint Valdenſes iſti de Carmelo Huſſitarum reliquiæ. Aio fuiſſe ex Eccleſia Chriſti, quæ aliquot ſæculis ante natum Huſſum in Bohemia cognita fuit, ſcripſiſſe ad Caluinum, vt eandem quæ patribus ipſorum cum Caluino, ſancta interceſſit notitia, & vinculum Chriſtianæ charitatis quo omnes pios, maximè Eccleſiæ miniſtros arctiſſimè conſtrictos eſſe decet, vt ipſi profitentur renouarent. Quam ridiculè igitur à Caluino alienos eos oſtendere conaris, omnes facilè intelligent, qui Epiſtolam illam quæ eſt inter Caluini Epiſtolas

Part. 3. Titu. 19

excuſa numero 194. breuem quidem illam, ſed Chriſtianam pietatem redolentem, perlegere dignabuntur. Quod addo fratres hos, Apologiam emiſiſſe, ſed non addo contra quos, ſuſpicaris ne forte contra Caluiniſtas aut Lutheranos, illam ædiderint, idque fateri cogerer, ſi addidiſſem contra quos. Contra Papiſtas qui eos calumniantur olim ædiderunt, vt prius oſtendi, nuper etiam aliam D. Georgio Marchioni Brandeburgico exhibitam, qui ſunt in Bohemia & Morauia: ſed ego de illa intellexi quam Valdenſes qui in Prouincia Galliæ ſunt regi apud quem fuerunt à calumniatoribus Papiſtis iniquiſſimè delati miſerant, cuius ſingula capita recenſet Sleidanus lib. Com. 16.

Chitrę in ora.

Sed luculentum & ſplendidum eſſe mendacium non dubitas, quod addo illa Apologia fidei confeſſionem quam à multis ſæculis profeſſi ſunt, contineri, cum non adhuc ducenti ſunt anni completi ex quo Ioannes Hus Wiclephi Hæreſin in Bohemia ſpargere cæpit, cuius Hus propago infelix, erant iſti Valdenſes mei. Hoc vero tuum mendacium quo aſſeris Valdenſes fuiſſe Huſſi propaginem, quos omnes hiſtorici etiam veſtri faciunt aliquot ſeculis Huſſo antiquiores, quam putidum ſit, quamque omni veritatis vmbra aut ſpecie vacuum non opus eſt pluribus demonſtrare, cum ſatis iamdudum in hoc tua vanitas à me patefacta eſt, & res ipſa multorum hiſtorijs teſtata in obſcuro non ſit. Quod repreſſam fuiſſe ac funditus deletam ab his in Bohemia Adamitarum pernicioſam ſectam dixerim, interrogas me à quibus his? An ab iſtis Valdenſibus? concludis

Volater. Cronic. Cronic. Guil. Paru. &c.

cludis ergo fuiſſe eoſdem cum Thaboritis, quorũ dux fuit Ziſcha qui hoc præclarum facinus confecit. Si pronomen illud relatiuum ad Valdenſes referas, ex quorum numero erant Thaboritæ atq; ipſe Huſſus, & quem eius præceptorem facis Wiclephus, non multum intereſt, ab illa vero deſpecta, & ſæpius latente Eccleſia repreſſam fuiſſe an penitus deletam illam peſtem volui dicere. Fratres iſti vt Chytræus refert qui cum illis contulit, per probrum & ignominiam ſe Valdenſes & Picardos vocari oſtendunt, & in Epiſtola ad Caluinum, ſe falſo Picardos & Valdenſes dici aſſerunt. Idem Chytræus dum ex collatis hiſtorijs, & multorum eruditorum Pragæ ſermonibus, horum nominum rationem quæreret, certe didicit longe ante Huſſi tempora, communionem vtriuſq; ſpeciei in Bohæmia aliquibus in locis vſurpatam, & pontificia dogmata & abuſus multos fuiſſe improbatos. Valdenſium appellationem à Petro Valdo Lugdunenſi ortam, qui cum tyrannide pontificia Lugduno cum auditoribus ſuis pulſus eſſet, alij in vicinam prouinciam Narbonenſem, alij in Lombardiam vbi frequentes cœtus & ſcholas ſuæ religionis longo tempore habuerunt: alij ac in his ipſe Valdus in Picardiam Galliæ delati ſint vbi plures collegas & in his præcipuum Hieronymum in Picardia natum, ſibi adiunxit, qui Rothomagi, Ambianis, & in vicinia, amplos cœtus ſymmiſtarum collegit. Cum autem per Lodouicum Galliæ regem, ex Picardia etiam eijcerentur: in Germania prope Moguntium & Francofordiam ad Menum aliquantiſper docuerunt. Inde in Bohemiam profecti ſunt vbi duobus fere ſeculis ante Huſſum, doctrinæ Euangelicæ ſemina ſparſerunt, quæ inde in Morauiam, Poloniam, Sileſiam & Balthici littoris regiones, multis ante Huſſũ annis propagata fuit. Poſtea anno primum 1404. ex Anglia Iacobus profeſſione Theologus & Conradus Cantabrigienſis Wiclephi doctrina ac libris inſtructi, Pragam venerunt: de illius ſententijs publicè in Academia diſputarunt: panis ſubſtantiam in Euchariſtia non mutari, Papam eſſe Antichriſtum, confeſſionem arcanam non eſſe neceſſariam, alijſque eius generis. Quæ cum Huſſo probata eſſent, cœpit ea publicè docere, cleri cuius ſcelera coarguebat in ſe odia excitare, adeo vt Sbingo Pragenſis Archiepiſcopus edictum de credenda neceſſariò panis μετουσίᾳ, & comburendis publicè Wiclephi libris proponeret.

Huic edicto cum in ſchola & pro concione Huſſius cum ſuis aduerſaretur, certamen atrocius exarſit. Quod exorti eo tempore in Academia de tribus ſuffragijs exterarum nationũ ad Bohemios transferendis, quod Huſſi opera pręcipue à rege Wenceſlao impetratum erat, tumultus auxerunt. Sbingo Pontificiam condemnationem inter hæc omnium Wiclephi dogmatum confecerat: Huſſus nihilominus conſtanter in officio concionandi pergit, ſequuta eſt mox tragœdia Conſtantienſis & Huſſi propter confeſſionem veritatis conſtantem combuſti, viſus in docendo Iacobellus Miſnenſis ſubit, qui vtriuſque ſpeciei communionem publicam Pragæ primus inchoauit. Wenceſlao mortuo cum Bohemiorum poſtulatis, de religione Sigiſmundus aſſentiri nollet. Ordines regni Pragæ Synodo coacta, ſupremam inſpectionem Eccleſiarum in Bohemia & Morauia, quatuor doctoribus in Academia Pragenſi commendant & regulas Eccleſiaſticas de norma doctrinæ, de ordine gubernationis Eccleſiæ, de concionibus, de Euchariſtia, de peccatis mortalibus ſeuerè coercendis, de moribus clericorum, & pœnis delinquentium, numero 23. condunt. Deinde bella à pontifice, Germaniam in Bohemos incitante, per decennium ſequuta ſunt: quæ cum Bohemi Ziſcha duce fæliciter profligaſſent, ad amicam pacificationem concilij Baſilienſis tempore decurſum eſt, conceſſis à concilio Bohemis quatuor illis articulis, ſed nonnihil mitigatis, quibus Sigiſmundus aſſentiri nollet, vt verbum ſcilicet Dei à ſacerdotibus & Leuitis legitime vocatis purè & ſincerè vbiq; in regno prædicaretur: vt iuxta Chriſti inſtitutionem & mandatum, Euchariſtiæ ſacramentum ſub vtraque ſpecie ab omnibus ſumeretur: vt publica ac manifeſta flagitia in quolibet hominum ſtatu, legitimè corrigerentur: vt denique Sacerdotes ac clerici docerent, non regio more dominarentur, & ditiones ac prouincias poſſiderent. His data lege conceſſis vt in reliquis dogmatis ac ritibus Eccleſiæ Romanæ prorſus ſe ſubijcerent: cæteris Iohanne Rokyzana præeunte acquieſcentibus, pauci tamen, & in his Thaboritæ, quos Valdenſium doctrinam amplexos fuiſſe hiſtoriæ teſtantur, cum Antichriſti fraudes quibus reliqui irretiti eſſent, non ignorarent, cæteroſque miſſarum abuſus, & ſacrificia pro viuis ac mortuis, inuocationem diuorum, cultus ſtatuarum, idololatricum cultum panis circumgeſtati, aliasque ſuperſtitiones pontificias plane aduerſarentur. Poſt longi temporis diſceptationes, tandem ſe à Pontificijs & Rochezanę auditoribus Pontifici coniunctis, prorſus ſeparant, & electis ex ſuo cœtu Eccleſiæ miniſtris, proprias congregationes inſtituerunt quæ inter varias perſecutiones & ærumnas multiplices hucuſque in Morauia, Bohemia, Polonia, & alibi conſeruatæ ſunt, & Valdenſium ac Picardorum nomine ab aduerſarijs paſſim traducuntur. Hæc ex hiſtorijs, ipſorumque relationibus, ac monumentis Chytræus. Quibus facile refellitur, quod de ſublatis vnico prędio Adamitis, à Ziſca Thaboritarum duce calumniaris, nō eſſe hoc in illa ſecta, vel actionis Eccleſiaſticę vllum argumentum, vel magnam aliquam commendationem. Gladio enim non verbo illam ſectam deletam, & ſolere Deum per impios, ipſumque diabolum, iudicia ſua exequi. Sed memineris te prius ſcripſiſſe: Nos diſciplinam Eccleſiæ noſtræ nullam, nec intenſam nec remiſſam oſtendere potuiſſe. Tune putas ex verbo Dei prius non damnatam fuiſſe Adamitarum heręſin, omneſque modos reuocandi ad ſaniorem mentem fœdiſſimos illos hæreticos, non fuiſſe prius aggreſſos, quam immedicabile vulnus enſe recidendum cenſuiſſent, ne pars ſyncera peſtilenti tabe infecta traheretur? Cum in ſynodo, audis, normam doctrinæ deſcriptam, Eccleſias, earumque paſtores & diſciplinam tam vitæ quam doctrinæ conſtitutam? Ita ad condemontionem ſubito animi impetu prorupiſſe Ziſcham imaginaris contra Adamitas, vt nunquam in iudicium vocatos, nunquam de hæreſi conuictos tanta ſtrage delere eos voluit, & prius ab ipſo interfectos, quam verum reſipiſcere vellent, expertus eſſet, omneſque diſciplinæ modos tentauiſſet. Hic igitur quam ridicule tergiuerſaris, nemo non videt. Cum contra Albigenſes in Gallia, Romanus Pontifex copias congregaret, principes incitaret, belli prouinciam quæreret, nullum fuit in hoc actionis Eccleſiaſticæ argumentum, nec bella quidem propria ſunt Eccleſiæ arma, ſed à brachio ſeculari auxilium annon petit, geſtra Eccleſia: fueritne hoc facto pius Ziſcha an impius, non quæritur, ſed an vllas Eccleſia noſtra hæreſes repreſſerit, quod erat poſtulatum Alani, cui mihi reſpondendum fuit. Quæ de Eccleſijs in Merindolo, Coſta, Cabriera, Muſſio, aliiſque prouinciæ & Pedemontanæ regionis oppidis, iam diu perduraſſe ſcripſi, non potuiſſe ſcilicet ſine vlla diſciplinæ executione tot ſæculis permanſiſſe, ſubſannas meque magnum antiquarium facis, qui tam præclara Eccleſiæ fugitiuæ monimenta in lucem proferam, multiſque conuitijs ac lædorijs inſectaris, quaſi quatuor hæc oppidorum nomina, quæ nec in hiſtoria vlla leguntur, nec in mappis regionum vllarum conſpiciuntur, ipſe confinxerim, & quo authore hæc didicerim, vrges vt proferam. Ego quidem tam celebrem hiſtoriam de Valdenſium in illis partibus horrenda ſtrage, tam nuper æditam, & peculiari libro deſcriptam, vt Sleidani nominatiſſimis commentarijs inſertam, libro 16. Liber.16.

nemini rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſo obſcura fuiſſe arbitrabar. Sed aut tu tantus theologus diſſimulas, aut quæ recentius contra eoſdem pios populumque vulgo Valdenſem appellatum Angrinicam, Lucernicam, Sanmartineam, Peruſinam, aliaſque regionis Pedemontanę Valles incolentem mota eſt perſecutio penitus ignoras, quamuis illa & Foxi monumentis, & commentarijs de ſtatu religionis & reipublicæ in regno Galliæ, & peculiari etiam libro Gallicè ſcripto, nunc etiam à Chriſtophero Richardo Biturige latinitate donato abunde teſtata omnibus decantatiſſima ſit, propter ſingulares victorias, quas Deus illis conceſſit contra hoſtes, & fœlicem exitum pace tandem illis à Sabaudię duce cum religionis auitę libertate conceſſa, & publico inſtrumento confirmata. Tu tamen ſcribis Pedemontanam regionem cum tota Sabaudia, totam adhuc ſub optimo ſuo principe Philiberto, Papiſticam perſiſtere, &c. Conuitia quæ tam in Geneuenſem ciuitatem, & Eccleſiam eiuſque paſtorem clariſſimum Caluinum quam in me peculiariter euomuiſti, cum ad cauſam à te ſuſceptam nihil faciant, noſtræ fidei ſynceritatem apud neminem bonum aut prudentem lædere poſſint, prudens prætereo. Eius Eccleſiæ quæ à Dracone in deſertum pulſa, ad tempus à Deo præfinitum latere debuit, membrum me eſſe nunquam vt ſpero pudebit. Hanc tu vtcunque multis contumelijs lacerare non deſinis, fugitiuam, abiectam, deſpectam, meretricem in angulis latitantem appellando, & cætera è triuio ar-

repta

cepta conuitia in eam iaciendo, quæ tibi fugiendi, latendique verba homini perito rixandi calumniandique ſubminiſtrarunt, cum tamen glorioſa Chriſti ſeruatoris vnici ſponſa ſit, & mulier illa ſole amicta, lunam ſub pedibus calcans, duodecim ſtellarum corona redimita, Deoque inprimis chariſſima: Vt nunc demum ex illis tenebris tibi tantopere exoſis, ſummo Dei in electos beneficio, emerſerit: ita ſpecioſam illam meretricem magnam Babylonem inquam, matrem omnium abbominationũ terræ, ſeptem collibus inſidentem, ciuitatem dico quæ acceptæ reuelationis tempore, imperium habuit in reges terræ, & in eoſdem nunc vendicat, damnatam, contemptam, proſtratam, funditusque ſubuerſam idque ſine vlla reparationis ſpe, tandem aliquando videbit. Verax eſt enim & fidelis qui promiſit, illam fore perpetuam, hanc vero ab ipſis fundamentis euerſam, tanquam lapidem molarem in mare ab Angelo forti coniectam fore quę nunquam reſurgere poterit.

AN PROTESTANTVM Eccleſia aliquas hæreſes *vnquam repreſſerit.*

CAPVT XIII.

Stapletonus.

ALIA *pars primæ quæſtionis erat, quas hæreſes repreſſit, vel quomodo hæreſes redarguebas, illa veſtra latitans, & fugitiua Eccleſia. Huic quæſtioni cùm reſpondiſſes* per verbum Dei, & tyrannidem noſtram patienter ferendo hoc factum à vobis fuiſſe, *replicaui ego ridiculum hoc eſſe, hæreſes à vobis repreſſas eſſe, perſecutionem illatam tolerando. De verbo Dei quod dicebas, quia vulgare eſt, & omnibus hęreticis commune, nihil volui dicere. Hic tu rurſum me aggrederis & dicis.* Annon legiſti victum à fidelibus Satanam per ſanguinem Agni, verbumque teſtimonij ipſorum qui non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem? Apocal. 12. *Omnino legi. Sed ad hæreſes repreſſas vel reprimendas per patientiam Sanctorum hæc verba pertinere nunquam intellexi. Vincunt per patientiam vſque ad mortem Satanam fideles, tam contra hæreticos quàm contra Ethnicos perſequentes, Satanæ in hac parte miniſtros, in eo quod à fide Chriſti & profeſſione nominis eius nulla perſecutionum vi, ſeſe*

Quomodo per patientiam vincunt Satanam fideles.

ſeſe quo ad perſonas ſuas abduci patiuntur. Et hoc ſanè eſt, in ſe ipſis, hæreſibus non cedere. Sed hoc non eſt hæreſes in Eccleſia reprimere; hoc non eſt hæreſes redarguere atque conuincere. Denique hoc non eſt alios ab hæreſi conſeruare, lupum venientem abigere, ouile Chriſti conſummare & inſtruere ne circunferantur omni vento Doctrinæ: *quod vnum eſſe officij paſtoralis partem Apoſtolus expreſſè docuit. Et de ipſis paſtoribus atque Epiſcopis Eccleſiæ tuæ quærebatur, quo modo hæreſes redarguebant qui nuſquam in terris apparebant. Tolerantia autem & patientia Sanctorum, omnium fidelium eſt, & ad victoriam perſonalem pertinet; paſtorum officium adhuc amplius eſt, & ad victoriam quandam Doctrinalem ſpectat: non ſolùm ferendo & patiendo, ſed etiam agendo, docendo, prædicando, excommunicando, contra hæreticos & hæreſes reprimendas contendere. Quare nihil ad quæſtionem propoſitam, aut ad reſponſionem tuam ille Apocalypſis locus facit.*

Ioan. 10.

Epheſ. 4.

Victoria perſonalis & doctrinalis reſpectu hæreſium.

Subiungit, Quanquam ſcripſiſſe me ſola perſecutionum tolerantia repreſſas à nobis hæreſes fuiſſe, omni verecundia remota, mentiris (vt ferè ſemper) apertiſſimè. *At relege iterum etiam in libello tuo verba mea, & vide an de ſola perſecutionum tolerantia, quaſi à te aſſerta, aliquid dixerim. Et vbi inueneris, me illud (ſola) non poſuiſſe, memineris mutato nomine de te fabulam narrari quam narraſti. Sed illud ſanè dixi, ad quod tu ne verbum quidem reſpondiſti,* ſanctiſſimos Epiſcopos primorum illorum ſeculorum ſententijs contra hæreſes latis, ſcriptis libris, coitione Synodali hæreſes repreſſiſſe: *Et aliquot mox exempla ſubieci. Nunc autem in hoc ſcripto*

Cap. 10.

to plura recenſuimus paulo ſuperius. Ad illa tria reprimendi & redarguendi hæreſes genera, nihil prorſus hoc loco reſpondiſti. Sed conficta calumnia rixando & conuiciando cauſam obtinere te poſſe mulierculariam more ſperaſti. Quare & iterum paulo poſt ſubiunxiſti: Ita
„ cùm deſit quod ſub leui aliqua veritatis ſpecie &
„ vmbra reprehendere valeant, non pudet per-
„ frictæ ad omnem impietatem frontis hominem,
„ ea quibus nullus omnino color induci poſſit, au-
„ daciter & ſine rubore comminiſci. *Non deſunt tibi*
G. F. *ad rixandum & conuiciandum verba. Sed deſunt tibi ad redarguendum valida argumenta. Ad maledicendum promptus es: ad ea confirmanda quæ dicis mutus es. Canina facundia polles. Vtinam in vera Theologia perinde valeres. Quid enim? Ne leui quidem aliqua veritatis ſpecie & vmbra reprehendere se potuit? Quî fit igitur quod ad tria illa reprimendi hæreſes media, inprimis illis centuriis ſub cruce poſitis adhibita, in tua autem fugitiua nuſquam apparentia, quæ diſertè commemoraueram, nihil reſpondes? Quid? Commemoratio illa ne leuem quidem vmbram aut ſpeciem veritatis habuit? Quare igitur vno ſaltem verbo illa tria, vel vt nihil ad rem pertinentia non confutaſti, vel in tua fugitiua etiã reperiri non ſecus quàm in prima Eccleſia non oſtendiſti? Perfrica hîc frontem, ſi quam habes homo audaciſſime.* Nam frontẽ hæreticorũ nullã eſſe rectè *annotauit Auguſtinus. Sed me magnopere delectat eam cauſæ noſtræ firmitatem eſſe, vt nihil viro dignum reſpondere valens, ad muliebria conuicia se conuertere ſis coactus. Quare repeto argumentum iſtud, quod nunc magis amo, quum videam te niſi rixando reſpondere quicquam potuiſſe. Eccleſiæ Chriſti partes ſunt hæreſes*

Singularis aduerſarij impudentia.

Cótra Iulian. Lib.4.cap.3.

redarguere, conuincere, reprimere.

Fecit hoc Prima Eccleſia, etiam ſub cruce poſita, & iugo Ethnicorum perpetuo ſubdita, latis contra hæreticos ſententiis, correptionis, excommunicationis & degradationis cenſuris. Scriptis quoque libris doctiſſimis, frequentibus denique Epiſcoporum Synodis. Leguntur enim hæc omnia in Hiſtoria Eccleſiaſtica temporis illius ab Euſebio Pamphili deſcripta, & in aliis illorum temporum ſcriptis monimentis. Exempla in unoquoque genere partim in hac diſputatione paulo ſuperius, partim in hoc quem aduerſarius confutat loco, produximus. At fugitiua & latitans Proteſtantium Eccleſia nullum exemplum proferre poteſt, quo vel latis ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, vel ſcriptis libris, vel collecta aliqua Synodo hæreſes & errores illorum temporum longè ſanè fœdiſſimos, Græcorum, Albigenſium, Waldenſium, Flagellantium, Huſſitarum, vel aliorum quorumcunque repreſſerit, aut reprimere conata fuerit. Proculdubio igitur vel commentitia & conficta chimæra eſt quæ nuſquam extitit, vel ad unam aliquam ex hæreſibus illis, quæ his poſtremis ſeculis clanculum & certis in locis pullularunt, pertinet. Niſi fortè (quod vero propius eſt) omnium illorum hæreſium, his aliquot ſeculis pullulantium, compendium quoddam atque complementum eſt: ſuperadditis tamen portentoſis aliis quibuſdam dogmatibus, quæ nulla hactenus vel ætas audiuit vel hæreſis excogitauit.

Cap.10.

Fulco. IAmpridem Adamitarum hæreſin, non repreſſam modo ſed penitus extinctam, opera Ziſchæ Bohemiorũ fortiſſimi ducis, tua etiam confeſſione accepimus. Sed aliam rem agis ac tuo honori in manifeſto mendacio à me deprehenſus conſulis. Sequor te ergo quocunq; vocaris. Alia (inquis) pars primæ queſtionis erat: quas hæreſes repreſſit, vel quomodo hæreſes redarguebat, illa veſtra latitans & fugitiua Eccleſia. Sed hic vt tractatus titulo capitis aliquo modo reſpondeat, & ego de duobus interrogatus de altero tantum callide reſpondiſſe videar, affingis ipſe quęſtionis partem, quæ nulla erat, non enim quas hæreſes repreſſit, pars vlla fuit iſtius quæſtionis cui reſpondi, ſed tantummodo altera illa quomodo redarguebat hęreſes? Reſpondi *per verbum Dei & tyrannidem veſtram patienter ferendo; quorum alterum legere poſſis in ipſorum ſcriptis quæ extant Wiclephi, Bertrami, Huſſi, &c. de altera veſtræ ipſorum hiſtoriæ teſtantur*. Huic reſponſioni replicaſſe te ais, ridiculum hoc eſſe hæreſes à nobis repreſſas eſſe, perſecutionem illatam tolerando. De verbo Dei quid dicebam, quia vulgare eſt, & omnibus hæreticis commune, nihil dicere voluiſti. Verum interim ego appoſite reſpondi quęſtioni cum ex verbo Dei redarguendas eſſe hęreſes, vtcunque illud omnes hæretici falſo iactitant, nemo Chriſtiana pietate imbutus dubitauerit, maximè, cum non de reprimendis, ſed de redarguendis hæreſibus quæſtio propoſita eſſet. Aliud eſt enim vt

puto hæreſes reprimere, aliud redarguere. Ad reprimendas hæreſes multis opus eſt, diſciplina, ſupplicio etiam & gladio interdum ciuili, ad redarguendum hæreſes ſufficere docuit Apoſtolus verbum Dei, ſacris literis comprehenſum. 2.Tim.3. Iniquè igitur quod ego de modo redarguendarum hæreſeon poſtulatus reſpondi, tu ad repreſſas hæreſes trahis. Ridiculum eſſe dicens hęreſes à nobis repreſſas fuiſſe, perſecutiones illatas tolerando. Merito te igitur rurſus aggredior, & quæro, *annon legeris victum à fidelibus ſatanam per ſanguinem agni verbumque teſtimonij ipſorum qui non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortẽ.* Omnino te legiſſe fateris,
ſed ad hæreſes repreſſas vel reprimendas per patientiam “
ſanctorum hæc verba pertinere nunquam “
intellexiſti. Tolerantia enim omnium fidelium “
eſt, & ad perſonalem victoriam pertinet, “
paſtorum amplius eſt officium & ad victoriam “
quandam doctrinalem ſpectat. Sit ita vt dicis, annon “
gladius verbi Dei acutiſſimum paſtorum telum eſt quo ſatanam eiuſque omnes emiſſarios milites ac inprimis hæreticos trucidant? Primo igitur loco conſtitui verbum Dei, cui ſubiunxi patientiam ſanctorum, tam paſtorum quam aliorum fidelium, qui cum verbo Dei hæreticos hoſtes fidei redarguerunt ſuperaueruntque, perſecutiones etiam ipſorum inuidia excitatas patienter ferendo, non ſibi ſolum, ſed etiam Eccleſię, victoriam paruit immortalem. Sanctorum enim patientia, non ſolum eſt aliqua fidei confirmatio his qui in orthodoxæ Eccleſiæ caſtris militãt, ſed multos etiam hæreticorum labe infectos vehe-

mentius percellit, vt ad veritatem è ſacris ſcripturis eruendam diligentius animum intendunt, vt tandem ex diaboli laqueis expergefacti reſipiſcere diſcant.

Quod te apertiſſimè mentitū eſſe profitebar, cum ita meam reſponſionem vt ridiculam exagitas quaſi ſola perſecutionum tolerantia repreſſas fuiſſe à nobis hæreſes ſcripſerim, moleſte admodum fers, meque relegere verba tua iterum iubes, & vbi inuenero te illud (ſola) non poſuiſſe, agnoſcere, mutato nomine de me fabulam narrari, quam narraui. Hic eadem aſtutia qua de fide ſola iuſtificanda ſoletis, (qua nulla doctrina in ſcripturis illuſtrior) de voce (ſola) rixam moues inanem. Quaſi ego de vocula illa (ſola) meis verbis addita te redarguere voluerim, ac non potius quod ipſe fateris, cum ego tum verbo Dei, tū perſecutionum tolerantia hæreſes à nobis redargutas ſcripſiſſem, tu cum de verbo Dei nihil dicere voluiſti, ſola perſecutionum tolerantia repreſſas à nobis fuiſſe hæreſes, fuiſſe ridiculum dicis. Quare non eſt quod rideas, de te enim nomine retento fabula adhuc narrata, omnium æquorum hominum iudicio videbitur.

Sed illud ſanè dixiſſe te ais, ad quod ego ne verbum quidem reſponderim, „Sanctiſſimos Epiſcopos primorum illorum ſæculorum ſentententijs contra hæreſes latis, ſcriptis libris, coitione ſynodali hæreſes repreſſiſſe, ad quæ tria reprimendi, & redarguendi hæreſis genera, nihil prorſus hoc loco reſponderim. Siccine ais Stapletone? ne verbum quidem, nihil prorſus reſponſpondi? Certe oculi tibi non in capite erant vbi ſapientis oculos collocat Solomon, ſi illam ſaltem reſponſionem meam non vidiſti. Redarguebant hæreſes per verbum Dei, & tyrannidem veſtram patienter ferendo. Quorum alterum legere poſſis in ipſorum ſcriptis quæ extant Wiclephi, Bertrami, Huſſi &c. an hic nihil prorſus ne vnum quidem verbum reſpondi? Porro cum repreſſam dixeram & funditus deletam ab his in Bohemia Adamitarum pernitioſam ſectam, annon & latam ſententiam & coitionem etiam ſynodalem quatenus neceſſe fuit ad hæreſim damnandam, omnium prudentium iudicio complexus ſim? Recte igitur à te ſingularis aduerſarij impudentia notata eſt, ſed mutato nomine de te ipſo fabulam narraſti qui multis inanibus conuicijs in me debacchatus es; quod nihil reſponderim ne vno ſaltem verbo, tria illa confutauerim, ſed ad muliebria conuitia conuertere me coactus fui, & reliqua huiuſmodi, quæ tibi ſuaſit, non ratione homine digna, ſed ſplendida bilis quæ. maximè regnat in belluis.

Sed illud ſubtilitate ſua nubes penetrat, quod errores illorum temporum longe grauiſſimos, Græcorum, Albigenſium, Waldenſium Flagellantium, Huſſitarum vel aliorum quorumcunque Eccleſia latens ac fugitiua nec repreſſerit, nec reprimere conata ſit. Græcorum certe errores quos vobiſcum communes habent, eadem opera redarguebant cum veſtris, idem dico de flagellantibus, quos vos tantum abeſt vt repreſſeritis, vt & in Hiſpania aliquo modo retinueri-

tis, & nunc etiam in Ieſuitis veſtris quaſi ab inferis eorum conſuetudinem atque errorem reuocaueritis. Albigenſes, Waldenſes, Huſſitæ, non magis ab illis impugnati ſunt, quam à vobis, Romanenſes pontificij, Papiſtæ. Quod autem tan-
„ quam vero propius addis, omnium illarum hæ-
„ reſeωn his aliquot ſæculis pullulantium, com-
„ pendium quoddam & complementum, ſuper ad-
„ ditis etiam portentoſis alijs dogmatibus, quæ
„ nulla hactenus ætas audiuit, vel hereſis exco-
„ gitauit, hoc inquam totum conuicium eſt, non argumentum, blaſphemia & mendacium, non ratio & demonſtratio.

AN VERBI PRÆDICATIO aut Sacramentorum adminiſtratio *aut vlla denique diſciplina* in Proteſtantum Eccleſia his multis ſeculis apparuerit?

CAPVT XIIII.

Stapletonus.

ALia quæſtio erat, quibus & vbi verbum Dei prædicauit occulta tot ſeculis, latitans, & fugitiua Proteſtantium Eccleſia, ſi fortè vel ex gentibus aliquis Baptiſmum vel Chriſtianus communionem ab illa petere vellet. Vbi concilia coegit? Quomodo turbulenti

bulenti fratres corripi potuerunt? Vbi Synaxes celebratæ,
vbi matrimonia inita? Ad hæc & his Affinia
quum ille reſpondiſſet, verbum fidei illis prædicarum «
fuiſſe qui ad illud audiendum accedere voluerunt, «
cætera vero partim in afflicta Eccleſia «
non eſſe expectanda, partim illos aſſequi potuiſſe, «
qui veram Eccleſiam diligenter quæſitam
inueniſſent. *Dixi non minus ridiculè & ineptè quam*
impiè & ſceleratè hæc ab illo reſponderi. Hæc enim
ne aliquando acciderent, ne prædicationis defectus eſſet,
ne Sacramentorum vſus petentibus vnquam deeſſet,
ne diſciplina iaceret, ne ad fidem Chriſti aditus aliquando
non pateret, Deum voluiſſe vt Chriſti eius Eccleſia
mundo ſemper & gentibus eſſet conſpicua: poſt Philip.3.
exaltationem filij eius; vt in nomine eius omne genu
flectatur, & omnis lingua id eſt *omnium gentium*
fides confiteatur, quia Chriſtus eſt in dextera
Dei Patris: *quia huic* dedit Deus gentem hæreditatem Pſal.2.
ſuam; quia *hoc demum modo* cognoſcet Ioan.17.
mundus quod pater eum miſit: *quia denique* dederat Epheſ.4.
Eccleſiæ ſuæ paſtores & doctores *qui futuri* Matth.5.
eſſent lux mundi; Ciuitas ſuper montem poſita,
dati in ædificationem corporis Chriſti donec occurramus
omnes in agnitionem filij Dei. *Hæc*
enim & multo his plura in eo loco expoſueram operis huius,
ad quem locum lectorem tunc referebam. Ad hoc
totum, quo certè vno validiſſimo argumento, occulta, inuiſibilis,
latitans, & fugitiua Proteſtantium Eccleſia
abunde confutatur, audiamus quid reſpondeat. Ait
Illud verò perodioſum eſt, te omnia mendacijs
peruertere ac rapere in ſenſum maligna interpretatione
longè alieniſſimum, *Quî ſic vir bone?* De-

» feciſſe, *inquis*, prædicationem verbi, aut Sacra-
» mentorum vſum interijſſe non dixi ac ne ſenſi
Rom.10. quidem. *Quod ita non ſenſeris gaudeo. An ſic dixeris,*
2. *mox videbo. Sed interim peto, moneo, vrgeo, ſi prædi-*
catio verbi in veſtra fugitiua his tot ſeculis nõ interiit,
vt prædicatores iſtos tot ſeculorum ſectæ veſtræ profe-
1.Timot. 4. *ras.* Quomodo enim audient ſine prædicante?
Deinde vbi eos protuleris, vt à quo vel quibus legitimè
miſſi, ordinati, & per manuum præsbyterij impo-
ſitionem *ad hoc munus ſegregati fuerunt, oſtendas.*
Rom.10. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?
3. *Rurſum ſi Sacramentorum vſus in veſtra fugitiua his*
tot ſæculis non interiit, horũ Sacramentorũ adminiſtra-
1.Cor.4. *tores,* & diſpenſatores myſteriorum Dei *profer. Ec-*
4. *cleſias quoque, Baſilicas, & templa in quibus ad illa ad-*
miniſtranda conuenerint, oſtende.

5. *Normam denique certam atque præſcriptam qua vſi*
fuerint, ceremonias quas adhibuerint, demonſtra. Hæc
vbi protuleris, oſtenderis, demonſtraueris, credemus te re-
ctè ſentire, id eſt, & ex animo vt loqueris, & ex recto iu-
dicio, ac verbi prædicationem & Sacramentorum vſum
non interijſſe. Nunc an non ſic dixeris videamus. Re-
ſpondi (*inquis*) interrogato. *At plura erant & varia*
interrogata, quorum tu hic vnum tantum commemoras,
vt fucum lectori facias. Sed quid reſponderis audiamus.
Scripſi, *inquis*, non difficile fuiſſe vt inueniret Ec-
cleſiam quam ſolam eſſe Chriſti ſponſam crede-
ret; ſiquidem à quibus edoctus eſſet, hunc cœ-
tum quantumuis mundo deſpicatiſſimum, eſſe ta-
men glorioſam Dei viuentis Eccleſiam, ab eiſdem
ad eius communionem adduci potuerit. *Eſto ſic*
ſcripſeris. Sed & illa alia à me hoc loco quem impugnas
com-

commemorata ſi te ſcripſiſſe negas, libellus tuus vernacula lingua ſcriptus & editus, mendacij te manifeſti, ſed non primi, conuincet. Quanquam quod nunc ſcripſiſſe te ais, expendamus. Ais non difficile fuiße tempore latitantis tuæ fugitiuæ, quærenti vel baptiſmum vel aliquod aliud ſacramentum, veram inuenire Eccleſiam: & modum oſtendis. Siquidem, inquis, à quibus edoctus eſſet illam eſſe veram Eccleſiam vtcunque mundo deſpicabilem, ab ijſdem ad eius communionem adduci potuerit. Hoc ipſum dico perridiculè & ineptiſſimè à te ſcriptum & reſponſum eße. 1. Primum enim quæro, Doctores illos à quibus edoceretur, illam mundo deſpicabilem veram eſſe Eccleſiam, vbi aut quomodo aut quando inueniret quos toto orbe latitaſſe dicis in deſerto? quos tu ipſe quãtumcunq; oculatus & lynceus, quantumcunq; ſpiritalis, quantuſcunque antiquarius, & in commentariis illorum verſatißimus adhuc inuenire, perſpicere aut proferre non potuiſti? quos denique initio huius ſchiſmatis veſtri, nulli magiſtrorum tuorum vlla orbis in parte inuenire aut animaduertere potuerunt, vt ab illis ad verbi miniſterium ordine & legitimè vocarentur, ſacramenta acciperent, Sacramentorum adminiſtrandorum Normam diſcerent? Quid? Potuit tunc quilibet catechumenus non difficulter illius Eccleſiæ Doctores & Magiſtros inuenire, quos vos tanti & ſpirituales viri necdum inuenire potuiſtis? 2 Deinde fuit illa veſtra fugitiua non cætus aliquis mundo deſpicabilis vt hic ſcribis, ſed cætus & ſocietas mundo prorſus incognita, latitans & occulta, vt ſemper affirmas. Quomodo autem homines deſpicere potuerunt, quod penitus ignorarunt? 3. Rurſum vt fuerit mundo impiorum deſpicabilis, piis tamen & ſpiritualibus viris cognitus ille cætus Eccleſiæ

Proteſtantium Eccleſia inueniri non potuit.

tuæ latitantis; quæro abs te, catechumenus iſte tuus baptiſandus, vel hæreticus aliquis verbi prædicationem apud vos auditurus, & ad veræ Eccleſiæ veſtræ gremium libenter acceſſurus, quo tandem modo, qua via, qua ratione, quibus mediis, notis & ſignis, aut denique argumentis, veſtros illos pios & ſpirituales, à mundo & multitudine impiorum diſcerneret? Hîc in re tanta qua nulla ad ſalutem maior, nihil dicis, nihil doces, niſi quod facile dicas inueniri ab illis Eccleſiam potuiſſe, ſi à quibus edocerentur veram eſſe veſtram Eccleſiam illis credere vellent. Et quis de eo dubitat vir optime? Sed hoc quæritur, hoc opus, hic labor eſt, veros Doctores, veros magiſtros adipiſci, à quibus diſcat & quibus edoctus credere debeat, vel catechumenus vel ab hæreſi reuocandus. Et nos ſanè dicimus, hanc ipſam ob cauſam, id eſt vt huic immani difficultati *(vt Auguſtinus eam vocat)* occurratur, *(qua vt ſtultus inueniat ſapientem à quo ſapiens fiat nulla ferè maior eſt) & vt ſemper pateret aditus gentibus ad fidem, hęreticis ad reconciliationem, fidelibus ad quorumcunque ſacramentorum vſum, ſingulari Dei prouidentia factum fuiſſe, vt Eccleſia Chriſti à prima ſua propagatione in toto curſu & progreſſu ſuo illuſtris & conſpicua eſſet, vt eius paſtores & Doctores per certam ſucceſſionem non eorundem ſemper locorum, ſed perſonarum & locorum toto orbe patentium, liquidò & clarè innoteſcerent: denique vt eſſet* Ciuitas ſuper montem poſita quæ abſcondi non poteſt: *ideoque hoc ipſum in lege, in pſalmis, in Prophetis prædictum; in Euangelio promiſſum, in reipſa exhibitum oſtendimus. Lege ſi placet, ſi nondum legiſti, quæ ad hãc rem confirmandam hoc in opere lib. 2. cap. 6. & 7. diſputauimus. Animaduertes opinor & clarè videbis nec aliter*

Neceſſariò inueniendi veri magiſtri, vt vera inueniatur Eccleſia.

De vtili. cred. cap. 15.

Vide huius Operis lib. 2. cap. 6.

Matth. 5.

fore prædictum, & promiſſum fuiſſe; nec aliter fieri debuiſſe, aut potuiſſe. Tu autem cum tua latitante & tenebricoſa Eccleſia in perpetuis tenebris & pluſquam cymmeriis, tuos tot ſeculorum catechumenos & fideles relinquis.

Audiamus tamen quæ adhuc ſubiungis, & an illa propius ſcopum attingant, videamus. Ais. Patuit etiam ad fidem Chriſti aditus omnibus in Chriſto electis. Quos enim antè iacta mundi fundamenta Deus ad ſalutem præordinauerat, eoſdem etiam ſuis temporibus per Euangelij prædicationem ad veritatis agnitionem vocauit. Vaſa verò iræ &c. Paſſus eſt ſeduci.

Sed vide obſecro quam nihil adhuc ad rem reſpondiſti. Patuiſſe aditum ad fidem electis nemini dubium eſt, quia ſine fide non ſaluantur. Sed quæritur cuiuſmodi iſte aditus fuerit & quomodo patuerit? An aliter quæſo quàm per Eccleſiæ vocem? Quomodo enim credent, quem non audierunt? & quomodo audient ſine prædicante? fides ergo ex auditu. Auditus autem per verbum Chriſti, *vtique prædicatum & reſonans in ore eorum, quorum ſonus in omnem terram exiuit. Patuit igitur aditus ſed per Eccleſiam, eamq; propterea, (vt reuera pateret aditus non lateret,) perpetuò cognitam atque perſpicuam. Sic* quos Deus prædeſtinauit, eos & vocauit. *Sed opera &* miniſterio ſeruorum ſuorum quos miſit vocare inuitatos ad nuptias. *Potuit quidem Deus ſine vllo Eccleſiæ aut hominum miniſterio, omnes homines ſaluos facere, electos vocare, vocatos iuſtificare, iuſtificatos confirmare, &c. Sed voluit omnia miniſterio ſuæ Eccleſiæ facere, vt tuus etiam Caluinus* G.F. *accuratè admodum exponit & explicat.*

Rom. 10.

Rom. 9.

Matth. 22.

Inſtitut. lib. 4. cap. 1. ſect. 5.

plicat. Quare hanc Eccleſiam quærimus, ne illam non inueniendo, in deſerta & penetralia hęreticorum incidamus. Quod tamen ne fieret, præmonuit Chriſtus, dicens. Nolite credere, nolite exire. *Vides ergo G.F. & videt tecum cordatus quiſque lector, quam planè nihil ad quæſtionem hanc longè maximam reſponderis. Vides poſita tua latitante & fugitiua per aliquot iam ſecula, neceſſariò conſequi his aliquot ſeculis non patuiſſe aditum gentibus ad fidem & baptiſmum, hæreticis ad reſipiſcentiam & reconciliationem, fidelibus vllis ad Sacramentorum vſum aut Doctrinæ cæleſtis inſtitutionem. Vides denique vel hanc ipſam ob cauſam nihil eſſe hac tua poſitione & vaniſſima latentis in deſerto Eccleſiæ opinione, aut ineptius, aut abſurdius aut etiã peſtilẽtius. Pergamus ad alia.*

Fulco. Satis vt opinor validis rationibus, aliquo etiam hiſtoriæ teſtimonio confirmatis, demonſtraui, verbi prædicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, diſciplinæ etiam executionem, quantum ad electorum ſalutem neceſſe fuit, & in afflicta ac ſubinde locum mutare coacta Eccleſia fieri potuit, in Eccleſia Chriſti his multis ſæculis ab Antichriſto
perſecutionem paſſa viguiſſe. Sed aliam quæſtio-
„ nem fuiſſe dicis, quibus & vbi verbum Dei prædi-
„ cauit, occulta tot ſeculis latitans Eccleſia, ſi forte
„ vel ex gentibus aliquis Baptiſmum, vel Chriſtia-
„ nus communionem, ab illa petere vellet. Vbi con-
„ cilia coegit? Quomodo turbulẽti fratres corripi
„ potue-

potuerunt?Vbi ſynaxes cælebratæ?Vbi matrimonia vnita? Adhæc & his affinia me reſpōdiſſe ais. *Verbū fidei illis prædicatū fuiſſe qui ad illud audiendum accedere voluerūt, cætera vero partim in afflicta eccleſia nō eſſe expectāda, partim illos aſſequi potuiſſe, qui veram eccleſiam diligenter quæſitā inueniſſent.* Reſpondi quidem hæc & alia vt cuiuis legenti promptum eſt videre. Tu vero dixiſti, non minus ridicule & ineptè quam impiè ac ſceleratè hæc à me reſponderi. Hæc ne aliquando fierent, ne prędicationis defectus eſſet, ne ſacramentorum vſus vllo vnquam tempore petentibus deeſſet, ne diſciplina iaceret, ne ad fidem Chriſti aditus non pateret, Deum voluiſſe vt Chriſti eius Eccleſia mundo ſemper ac gentibus eſſet conſpicua poſt exaltationem filij eius, vt in nomine eius omne genu flectatur, & omnis lingua, id eſt omnium gentium fides confiteatur, quia Chriſtus eſt in dextra Dei patris. Phil.3. Quod vaticinium Eſaiæ cum Apoſtolus Rom.14. ad extremum mundi iudicium per Chriſtum exercendum manifeſtè referat, vt alia abſurda taceam, quæ tuam interpretationem conſequūtur, tu videris quam dextrè ac Theologicè ad conſpicuam in toto ſuo curſu demonſtrādam Eccleſiam adaptaueris. Quin & illud Pſal.2. dedit ei gentes hæreditatem, quaſi nos de alia quam de gentibus collecta Eccleſia diſputemus. Deinde quia hoc demum modo, cognoſcet mundus quia pater eum miſit, Io.17. At alium modum Chriſtus explicat: Ego inquit gloriam quam dediſti mihi, dedi illis, vt ſint vnum, quemadmodum nos vnum ſumus, ego in ipſis & tu in me, vt ſint *plicat. Quare hanc Eccleſiam quærimus, ne illam non inueniendo, in deſerta & penetralia hęreticorum incidamus. Quod tamen ne fieret, præmonuit Chriſtus, dicens.* Nolite credere, nolite exire. *Vides ergo G.F. & videt tecum cordatus quiſque lector, quam planè nihil ad quæſtionem hanc longè maximam reſponderis. Vides poſita tua latitante & fugitiua per aliquot iam ſecula, neceſſariò conſequi his aliquot ſeculis non patuiſſe aditum gentibus ad fidem & baptiſmum, hæreticis ad reſipiſcentiam & reconciliationem, fidelibus vllis ad Sacramentorum vſum aut Doctrinæ cæleſtis inſtitutionem. Vides denique vel hanc ipſam ob cauſam nihil eſſe hac tua poſitione & vaniſſima latentis in deſerto Eccleſiæ opinione, aut ineptius, aut abſurdius aut etiã peſtilẽtius. Pergamus ad alia.*

Fulco. SAtis vt opinor validis rationibus, aliquo etiam hiſtoriæ teſtimonio confirmatis, demonſtraui, verbi prædicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, diſciplinæ etiam executionem, quantum ad electorum ſalutem neceſſe fuit, & in afflicta ac ſubinde locum mutare coacta Eccleſia fieri potuit, in Eccleſia Chriſti his multis ſæculis ab Antichriſto perſecutionem paſſa viguiſſe. Sed aliam quæſtionem fuiſſe dicis, quibus & vbi verbum Dei prædicauit, occulta tot ſeculis latitans Eccleſia, ſi forte vel ex gentibus aliquis Baptiſmum, vel Chriſtianus communionem, ab illa petere vellet. Vbi concilia coegit? Quomodo turbulẽti fratres corripi potuerunt? Vbi ſynaxes cælebratæ? Vbi matrimonia vnita? Ad hæc & his affinia me reſpōdiſſe ais. *Verbū fidei illis prædicatū fuiſſe qui ad illud audiendum accedere voluerūt, cætera vero partim in afflicta eccleſia nō eſſe expectāda, partim illos aſſequi potuiſſe, qui veram eccleſiam diligenter quæſitā inueniſſent.* Reſpondi quidem hæc & alia vt cuiuis legenti promptum eſt videre. Tu vero dixiſti, non minus ridicule & ineptè quam impiè ac ſceleratè hæc à me reſponderi. Hæc ne aliquando fierent, ne prędicationis defectus eſſet, ne ſacramentorum vſus vllo vnquam tempore petentibus deeſſet, ne diſciplina iaceret, ne ad fidem Chriſti aditus non pateret, Deum voluiſſe vt Chriſti eius Eccleſia mundo ſemper ac gentibus eſſet conſpicua poſt exaltationem filij eius, vt in nomine eius omne genu flectatur, & omnis lingua, id eſt omnium gentium fides confiteatur, quia Chriſtus eſt in dextra Dei patris. Phil. 3. Quod vaticinium Eſaiæ cum Apoſtolus Rom. 14. ad extremum mundi iudicium per Chriſtum exercendum manifeſtè referat, vt alia abſurda, taceam, quæ tuam interpretationem conſequūtur, tu videris quam dextrè ac Theologicè ad conſpicuam in toto ſuo curſu demonſtrādam Eccleſiam adaptaueris. Quin & illud Pſal. 2. dedit ei gentes hæreditatem, quaſi nos de alia quam de gentibus collecta Eccleſia diſputemus. Deinde quia hoc demum modo, cognoſcet mundus quia pater eum miſit, Io. 17. At alium modum Chriſtus explicat: Ego inquit gloriam quam dediſti mihi, dedi illis, vt ſint vnum quemadmodum nos vnum ſumus, ego in ipſis & tu in me, vt ſint perfecti in vnum, & vt cognoſcat mundus quod tu me miſeris, & dilexeris illos ſicut me dilexiſti. Quæ ad pręmium æternæ beatitatis conſummatis in Chriſto membris eius, quem totus mundus tandem agnoſcet manifeſtè referenda ſunt, non ad aſpectabilem aliquam in mundo gloriam ex qua mundus cognoſcet, Chriſtum à patre fuiſſe miſſum. De paſtoribus & doctoribus Eccleſiæ datis qui futuri ſint lux mundi, ciuitas ſupra montem, ſatis alibi diximus, conſpicuam impiorum oculis, omnibus ſæculis Eccleſiam ex illis colligi nullo modo poſſe, latuiſſe enim ad tempus ab impiorum conſpectu, non paſtores modo, ſed etiam fideles in perſecutione Diocletiani, luculenter demonſtraui. Quod ſi vlla vis ſit tuorum argumentorum, ne ad momentum quidem, nec alicui impio ex gentibus, occulti poſſunt eſſe paſtores, quin fides promiſſionum Dei periclitetur. Sed ad hoc totum quo vno validiſſimo argumento occultam Proteſtantium Eccleſiam confutari putas, quid ego reſpondi? Scilicet te *omnia perodioſè mendacijs peruertere, ac rapere in ſenſum maligna interpretatione longè alieniſſimum, cum defeciſſe prędicationem verbi aut ſacramenturum vſum interijſſe non dixerim ac ne ſenſerim quidem.* Quod ita non ſenſerim gaudes, an vero dixerim mox videbis. Interim petis, moues, vrges ſi prædicatio verbi nõ interijt, vt prædicatores iſtos tot ſæculorum proferam. Aliquot protuli vt fidem facerem, non defeciſſe verbi prædicationem, plura à Foxo & alijs petere potes, omnia vero tot ſæculorum ac Eccleſiarum, in tam varijs regionibus diſperſarum ad me non peruenerunt nec peruentura vnquã ſpero. Sed vbi protulero non ſic acquieſces, ſed pergis petere, mouere, vrgere, à quo vel quibus legitimè miſſi, ordinati & per manuũ prȩsbyterij impoſitionem ſegregati fuerunt ad hoc munus, vt oſtendam. Næ ego magnus eſſem antiquarius, ſi horum omnium nomina ex archiuis depromere poſſim. Annon ſatis eſt docere ab Eccleſia fuiſſe ordinatos ac electos, vbi collecta fuit Eccleſia, à Deo miſſos & vocatos vbi nondum collecta eſſet? Et ne me hæc omnia ſinȩ vllo antiquitatis teſtimonio fingere cauilleris, Annon ex Reinero quadraginta Eccleſias, decem etiam in vna parochia apertas ſcholas protuli? Ex Chytræo etiam, quæ ille partim ex hiſtoria, partim ex Bohemicarum Eccleſiarum monimentis narrat, recenſui per annos quadringentos floruiſſe in Bohemia & Morauia eorum qui Valdenſes dicebantur Eccleſiam. Ex literis etiam Portuenſis Epiſcopi legati papalis in Gallia intelligimus Metropolitanum quendam in finibus Bulgarorum Croatiæ ac Dalmatiæ iuxta Hungariam agnouiſſe Valdenſes ſiue Albigenſes, quem ſi ei credimus papam ſuum nominabant (erat autem Papæ nomen omnibus Epiſcopis in Gallia, non multo ante commune, vt ex Sidonij monimentis cognoſcimus.) Ab hoc miſſus ad Tholoſſanos Bartholomæus quidam Epiſcopus vt idem refert, Epiſcopos creabat & Eccleſias ordinabat. Vnde liquidè conſtare poteſt cum bellis ac alijs perſecutionum generibus, pulſi ex agro Tholoſſano in alia loca migrare coacti eſſent, ordinatos fuiſſe in eis etiam locis Epiſcopos & Paſtores

Ioh. Fox. in Hen. 3.

ſtores, quamuis pontificijs laruis externa dignitate, ac gloria ſæculari minimè pares. Extat inter Epiſtolas Huſſi, presbyteri cuiuſdam Angli qui Richardus Witæwize dicebatur, Epiſtola Londino ad Huſſum miſſa, qua eum conſolatur, & ad fortiter in Euangelij negotio promouendo progrediendũ hortatur. Et habuiſſe ſuos paſtores Eccleſias illas Narbonenſis Galliæ, hiſtoria Merindolenſiũ perſecutionis declarat. Nã anno Domini 1530. cum accepiſſent in Germania & vicina Heluetia, tantam Euangelij lucem à paucis ante annis effulſiſſe, duos ex eorum Eccleſia miniſtros, Georgium Maurellum Delphinatem, hominem doctum, quem ſuis ſumptibus aluiſſent in literis, & Petrum Latonum Burgundum miſerunt, ad celeberrimas Eccleſias Argentinenſium, Baſilienſium, & Bernatum, earumq́; doctiſſimos miniſtros, Oecolampadium, Bucerum, Capitonem, Hallerum. Vt de doctrina quam à multis ſæculis profeſſi erant, & Eccleſiæ ritibus, cum eis conferrent, à quibus quoſdam etiam errores à maioribus acceptos emendare didicerunt. Quod tertio Sacramentorum adminiſtratores proferri iubes, eoſdem aio fuiſſe, qui paſtores erant. Quarto Eccleſias quoque, Baſilicas, & templa in quibus ad illa adminiſtrãda conuenerint, oſtendi tibi poſtulas. Quaſi non potuerit in occultis quibuſdam locis, cum grauiſſima perſecutione premerentur, ad ſacramenta adminiſtranda, vt in primitiua Eccleſia conuenire. Quando autem alicubi publice cœtus cogere liceret, eiuſdem proculdubio Baſilicis & templis vſi ſunt, quæ adhuc extant. In

Tholoſſana ſcilicet prouincia, Bohemia, Morauia, in qua Valdenſium templum Trebizæ ſe vidiſſe confirmat Chytræus nitidiſſimè ornatum hoc ipſo, quod nihil accerſiti ornatus haberet. Qui in vna prouincia 40. habuerunt Eccleſias, in vna paręcia decem ſcholas, vt ex Reineri teſtimonio citaui, annon etiam loca in quæ ad ſacramenta celebranda cõuenirent, habuiſſe vero ſimile eſt? Poſtremo normam certam atque præſcriptam, qua vſi fuerunt, ceremonias quas adhibuerunt, demonſtrare iubes. In ceremonijs, niſi his quæ ad ordinem & decorum neceſſariæ, ſecundum loca & tempora mutabiles ſunt, parciſſimi fuerunt. Si Reinero credimus, nulla certa ac præſcripta orandi formula vſi ſunt, præterquam oratione dominica, qua ſola vſum Petrum in Cœnæ celebratione, ſunt ex veſtris qui tradunt, quanquam credibile eſt miniſtrum vt occaſio ferebat, preces populi nomine concepiſſe. Qui tamen in Bohemia conſtitutas habent Eccleſias, exploſis Pontificijs ritibus vel impijs, vel ad ædificationem inutilibus: ad primæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſimplicitatem & grauitatem, totum ordinem concionum, lectionum, precum, cantilenarum (quas ſanctiſſimis ſententijs, ſelectiſſimis verbis, & elegantiſſimis numeris compoſitas nuper Cæſareæ maieſtati publicè dedicarunt) & reliquas ceremonias ordinis & decori gratia inſtitutas, reuocarunt, vt refert in oratione ſua ad Roſtochienſes poſt reditum à peregrinatione Dauid Chytræus. Quid ſi nihil horum oſtendi poſſet, an nihil horum, ea ſola ratione extitiſſe probatur? In Britannia noſtra, oſtende tu, tot ſæculorum prædicatores, à quibus ordinati ſunt: Eccleſias etiam Baſilicas, templa, normam denique certam & præſcriptam ac cæremonias quibus in ſacramentorum celebratione vſi ſunt Britanni aborigines, priuſquam à Saxonibus patria exuti eſſent. Imo vero certam liturgiæ normam ac pręſcriptam, qua vſi ſunt Orientales Grӕcię eccleſiæ, ante Baſilium & Chryſoſtomum demonſtra. Iacobi forſan miſſam indicabis, ſuppoſititiam illam, & recens natam, ſi ad Apoſtoli ſæculum conferatur. An vero tantos patres certam, & ab Apoſtolo præſcriptam ſacramenti adminiſtrandi normam ac formulam mutare auſos fuiſſe, quiſquam tam vecors eſt qui credat? Age in ipſa Romana eccleſia, quæ fuit miſſæ forma annis ſexcentis ante Gregorium? Ergone reijciemus eccleſiam Romanam, ſiue nulla certa fuit, ſiue nulla pręſcripta oſtendi poteſt? Sed nunc annon dixerim interijſſe verbi prædicationem, aut vſum ſacramentorum videri vis, & mea verba repetis. *Reſpondi interrogato*, At plura erant, & varia interrogata, quorum vnum tantum hic commemorare me ais, vt fucum faciam lectori. Verum ad omnia illa interrogata libello vernacula lingua ſcripto reſpondi: nec vnquam dixi, defeciſſe prędicationem verbi, aut ſacramentorum vſum interijſſe. Sed vnicum erat interrogatum, ad quod reſpondi ijs verbis, quæ tu recenſes, atque hoc erat, *ſi ex gentibus aliquis baptiſmum aut communionē hæreticus ab his petere vellet aut matrimonio iungi, cæteraq́; quæ ad fidem & religionem ſpectant, quomodo incognitam hanc contemptiſſimam turbam inueſtigaſſet?*

Scripſi non difficile fuiſſe vt inueniret eccleſiam, quam ſolam eße veram Chriſti ſponſam crederet, ſiquidem à quibus edoctus eſſet hunc cætum quantumuis mundo deſpicatiſſimum, eſſe tamen glorioſam Dei viuentis eccleſiam, ab ijſdem ad eius communionem adduci potuerit.
Eſto inquis ſic ſcripſeris. Sed & illa alia à me hoc „
loco quem impugnas commemorata, ſi te ſcrip- „
ſiſſe negas, libellus tuus vernacula lingua ſcriptus „
& æditus, mendacij te manifeſti, ſed non primi „
conuincit. Quæ illa alia Stapletone? Defeciſſe „
verbi prædicationem, interijſſe ſacramentorum vſum? hoc illud eſt quod me ſcripſiſſe nego, ac ne ſenſiſſe vnquam. Hoccine me ſcripſiſſe ſi negem, conuincet me mendacij libellus vernacula lingua ſcriptus & æditus? dic ſodes, quo articulo? qua pagina? cur non verba mea vel anglicè vel latinè adſcripſiſti, vt me tam manifeſti mendacij reum omnes lapidibus è triuio peterent? Sed cum videndum tibi propoſueris an ſic ſcripſerim nec ne, ad illa alia neſcio quæ, conuerteris. Bene eſt, angulos quæris. Mentiri non eſt tuum. Sed pergis expendere quod ſcripſiſſe me aio. *Siquidem è quibus edoctus eſſet illam eße veram Eccleſiam, vtcunque mundo deſpicabilem, ab ijſdem ad eius communionem adduci potuerit.* Hoc tu dicis perridiculè & ineptiſſimè à me ſcriptum & reſponſum eſſe. Grauiter tu quidem & ſapienter meas ineptias refellis. Sed quibus rationibus? Primum quæris. Ita quærendi nullus erit finis. Quęſtionum abundè ſatis fuit antea, argumentis nunc opus eſt & ſyllogiſmis, ſi tantæ ἀνακολουθίας ſyllogiſmis legittimis ingredi poſſunt. Videamus tamen quid quæris. Do-

ctores illos à quibus edoceretur, illam mundo deſpicabilem, veram eſſe Eccleſiam, vbi, aut quando inueniret, quos toto orbe latitaſſe dicis in deſerto. Prius tu mihi reſponde, iſte tuus baptiſmi candidatus, aut communionis noſtræ cupidus, quo ſæculo vixerit? aut in qua mundi parte? nam de totis mille annis quærit Alanus. Ego vero ne quingentis quidem ita latuiſſe in deſerto Eccleſiam dico, vt non ſubinde omnibus ſæculis aliqui extiterint, publice veritatis Euangelicæ teſtes, etiam in Europa noſtra, vt de orientalibus Eccleſijs nihil dicam. Si vel Bertrami, Valdi, Bartholomæi, Marſilij Patauini, Wiclefi, Henrici Gandauenſis, Huſſi aut Iacobelli ſæculo vixit, ad illius ſæculi doctores remiſiſſem, à quibus, vbi, quomodo, & quando veram Eccleſiam inueniret, facile edoctus fuiſſet. Deinde à te quærerem, quî fieri potuerit, vt ex gentibus aliquis baptiſmum peteret, de quo nunquam audiuerit, de cuius fine, aut fructu nihil accepiſſet? Sin vero ab aliquo audiuit, baptiſmum ſymbolum eſſe Chriſtianæ fidei, nouę genituræ teſſaram, peccatorum in Chriſti ſanguine remiſſorum perpetuũ fidelibus ſigillum, aliaque de baptiſmi dignitate ac præſtantia, ac religionis Chriſtianæ veritate, certitudine ac pręmio, quibus ab baptiſmum petendum accenderetur, à quibus inquam hæc accepit, ab ijſdem ad Baptiſmi participationem in Eccleſia produci potuit. Si fingas ſola Scripturæ, aut aliorum de religione pie ſcriptorum librorum caſu illi obuiorum lectione (quod rarum quidem eſſe oportet & extraordinarium) ad petendum baptiſmum fuiſſe commotum, eodem ſpiritu duce, quo cor eius aperiente credidit Euangelio, ad veram Eccleſiam à falſa diſcernendam, ad occultam & latentem inueſtigandam adiuuari ac dirigi potuit. Siquidē non minus difficile eſſet inter tot ac tam varias Chriſtianam Eccleſiam ſibi vendicantes ſectas, veram diſcernere Eccleſiam à falſa, quam latentem in deſerto Eccleſiam inuenire. Sed illos doctores ego quantumcunq; oculatus lynceus, ſpiritualis, antiquarius, & in commentarijs illorum verſatiſſimus, inuenire, perſpicere, aut proferre non potui. Ita ſcribis, ſed ego tamen, ex omnibus ſęculis quibus maxime occulta ac contempta fuit Eccleſia, obſcuriſſimis illis temporibus, nonnullos inueni, perſpexi, protuli. Sed me plus quam lynceum facere debes, vt ad omnes qui per mille, aut quingentos etiam annos, extiterunt doctores, aciem oculorum intendam. Quare ſi ponis aut proponis, mihi aliquem ex gentibus aut hæreticum baptiſmum petentem, aut communionem, qui in vno aliquo illorum ſęculorum vixerit, pone me etiam in eodem ſæculo illi contemporaneum, vt tibi ad ſingula reſpondeam, alioqui iniqua prorſus eſt tua poſtulatio. Sex aut ſeptem & viginti abhinc annis, Londini vixi, cum publicè nulla eſſet Eccleſia proteſtantum, Papiſtis cognita, niſi ſuſpitionibus fortaſſe aut coniecturis: tamen ſi quis baptiſmi, aut communionis illius occultę Eccleſiæ cupidus fuiſſet, poteram minimo negotio eum voti compotem facere. Sed eos initio huius noſtri Schiſmatis, nulli magiſtrorum meorum, vlla orbis in parte inuenire aut animaduertere potuerunt, vt ab illis ad verbi miniſteriũ ordine & legittimè vocarentur, ſacramenta acciperent, ſacramentorũ adminiſtrandorũ normã diſcerent. Scilicet adeo cæci erant, vt ſi Eccleſias in prouincię, pedemontanæ, Calabriæ, &c. angulis latentes cernere non potuerint, ſaltem in Bohemia & Morauia obſcuri fuerũt doctores, à quibus ſi neceſſe fuiſſet, iſta peterẽt. Sed cũ eſſent pleriq; omnes, in Eccleſia Papiſtica, ad verbi & ſacramentorũ adminiſtrationẽ vocati atque ordinati, non magis ſolliciti erant de noua ordinatione, quam de baptiſmo repetendo, maximè cum diuinitus ſe ad opus Euangelij promouendum vocatos ſcirent, & ab Eccleſijs etiam quibus præficiebantur vocati & in ordinatione quam corruptã & miſerè deformatam ab eccleſia in qua ſedet Antichriſtus accepiſſent, confirmati, ſacramentorũ adminiſtrandorum normam, non eſt quod aliunde peterent, quam ex verbo Dei: in ritibus & forma, Chriſtiana libertate vſi ſunt.

Pro ſecunda ratione ſic ſcribis. Deinde fuit
„ illa veſtra fugitiua, non cœtus aliquis mundo deſ-
„ picabilis, vt hic ſcribis, ſed cœtus & ſocietas mun-
„ do prorſus incognita, latitans & occulta vt ſem-
„ per affirmas. Quomodo autem homines deſpi-
„ cere potuerunt, quod penitus ignorarunt? Vide vt
pugnantia loqueris, qui me ſemper affirmare dicis, quod fuerit cœtus prorſus mundo incognitus, hic tamen ſcribam fuiſſe mundo deſpicabilem. At reuera ſemper affirmo, fuiſſe Eccleſiam aliquando mundo incognitam, at non ſemper incognitam fuiſſe, ſed aliquando cognitam, ſed non agni-

agnitam, itaque deſpicabilem. Deinde cum mundo incognitam dico, non de omnibus in mundo hominibus intelligo, ſed de plurimis, & his qui maximo odio flagrabant in Eccleſiam, eiuſque internecionem & ſanguinem maximè ſitiebant, à quorum cognitione latere Deus voluit Eccleſiam, ne præda eſſet Draconi eiuſque emiſſariæ Belluæ ſepticipiti ipſiusque vicario in ſpiritualibus nequitiæ generali, beſtiæ bicorni, hoc eſt Antichriſto eiuſque pſeudoprophetis. Et poſſunt etiam homines deſpicere quod latet, & penitus illis incognitum eſt. Nulli magis deſpiciunt bonas literas, quam quibus penitus incognitæ ſunt. Poſtremo vt fuerit inquis mundo impiorum deſpicabilis, pijs tamen & ſpiritualibus viris cognitus ille cætus Eccleſiæ tuæ latentis: quæro abs te Catechumenus iſte tuus baptizandus vel hæreticus aliquis verbi prędicationem apud vos auditurus, & ad veræ Eccleſiæ veſtrę græmium libenter acceſſurus, quo tandem modo, qua via, qua ratione, quibus medijs, notis, & ſignis, aut denique argumentis veſtros illos pios & ſpirituales, à mundo & multitudine impiorum diſcerneret? Hæc quęſtio eadem reipſa, licet verbis diuerſa eſt, cum prima. Catechumenus vero iſte tuus eſt, non meus. Ego enim nullum Catechumenum noui, qui neſciat à quo in principijs fidei Chriſtianæ fuerit inſtructus. Tu ſi Catechumenum fingere potes, baptiſmi ſuſcipiendi deſyderio flagrantem, qui tamen à nemine quid ſit baptiſmus, & in quem finem petẽdus ſit, edoctus fuerit, & reliqua fingere potes, modum, viam, rationem, medium, notas, ſigna, argumenta. Qui vero ſuum magiſtrum, doctorem, κατηχοῦντα agnoſcit κατηχούμενος, omnia quæ tu quæris ab eodem ediſcet. Et tamen in hac tanta re, qua nulla ſit ad ſalutem maior, nihil me dicere, nihil docere ais: niſi quod facile dicam inueniri ab illis Eccleſiam potuiſſe, ſi à quibus edocerentur veram eſſe noſtram Eccleſiam, illis credere vellent. Et quis inquis de eo dubitat, vir optime? Si res manifeſta ſit, vt de eo nemo dubitet, vel tua confeſſione; ad propoſitam ab Alano de baptiſmum aut communionem petentibus quæſtionem, verè & appoſitè reſpondi.

Sed hoc inquis quæritur, hoc opus hic labor eſt, veros doctores, veros magiſtros adipiſci, à quibus diſcat, & quibus edoctus credere debeat, vel Catechumenus, vel ab hæreſi reuocandus. At hæc alia eſt quæſtio, quam quæ mihi propoſita fuerit, vbi non qua ratione veri doctores, à falſis diſcernendi eſſent, ſed quomodo propter obſcuritatem, inueniri potuiſſet Eccleſia noſtra, ſiue vera, ſiue falſa, ſed quam veram dicimus, quęrebatur. Tu vero immani huic difficultati (vt Auguſtinus eam vocat) occurrere te poſſe putas, cum ſingulari Dei prouidentia factum dicis vt Eccleſia Chriſti à prima ſua propagatione, in toto curſu ac progreſſu ſuo, illuſtris & conſpicua eſſet, vt eius paſtores & doctores per certam ſucceſſionem, non eorundem ſemper locorum, ſed perſonarum, & locorum toto orbe patentium, liquidò & clarè innoteſcerent. Faceſſant igitur aliæ omnes cum hæreticis diſputationes, ea ſola vera eſt Eccleſia, quæ ſemper conſpicua, cuius paſtores per certam ſucceſſionem clarè innoteſcunt. Via compẽdiaria inuenta eſt, qua Eccleſia cum veris doctoribus oculis tantum & ſenſibus corporeis quærenda eſt, aut ſi fidei ſenſu opus eſt, verbo Dei opus eſt, & ſpiritu veritatis, duce, ſine quibus cæci omnes, tam gentes, quam hæretici palpitant in tenebris, nec veram Eccleſiam aut veros Doctores quantumuis oculis hiantibus, & aſpectabilem gloriam Eccleſiæ aut formam quærentibus vnquam inuenire poterunt. Et hac ratione immani illi difficultati occurrendum docet ipſe Auguſtinus. Nam tuis rationibus immani difficultati occurſum non eſſe, exemplo tuo promptum eſt demonſtrare. Orientalis Eccleſia in toto ſuo curſu æquè conſpicua fuit atque occidentalis, paſtores & doctores habet, qui per certam ſucceſſionem perſonarum & locorum, toto orbe patentium, liquidò & clarè innoteſcũt. Quomodo igitur tuus Catechumenus, vel ab hæreſi reuocandus, veros doctores, veros magiſtros, quibus credere debeat, adipiſci poterit? Clarè vt opinor vides eadem immani difficultate adhuc eſſe implicitum cum illa tua veræ Eccleſiæ ſigna, cernat in vtraque paria.

De vnit. eccle. ca. 2. 3. & 16. de paſt, ca. 4.

Audire tamen ſuſtines quæ adhuc ſubiungo, & an illa proprius ſcopum attingant, videbis. Illa vero ſunt talia. *Patuiſſe ad fidem Chriſti aditum omnibus in Chriſto electis. Quos enim ante iacta mundi fundamenta Deus ad ſalutem prȩordinauerat, eoſdem etiam ſuis temporibus per Euangelij prædicationem ad veritatis agnitionem vocauit: vaſa vero iræ ad interitum deſtinata, quibus & ἐνέργειαν erroris immiſit, paſ-*

ſus eſt ab homine peccati in pernitiem ſeduci atque ab-
„ *ripi*. Hic videre me obſecras, quam nihil adhuc
„ ad rem reſponderim. *Patuiſſe aditum ad fidem e-*
„ *lectis nemini dubium eſt, quia ſine fide non ſaluantur.*
„ Sed quæritur cuiuſmodi iſte aditus fuerit, & quo-
„ modo patuerit. An aliter (inquis) quam per Ec-
„ cleſiæ vocem? Quomodo enim credant in eum,
„ de quo non audiuerint? Obſecro, annon ſatis erat dixiſſe, per Euangelij prædicationem, vocatos fuiſſe electos ad veritatis agnitionem? Patuit igitur aditus (inquis) per Eccleſiam. Fateor. Concludis ergo (vt reuera pateret aditus nõ lateret) perpetuo cognitam atque perſpicuam oportere eſſe Eccleſiam. Ita certè electis, poſtquam vocati, voci eius ſpiritu Dei eos in obedientiam fidei flectente, obtemperauerint. Sed num propterea vniuerſo mundo perpetuo cognitam & aſpectabilẽ? Quod Deus Eccleſiæ miniſterio vtatur ad electorum ſalutem procurandam agnoſcimus, ſed non inde ſequitur, Eccleſiam eſſe mundi oculis ſemper aſpectabilem, ſed cum maxime occulta eſt Deus per eam conſulere poteſt æternæ electorum ſaluti. Nulla igitur quæ fingis latitantem abſurda conſequũtur, cum omnibus electis ſiue ex gentibus, ſiue ex hæreticis, ad fidem, baptiſmum, reſipiſcentiam, & reconciliationem, fidelibus ad ſacramentorum vſum, aut doctrinæ cæleſtis inſtitutionem, quatenus iſta ad ſalutem neceſſaria eſſent, ſemper patuit aditus. Tua igitur poſitione, & vaniſſima ſemper mundo aſpectabilis Eccleſiæ opinione, vt tuis verbis vtar, à Sonnij tui prælo ridicule deprauatis, nihil aut ineptius, aut abſurdius,

us, aut etiam peſtilentius. De Chriſto in deſerto non quærendo, alibi ſatis diximus, ſequamur te ad alia pergentem.

DE SCHISMATIBVS *circa Rom. Pont. electionem, an Eccleſiæ* ſplendori & luci præiudicent.

CAPVT XV.

Stapletonus.

IN proxima ſectione, præcipua & unica ferè contentio eſt de ſchiſmatibus Roma. Pontificum ex quibus, argutator iſte concludere ſe poſſe confidit, æque obſcuram, dubiam & incognitam Catholicam Eccleſiam fuiſſe, illorum ſchiſmatum tempore, atque Proteſtantium erat Eccleſia his tot ſeculis prævalente Romana. Ego autem dixeram, quod de Rom. Pontificum ſchiſmatibus obijciebatur, nihil ſimile habere cum commentitia Proteſtantium in deſerto Eccleſia. Et rationem ſubiunxi: Quia aliud eſt de ſupremo Eccleſiæ capite dubitare, quæ perſona locum legitimè occupet, aliud nullum Eccleſiæ paſtorem per mille amplius annos proferre poſſe. Hic reſpondet. Peractè ſcilicet. Certè niſi aliud eſſet, ſimile omnino non eſſet.

ſus eſt ab homine peccati in pernitiem ſeduci atque ab-
„ *ripi*. Hic videre me obſecras, quam nihil adhuc
„ ad rem reſponderim. *Patuiſſe aditum ad fidem e-*
„ *lectis nemini dubium eſt, quia ſine fide non ſaluantur.*
„ Sed quæritur cuiuſmodi iſte aditus fuerit, & quo-
„ modo patuerit. An aliter (inquis) quam per Ec-
„ cleſiæ vocem? Quomodo enim credant in eum,
„ de quo non audiuerint? Obſecro, annon ſatis erat dixiſſe, per Euangelij prædicationem, vocatos fuiſſe electos ad veritatis agnitionem? Patuit igitur aditus (inquis) per Eccleſiam. Fateor. Concludis ergo (vt reuera pateret aditus nō lateret) perpetuo cognitam atque perſpicuam oportere eſſe Eccleſiam. Ita certè electis, poſtquam vocati, voci eius ſpiritu Dei eos in obedientiam fidei flectente, obtemperauerint. Sed num propterea vniuerſo mundo perpetuo cognitam & aſpectabilē? Quod Deus Eccleſiæ miniſterio vtatur ad electorum ſalutem procurandam agnoſcimus, ſed non inde ſequitur, Eccleſiam eſſe mundi oculis ſemper aſpectabilem, ſed cum maxime occulta eſt Deus per eam conſulere poteſt æternæ electorum ſaluti. Nulla igitur quæ fingis latitantem abſurda conſequūtur, cum omnibus electis ſiue ex gentibus, ſiue ex hæreticis, ad fidem, baptiſmum, reſipiſcentiam, & reconciliationem, fidelibus ad ſacramentorum vſum, aut doctrinæ cæleſtis inſtitutionem, quatenus iſta ad ſalutem neceſſaria eſſent, ſemper patuit aditus. Tua igitur poſitione, & vaniſſima ſemper mundo aſpectabilis Eccleſiæ opinione, vt tuis verbis vtar, à Sonnij tui prælo ridicule deprauatis, nihil aut ineptius, aut abſurdius,

us, aut etiam peſtilentius. De Chriſto in deſerto non quærendo, alibi ſatis diximus, ſequamur te ad alia pergentem.

DE SCHISMATIBVS *circa Rom. Pont. electionem, an Eccleſiæ* ſplendori & luci præiudicent.

CAPVT XV.

Stapletonus.

IN proxima ſectione, præcipua & unica ferè contentio eſt de ſchiſmatibus Roma. Pontificum ex quibus, argutator iſte concludere ſe poſſe confidit, æque obſcuram, dubiam & incognitam Catholicam Eccleſiam fuiſſe, illorum ſchiſmatum tempore, atque Proteſtantium erat Eccleſia his tot ſeculis præualente Romana. Ego autem dixeram; quod de Rom. Pontificum ſchiſmatibus obijciebatur, nihil ſimile habere cum commentitia Proteſtantium in deſerto Eccleſia. Et rationem ſubiunxi. Quia aliud eſt de ſupremo Eccleſiæ capite dubitare, quæ perſona locum legitimè occupet, aliud nullum Eccleſiæ paſtorem per mille amplius annos proferre poſſe. Hic reſpondet. Peractè ſcilicet. Certè niſi aliud eſſet, ſimile omnino non eſſet.

Quaſi verò etiam de rebus maximè diſſimilibus
veriſſimè non dicatur, aliud & aliud illa eſſe. Dixit
Apoſtolus, vt diſſimilitudinem corporum reſurgentium,
1.Cor.15. *quo ad gloriam & dotes glorificandorum oſtenderet,* aliam
eſſe carnem hominum, aliam pecorum, aliam
volucrum, aliam piſcium: aliam eſſe gloriam
cæleſtium, aliam terreſtrium, aliam claritatem ſolis,
aliam lunę, & aliam ſtellarum. *Veniat nunc aliquis*
Li.2. Paſchali. *Origenes, qui (ſi Theophilo credimus) docuit*
corpora ſanctorum poſt reſurrectionem eſſe mortalia vt
priùs, & dicat contra Apoſtolum Peracutè ſcilicet Apoſtole
Paule. Certè niſi alia eſſet gloria cæleſtium, &
alia terreſtrium, ſimilis vtraque non eſſet. Nonne tibi
egregiè diſſimilitudinem ab Apoſtolo poſitam refutaſſe
videbitur? Vides ergo & tu G. F. quàm hîc ſtolidè nugaris,
tantùm vt ſcommati locum facias, & intemperanti
ſtomacho tuo indulgeas. Addis ſtatim pari temperantia.
» Quanquam quid fingi poteſt illo mendacio
» prodigioſius, nullum nos per totos mille annos
» proferre poſſe paſtorem Eccleſiæ, quum proferamus
» plurimos? *Erit hoc mendacium G. F. quum*
paſtores tuos protuleris. Nullos enim hactenus protuliſti.
Imò disertè dixiſti ſuperius de paſtorũ ſerie conſeruanda
» tuam Eccleſiam minimè ſollicitam fuiſſe,
» aut magnifeciſſe anteceſſorum ſuorum nomina
» oſtentare. *Si ita ſe res habet, minimè profectò*
mirum eſt quòd nullos paſtores proferre potes. Sed ſanè
mirandum valde, (non enim dicam prodigioſum eſſe
mendacium) te qui nullos proferre potes, audere tamen
Lib.3.cap.13. *dicere, quòd proferas plurimos.* Arbitror quod etſi
cõtra Iulian. tua fraus *quia hæretici eſt,* hoc loco non erubeſcit,
tamen ipſum libri tui atramentum erubeſcendo
con-

conuertatur in minium; *quod impudentiæ Iuliani Pelagiani (quam tamen tu longè ſuperas) obiecit Auguſtinus.*

Sed exiſtimas te magno & inuicto argumento demonſtraſſe Romanam quoque atque Catholicam Eccleſiam, cui cæteræ Chriſtianæ gentes communicarunt, non ſemper omnium oculis manifeſtam fuiſſe, nec ab ipſis (*vt ais*) Papiſtis ſemper oſtendi potuiſſe; videlicet propter tot ſchiſmata quot referuntur fuiſſe in Eccleſia Romana, quum duo aut tres Pontifices ſimul imperantes, ſeque mutuo Diris deuouentes, capitis Eccleſiæ titulum, atque honorem ſinguli ad ſe raperent, cæteroſque per orbem vniuerſum qui ipſos pro legitimis non agnoſcerent, communione fidelium priuarent. Et *hîc ais* me tanquam ſerpentem maximo vulnere in capite accepto in multos contrahere. *Ne tu magnus athletes es, bellator fortis, & robuſtus venator coram Domino, qui nullo negotio aduerſarium premis, cruentas, conficis, vide tamen ne ante victoriam triumphum cecineris. Quare ad illa multa quæ reſpondi, quàm dexterè tu replicaueris diſpiciamus attentè. Dixeram primò; etſi in huiuſmodi ſchiſmatibus Papa eſſet incertus, certi tamen erant ſingularum Eccleſiarum paſtores & Epiſcopi. Hic reſpondens.* Sed cum Papiſticæ Eccleſiæ ſalus ab vno capite, vt ipſi iactatis pendeat, quæ ſalutis certitudo eſſe poterit, cum de capite incerti eſſent homines? *At huic obiectioni quam facilè præuidebam, tribus modis in proximis ſubſequentibus verbis occurri. Quare ad illa quid reſponderis, expendamus. Secundò dixeram non difficile fuiſſe doctioribus à quibus multitudo pendebat, in-*

trusum à legitimo dignoſcere.

Hæc enim vna via erat, qua oſtendere volui, in Capitis illa incertitudine, non tamen Eccleſiæ ſalutem eſſe prorſus incertam. Hîc reſpondes. Verum cum vtrinque eſſent docti, æquali numero atque eruditione vtros tandem ſequeretur vulgus? *At hic tibi oſtendendum eſt, ô bone, æquali numero & eruditione fuiſſe vtrinque doctos. Hoc donec oſtenderis, ego ſanè non dubitabo in ſaniori parte quæ verum Pontificem ſequebatur, & numero & eruditione multò plures extitiſſe, qui etiam tandem obtinuerint: intruſo Pontifice aut mortuo & nemine illi ſuccedente, aut è Pontificatu deiecto, vt Honorio 2. Cadolo dicto contra Alexandrum 5. in 16. ſchiſmate, aut denique deſerere coacto, vt Anaſtaſio contra Benedictum 3. in 11. ſchiſmate; Benedicto 5. contra Leonem 8. in 13. Ioanne 17. contra Gregorium 5. in 14. & Nicolao 5. contra Ioannem 22. à Ludouico Bauaro Imperatore intruſo in 22. ſchiſmate. Factionibus enim imperatoriis ſchiſmata illa plæraque & nata & nutrita ſunt.*

Dixerã tertiò non fuiſſe illud religionis ſed regiminis ſchiſma quæ altera via eſt ad oſtendendum, ſalutem Eccleſiæ per huiuſmodi ſchiſmata non admodum eſſe periclitatam. At hîc replicas. Cum omnis apud vos „religio ab illo regimine pendeat, capite in duas „aut tres partes diſſecto, quid ſani potuit eſſe in toto corpore? *Primum reſpondeo, caput non fuiße in partes diſſectum, ſed de perſona capitis fuiſſe diſceptatum: potiuſque corpus Eccleſiæ in varia capita, quam Caput ipſum in aliquas corporis partes fuiſſe dißectum. Deinde partes illæ diſſectæ à vero Capite, quæ videli-*

cet intruſo pſeudopontifici adhærebant, non deſtiterunt propterea in religione & ſana doctrina, integræ & ſanæ eſſe. Religio enim orthodoxa pendet illa quidem à regimine vnius Capitis: ſed ad eum finem & eo modo, quo hoc caput Eccleſiæ ſuæ præfecit Chriſtus. Chriſtus autem præfecit Petrum reliquo corpori, vt paſceret tam oues quàm Agnos ouilis ſui. *Paſcit autem Eccleſiam Petrus & ſucceſſor eius, potiſſimum & præcipuè, confirmando in fide & doctrina ſana. Ideo enim* pro fide Petri oratum eſt ne deficeret, vt ille conuerſus & confirmatus à Chriſto, fratres quoque ſuos confirmaret, *vtique in fide & ſana doctrina. Quoties ergo oboritur controuerſia de fide, tunc maximè eſt vnius Capitis Authoritas neceſſaria, ad ſanitatem fidei in corpore conſeruandam. Rurſum etiam abſque huiuſmodi capite ſupremo, quam diu reliqua corporis Eccleſiaſtici Capita ſana ſunt, ſanitas in corpore conſeruari poteſt. Chriſtus enim dedit Eccleſiæ ſuæ, toti videlicet Corpori*, Paſtores, & Doctores ad cōſummationem *ſeu confirmationem* ſanctorum; *id eſt fidelium:* Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ. *Sed & ipſis quoque Paſtoribus & Doctoribus præfecit Chriſtus Petrum, qui* confirmaret fratres ſuos, *coepiſcopos, conſeniores & compræsbyteros ſuos, ſi quando (vt ſæpiſſime factum eſt) è paſtoribus lupi aliqui eorum facti,* abducerent Diſcipulos poſt ſe, *relicta capitis & corporis vnitate. Tibi ergo quærenti,* quid ſani potuit eſſe in corpore, Capite in varias partes diſſecto, *dupliciter reſpondeo. Sanitas corporis Eccleſiaſtica abſque Supremo eius capite commodè conſeruari poteſt, quandiu vel nulla de fide controuerſia oboritur,*

Quomodo religio Chriſtiana pendet ab vno ſupremo capite.

Ioan.21.

Luc.22.

Epheſ.4.

Act.20.

vel etiam illa oboriente reliqua capita, reliqui Epiſcopi & Doctores, populo Chriſtiano non deſunt. Quorum vtrumque in iſtis omnibus ſchiſmatibus locum habuit. Minimè, inquis; Nam in 23. ſchiſmate controuerſia fuit nondum etiam apud nos definita de ſummo & præcipuo totius religionis Papiſticæ articulo, an Papa ſit ſupra Concilium, vel Concilium ſupra Papam. *Nego hanc Controuerſiam eſſe de*
» *præcipuo noſtræ religionis articulo, ſed vnam eſſe ex*
» *minimis aio. Præcipui religionis noſtri articuli ſunt*
» *in Symbolo comprehenſi, & extra Symbolum multi*
» *ſunt de ſacramentis, de iuſtitia fidei & operum, de gra-*
» *tia & libero arbitrio, de meritis, de peccato originali,*
» *alijque permulti quos propius multo ad religionis ortho-*
» *doxæ præcipua capita accedere, omnes orthodoxi & Ca-*
» *tholici ſemper iudicarunt. Deinde falſum eſt, non eſſe eam*
» *apud nos adhuc definitam. Etenim quamuis nullo ſanè*
» *decreto publico definita eſt, tacito tamen Doctorum*
» *conſenſu (vt aliæ quæſtiones in Eccleſia olim exortæ non paucę) planè definita eſt; vix vno amplius Doctiore theologo aliam hac de re ſententiam tenente, quàm quæ ante hanc controuerſiam à paucis annis motam, apud Maiores noſtros olim obtinuerat, Papam videlicet Concilio, ſicuti Caput Corpori præeſſe & præſidere. Aliter enim ferè nullus ante Concilium Conſtantienſe ſenſiſſe legitur. Et cauſa dubitationis erat, quia non diuino ſed humano iure, & poſitiuis Eccleſiæ decretis primatum Rom. Pont. niti ſenſerunt. Nunc autem nemini amplius Catholico dubium eſt, prorſus diuino iure & quidem illuſtribus Euangelij teſtimonijs hunc primatum niti. Quod & nos in hoc Opere toto lib. 6. abunde oſtendimus. Rurſù in ſolo hoc poſtremo ſchiſmate,*

non in alijs ſchiſmatibus controuerſia talis aborta eſt. Poſtremò non eſt hæc tanta & talis controuerſia, quin in vtramque partem ſine pertinacia ſentire cuiuis docto liceat, donec Eccleſiæ Authoritas partem alteram publico decreto definierit; quod hactenus facere operæpretium non eſt viſum.

Dixeram quartò. Non à Pontifice ſimpliciter, ſed ab hac perſonæ tanquam non legitimè Pontificatum adepta homines ſe ſegregaſſe. Et hoc dixeram vt ſchiſmata illa quæ dicuntur, à veſtro hodie nefario ſchiſmate longè latéque diſcernerem: & ne rudis lector auditis tot Eccleſiæ Romanæ ſchiſmatibus, à Rom. Pont. olim receſſum fuiſſe, ſicuti à vobis hodie, ſiniſtrè ſuſpicaretur. Tu tamen vt aliquid olim veſtro hodierno ſchiſmati ſimile fuiſſe oſtendas, profers Baſilienſe Concilium, in quo ais propoſita quædam fuiſſe (*& rectè propoſita, Nam diſputata illa quidem tumultuosè fuerunt, ſed nihil ex eis definitum*) *de quibus concludis.* Hæc quid aliud quàm defectionem ab ipſo Pontifice moliebantur? *Eſto, moliti fuerint in illo Concilio Epiſcopi defectionem à Pontifice; tamen eam non adimpleuerunt, neque conatus illos impios opere executi ſunt. Nam & præcipui eorum mox reſipuerunt, Iulianus Cardinalis, Æneas Syluius, & alij: & præterea reliqui omnes paulò poſt ad obedientiam Nicolai S. acceſſerunt. Deinde defectionem à Rom. Pontifice, non vt vos ab Antichriſto ipſo, ſed vt à capite non legitimo moliebantur. Tertiò nec ab ipſo omnino vt capite recedere volebant, aut Romani Pontificis primatum omnino negare attentabant, ſicuti vos: ſed tantummodo reſpectu Conciliorum generalium, quæ illi vel præferre vel certè æquare volebant. Supremum tamen eſſe omnium cæterorum Epiſcoporum, & extra conuen-*

Qualis fuerit Concilij Baſil. Contentio.

conſenſum generalis Concilij Authoritatem habere ſupremam, nunquam illi patres vel negarunt vel negare attentarunt. Quarto ſicuti alias in hoc opere diximus, ſed propter te dicendum adhuc ſemel eſt, Concilium Baſileenſe licet à duobus Rom. Pontificibus Martino quinto & Eugenio 4. indictum multa piè atque legitimè initio ſanxerit; tamen quia poſtea ab eodem Eugenio Ferrariam primùm, deinde Florentiam tranſlatum obtemperare noluit, nec Græcorum diſſidiis componendis cum cæteris latinis Epiſcopis vnanimiter incumbere; ſed ſeorſim colligere, primum Baſileæ manentes. Deinde Lauſanam commigrantes; ex hac ſanè poſteriori ſua parte non Concilium legitimum, ſed conciliabulum iniquum cenſendum eſt, & cenſetur. Quare non magis pro veſtra cauſa hoc Baſileenſe, quàm pro Arianis Arimienſe Concilium facit. Quod autem dicis in 22. & 23. ſchiſmatibus fuiſſe, qui neutri Pontifici adhærere volebant, & in ordiné cogi Pontificem poſtulabant: *id quidem ideo factum eſt, quia neutrum legitimè Pontificatum conſcendiſſe, non quia legitimè creati Pontificis authoritatem aliter quàm iam diximus imminui volebant.*

Dixeram quintò, paucorum annorum hęc ſchiſmata fuiſſe. Replicas tu, Sed fuerunt plurima & quædam totis ferè 40. annis perdurabant. *Reſpondeo ego: plurima quidem illa fuiſſe numero 24. aut 25. ad ſummum, ſed ex illis plurimis, vnicum tantum fuiſſe (non quædam vt tu mendaciter aſſeris) quod annis 40. perdurauerit: Schiſma enim 23. omnium grauiſſimum, videlicet Clementis 7. & Benedicti 13. qui Petrus de luna dictus eſt, contra Vrbanum 6. Bonifacium 9. Innocentium 7, Alexandrium 5. & Gregorium 12. annis 40.*

plus minus perdurauit. Reliquorum nullum tamẽ ſchiſmatum annum 20. exceſſit, præter ſchiſma Gilberti Rauennatis ab Henrico 4. intruſum contra Greg. 7. optimum Pontificem; quod annis penè 30. continuatum eſt.

De omnium ſchiſmatum Ecclеſ. Rom. diuturnitate.

Sed quia diuturnitatem illam ſchiſmatum libenter vrges, & ſordes ſi quæ ſint in Eccleſia Dei, vt ſus, in horto, cupidè ventilas, proferam hoc loco ex Plotino & aliis ſcriptoribus omnium iſtorum ſchiſmatum quanta diuturnitas fuerit, vt videas tu quantulum hoc totum ſit ad annos iam mille penè ſexcentos, quibus Eccleſia Romana, & Sedes illa Petri ſtetit perpetuo, ſuo ſemper Epiſcopo & Paſtore dotata. Fuerunt ſanè ad ſummum (vt dixi) ſchiſmata 25. Nam alij tantum 23. numerant. Sed ex iſtis 25. ſchiſmatibus, quinque prima ſtatim poſt electionem publicatam ſopita ſunt, nec aliquos adhærentes pſeudoelecti habebant. Nouatianum enim, qui primum ſchiſma contra Cornelium fecit, tanquam hæreticum non tãquam pſeudopontificem alij ſectati ſunt; vnde Nouatianorum ſecta. Aliqua ſchiſmata dies tantum aliquot coutinuarunt, vt ſchiſma 6.7.8.10.11.12. & 15. Alia quædam menſes tantum aliquot perſtiterunt, vt ſchiſma 8. contra Paulum 1. ſchiſma 14. menſibus 10. ſchiſma 16. contra Benedictum 8. ex parte Silueſtri vno menſe, ex parte Ioannis menſibus 20. ſchiſma 20. ex parte Victoris contra Innocentium 2. menſibus aliquot: ex aliis vero ſchiſmatibus quæ diutius perduraſſe commemorantur, ſchiſma 9. anno vno: ſchiſma 13. ſimiliter. Schiſma 17. contra Alexandrum 5, ab Honorio per Imperatorem Henricum 4. intruſum annis 5. Schiſma 18. annis 29. ſchiſma 19. ab Henrico 5. Imperatore ſuſcitatum intruſo Gregorio annis 4. Schiſma 20. annis 7. Schiſma 21. contra Alexandrum 3. à Fridercio Barbaroſſa exci-

anum annis per tres pſeudopontifices ſibi ſuccedentes. Schiſma 22. à Ludouico Bauaro Imperatore annis tribus menſ. 3. de 23. ſchiſmate diximus ſchiſma 24. contra Martinum 5. per Alphonſum caſtellæ regem an. 5. Schiſma 25. & vltimum à pſeudoconcilio Baſileenſi contra Eugenium 4. erecto Duce Sabaudiæ fælice 5. dicto, an. 9. quibus expletis ſeipſum abdicauit. Omniũ ergo ſchiſmatum quæ hactenus circa electionem Rom. Pontificis totis his annis mille & penè ſexcentis acciderunt, etiam menſibus de quibus conſtat computatis, non amplius conficiunt quam annos 124. & menſes decem: quum tamen 25. ſchiſmata fuerint, & maior ſanè eorum pars tam breuis extiterit, vt ne annum quidem aliquod eorum compleuerit. Vide igitur G. F. quamuis & plurima hæc ſchiſmata fuerint, & quædam eorum pluribus annis perdurarunt, tamen paucorum annorum illa fuiſſe, ſi cum toto illo tempore conferantur, quo ſine vllo ſchiſmate Rom. Sedes illuſtris ſemper & conſpicua orbi Chriſtiano comparuerit.

Dixeram ſextò & poſtremo, maius pietati & morum ſanctitati propter ſcandalum, quam fidei & puræ Doctrinæ detrimentum hæc ſchiſmata attuliſſe. Et hęc eſt tertia via qua oſtendere volui ſalutem corporis Eccleſiaſtici propter capitis incertitudinem talem qualis in his ſchiſmatibus fuit, non ita grauiter laborare. Hîc reſpondes. Imò præterquam quod de ſummis fidei &
” Doctrinæ Papiſticæ articulis in nonnullis diſceptatum
” fuit, in omnibus non potuit non maximum
” eſſe fidei & doctrinæ veſtræ detrimentum, quum
” rupes illa Eccleſiæ veſtræ ſolidiſſima, quæque v-
” niuerſum eius ædificium (ſi vobis credimus) ſu-
” ſtinet, ambigua plurium ſimul Pontificum autho-

ritate omnia ſibi vendicante, hominum ſtudijs in "
diuerſas ſententias abeuntibus, pluribus nulla videbatur, "
omnibus dubia atque incerta fuerit. *Quæ "
de fidei articulis in diſceptationem vocatis hic dicis, antea "
ſoluimus, & oſtendimus nec præcipuos illos fidei noſtræ
articulos eſſe, nec diſceptationem illam aliquid pertinaciter 1.
aſſertum aut decretum coniunctum habuiſſe, 2.
nec denique in quibuſdam ſchiſmatibus (vt hic falsò 3.
rem exaggeras) ſed in vnico tantũ ſchiſmate nempe 23.
illam diſceptationem quam dicis, accidiſſe. Quod autem
addis,* non potuiſſe ſine magno fidei detrimento
illa ſchiſmata accidiſſe quia rupes illa cui innitimur,
pluribus nulla, omnibus dubia videbatur, *iam
etiam antea ſatis oſtendimus, vanum & inane eſſe à te
obiectum terriculamentum. Quod tamen vt magis intelligas,
etiam hic addo, Quum caput Eccleſiæ, (qualem 1.
Rom. Pontificem Petri ſucceſſorem eſſe agnoſcimus,)
miniſteriale Caput ſit, nõ vitale (quod Chriſtus eſt) eo ad
tempus carere, & ſine illo ad tempus ſanum ac ſaluum
conſiſtere Eccleſiæ corpus poteſt. Nam vt in ſacramentis
& externa verbi prædicatione, ac denique alia quacunque
Eccleſiaſtica functione, qua corpus Eccleſiæ vel
paſcitur, vel docetur, vel regitur, vel alia quacunque ratione
iuuatur, Deus quidem tam per illa quàm per miniſtros
& diſpenſatores eorum, ordinariè operatur; ſine illis
tamen & poteſt & ſolet extra ordinem operari, ſine ſacramentis
viſibilibus inuiſibilem gratiam conferre, ſine
miniſtro verbi foris ſonante intus docere, ſine cenſura &
diſciplina externa, intus corripere arguere, terrere; nec
tamẽ propterea vel ſacramẽta vel miniſtri verbi & prædicatio
externa, vel diſciplina Eccleſiaſtica, aut cõtemni
aut in vniuerſũ ſuperuacanea iudicari debent; ad eundem*

Vicario capite ad tempus carere poteſt Eccleſia

Vide hæc de re huius Operis. Lib. 8. cap. 4.

dē ſanè modū Caput Eccleſiæ ſupremū à Chriſto conſti-
tutū & ſalubriter & neceſſariò exiſtimamus; ſine eo ni-
hilominus Eccleſiā ſuā ad tēpus conſeruare, & ab hæreſi
& ſchiſmate (quibus potiſſimum ſuccurrit vnius capitis
Eccleſiaſtici Authoritas) ſub incerto ad tempus Pontifi-
ce, immo etiam vacante ad aliquot annos Sede, liberam
& immunem cuſtodire Deum poſſe dubitandum non eſt.
2. Immò (quod amplius eſt ipſummet corpus communi aux-
ilio Dei non deſtitutum, ſemetipſum in fide & doctrina
ſana firmiter continere ſine Capitis Authoritate ad tem-
pus poteſt: etiam exoriente de fide controuerſia; vel ex
Regula fidei quam mordicus tenet, vel ex proxima Pa-
ſtoris & Epiſcopi proprij inſtitutione & doctrina. Nec
tamen quia ad tempus hoc Eccleſia facere poteſt, coges e-
am vt iugiter & perpetuo facere queat. Denique vt ci-
3. uilis Reſp. à capite pendet, & tamen ſine capite in inter-
regnis ad tempus ſatis commodè & pacificè ſubſiſtit, ſic
in Eccleſiaſtico regimine fieri facile poſſe negari non po-
teſt. Maxime quum Eccleſiaſticæ ſedes vacantes, non
eas ſoleant afferre Eccleſiæ turbas, contentiones, pericula,
4. quæ ex interregnis Rempub. temporalem ſuſtinere ſæpiſ-
ſime cernimus. Poſtremo vt à ſupremo ſuo vicario capi-
te vnitas Eccleſiæ & politia externa dependet, ſic ab
Imperatore vno, Imperij externa facies, pax & concor-
dia. Habuit tamen Imperiū Romanū ſub æthnicis quidē
creberrimè, ſed ſub Chriſtianis etiā Imperatoribus ali-
quando ſua ſchiſmata & contentiones circa legitimā
Antiimperatores non ſecus quàm Antipapæ
Imperatoris perſonā ſuoſq; aut Imperatores, nō ſecus quā
Eccleſia ſuos Antipapas. Tales erant contra Othonem 4.
electus à Laicis electoribus Philippus. Contra Lodoui-
cum 4. Bauarum electus ſimiliter Fridericus. Tres quo-
que eodem tempore de Imperio contendentes, Carolus 4.

rex Gallorum, Fridericus Germanus, & Edouardus Anglus: alio quoque tempore Alphonſus Hiſpanus & Richardus Cornubiæ Comes, regis Anglorum frater pariter de Imperio litigabant; hominum ſtudijs in diuerſas ſententias abeuntibus, & aliqua imperij parte in hunc, alia in illum inclinante. Quid? quòd totis 22. annis vel vt alij volunt 28. Friderico 2. excommunicato, in Imperio Romano interregnum fuit? Nec tamen Imperium collapſum, aut denique ſine legibus & vera Reipub. forma, totis illis temporibus, à populis imperio ſubiectis actum eſt. Quanquam ſanè meminiſſe hîc ſemper debemus inter Eccleſiæ regimen & Reipub. gubernacula hac in parte latum & ingens diſcrimen eſſe; vt ex his quæ iam diximus, facile conſtare poteſt.

Nunc igitur quid tandem concludas, videamus. Dicis. Vt igitur in alijs parum aut nihil habere affine «
ac ſimile Rom. Eccleſiam cum illa fugitiua mulie- «
re confitear, in hoc tamen quod non ſemper om- «
nium oculis conſpicua ac manifeſta fuerit, aliquid «
eſſe ſimilitudinis, nemo niſi oculis mentis captus «
negauerit. *At vide paucis, quàm claram & illuſtrem etiam hac in parte Rom. Eccleſiæ à tua fugitiua diſſimilitudinem oſtendam. Primum tua fugitiua his aliquot ſeculis, quinque aut ſex, quibus ipſemet fateris eam toto orbe latuiſſe, (ſed amplius quàm mille annis, vt tui ſodales dicunt) nullos poteſt Paſtores & Epiſcopos ſuos proferre, per quos & quorum miniſterio maximè & propriè conſpicua ſit Eccleſia. Romana Eccleſia vtcunque aliquando ſupremum ſuum Caput habuit incertum, tamen ſingularum reliquarum Eccleſiarum Epiſcopos toti orbi illuſtres atque conſpicuos profert. Hęc autem duo ex his quæ iam diſputata ſunt, liquidò conſtant.*

1. *Diſsimilitudines varię inter perturbatã Eccleſiæ aciem per ſchiſmata Rom. Pont. & latitantem Proteſtantium fugitiuam.*

2. Rurſum tua fugitiua tot iam ſeculis continuò latuit,
nuſquam viſa, nuſquam apparens. Romana Eccleſia
ſi per Antipapas illos intruſos latuiſſe dici debeat,
certè annis paucißimis & perlucidißima atq; longißima
3. interualla factum id eſt. Deinde tua fugitiua tot ſeculorum
nullos proferre poteſt ſcriptores Eccleſiaſticos, ſeu
contra hæreſes ſeu dogmaticos, ſeu Scripturarum interpretes:
nulla templa, nulla collegia, nulla religionis ſuæ
monimenta oſtendere poteſt. Rom. Eccleſia vtcunque his
ſchiſmatibus agitata & perculſa ſuos tamen retinuit doctores
& interpretes verbi; ſua illorum temporum templa
& collegia etiam hodie conſpicienda adhuc extant,
tam apud vos in Anglia, quam hic toto orbe Chriſtiano.
4. Denique in medio horum ſchiſmatum Eccleſia Romana,
Synodos cogit, hæreſes repreſſit, diſciplinam Eccleſiaſticam
exercuit: In ſchiſmate 21. contra Alexandrum 3.
Waldenſes repreßi ſunt. In ſchiſmate illo grauißimo 23.
tribus vno tempore ſe pro Pontificibus gerentibus, Huſſitæ
tamen in Conſilio Conſtantienſi damnati ſunt. Veſtra
autem fugitiua totis his mille annis nihil horum ac
ne ſimile quidem aliquid proferre poteſt. Et tamen
audes (quid enim non audet improba & peruicax hæreſis?)
ſimilem prorſus tuæ fugitiuæ Romanam dicere in
hoc quod non ſemper oculis conſpicua erat: nec dicere tantum,
ſed eos omnes oculis mentis captos pronunciare, qui
hoc tuum paradoxum negare auſint; aut qui te cæcum &
in media Eccleſiæ luce palpantem cæci quoque & talpis
cæciores ſequi noluerint.

Fulc.

DE conſiſtorijs & loco vbi ſederint paſtores in iudicio ſiles. Dixeras ante, quod de Romanorum pontificum ſchiſmatibus obijciebatur, nihil ſimile habere cum commentitia proteſtantum in deſerto Eccleſia. Et rationem ſubiunxeras, quod aliud eſt de ſupremo Eccleſiæ capite, quæ perſona locum legitimè occupet dubitare, aliud nullum eccleſiæ paſtorem per mille amplius annos proferre poſſe. Ego vero ſic occurri. *Peracute ſcilicet, certe niſi aliud eſſet, ſimile omnino non eſſet.* In hoc tu me ſtolidè nugari dicis, tantum vt ſcommati locum facerem, & intemperanti ſtomacho indulgerem. Quin etiam quaſi non minus ſolidè quam Apoſtolus ad Corinthios 1. Cor. 15. diſſeruiſſes, idem Apoſtolo obijci potuiſſe dicis, cum aliam eſſe ait carnem hominum, aliam pecorum, &c. quę tu ad diſſimilitudinem corporum quo ad gloriam & dotes glorificandorum refers: ego de diſſimili conditione in eodem corpore mortali & immortali, dicta intelligo. Sed non eſt idonea comparatio: tu ſimilitudinem quam habet Eccleſia incerta propter ſchiſma, cum Eccleſia latente & occulta præclarè effugiſſe te putabas, cum aliud eſſe hoc ab illo diceres, omnis vero ſimilitudo ſit, diuerſorum in eadem qualitate collatio. Nam vt aliud concedatur hoc ab illo, alia etiã ratio huius alia illius, nihil tamen adfers quo magis certa eſſe poſſit Eccleſia in aliquo ſchiſmate, quam in iſtis latebris cognoſci: dixi etiam nihil illo mendacio fingi poſſe prodigioſius, nullum nos per totos mille annos proferre poſſe paſtorem Eccleſiæ, cum proferamus plurimos: in prioribus ſcilicet quinque aut ſex centurijs, eoſdem fere proferimus quos vos, quantumuis varijs erroribus ac Antichriſti fraudibus irretitos, ſed doctrinam tamen ſalutis per vnicum mediatorem Chriſtum retinentes atque docentes. In poſterioribus etiam ſæculis, nonnullos ego protulerim, plures alij, vt Foxus, Illyricus, alijque qui in his hiſtorijs ac monumentis horum temporum multo ſunt exercitatiores quam ego vnquam fuerim. Sed obijcis ſuperius, dixiſſe me diſertè, *de paſtorum ſerie conſeruanda Eccleſiam noſtram minime fuiſſe ſollicitam, aut magnificè anteceſſorum ſuorum nomina oſtentare*. Sed repetam verba mea, vt quam diſerte dixerim, lector videat, quamque diſerte & facunde mentiaris, facile agnoſcat. Poſtquam aliquot nominaſſem Eccleſiæ noſtræ doctores, ſubiunxi, *de perpetua Epiſcoporum ac paſtorum ſerie, nec tam ſollicitos fuiſſe credo, vt magni facerent, cum de fidei certitudine conſtaret ex verbo Dei, anteceſſorum nomina & titulos membrana incluſos oſtentare, nec tamen neglexiſſe penitus hiſtoriam Eccleſiæ ſuæ.* Hic non opus eſt vt atramentum meum in minium conuertatur vt pro me erubeſcat, quod Iuliano hæretico obiecit Auguſtinus, ſed vt potius tu ſuccum nigræ loliginis quo hactenus ſcripſiſti, in candidiorem notam conuertere diſcas.

Sed exiſtimare me ais, magno & inuicto argumento demonſtraſſe *Romanam quoque Eccleſiam papiſticam, non ſemper omnium oculis manifeſtam fuiſſe. Nec ab ipſis Papiſtis certe ſemper oſtendi potuiſſe*: videlicet

licet propter tot ſchiſmata quot referuntur fuiſſe in Eccleſia Romana, cum duo aut tres Pontifices ſimul imperantes, ſeſeque mutuo diris deuouentes, capitis Eccleſiæ titulum atque honorem, ſinguli ad ſe raperent, cæteroſque per orbem vniuerſum, qui ipſos pro legittimis non agnoſcerent, communione fidelium priuarent. Atque hic te quaſi ſerpentem maximo in capite vulnere accepto in multos gyros contrahere dixi. Poſtea quam rictu ſardonico mihi illuſeris, explicas omnes gyros tuos verſutus ſerpens, & primo ad id quod dixeras etſi in huiuſmodi ſchiſmatibus papa erat incertus, certi tamen erant ſingularum Eccleſiarum paſtores & Epiſcopi, me reſpondiſſe refers. *Sed cum papiſticæ Eccleſiæ ſalus ab vno capite, vt ipſi iactatis, pendeat, quæ ſalutis certitudo eſſe poterat, cum de capite incerti eſſent homines.* Sed huic obiectioni quam facile pręuidebas, tribus modis in proximè ſubſequentibus verbis occurriſſe te ais. Interim non expendis, quam graue fuit, à capite Eccleſiæ fidelium communione priuari. Quæro igitur à te an eſſe in Eccleſia cenſendi ſunt excommunicati à Papa? Negabis ſat ſcio. At cum vtrinque excommunicati eſſent à Papa, quorum vter legittimus eſſet incertum erat, quomodo potuit eſſe certum, qui eſſent in Eccleſia, qui extra Eccleſiam? Illa enim pars iuxta veſtra principia, vera erat Eccleſia, quæ in communione legittimi Pontificis permanſit, ſed cum legittimus Pontifex ab intruſo diſcerni non poterat, quomodo vera Eccleſiæ communio certo cognoſci potuit? Sed quomodo occurreris obiectioni quam pręuidebas, videamus. Dixeras ſecundo: non difficile fuiſſe do-

» ctioribus, à quibus multitudo pendebat, intruſum
» à legittimo dignoſcere. Ego vero reſpondebam.
Verum cum vtrinque eſſet docti, æquali numero atque eruditione, vtros tandem ſequeretur vulgus? Nunc re-
» plicas. Hoc donec oſtenderis, ego ſane non dubi-
» tabo in ſaniori parte quæ verum pontificem ſe-
» quebatur, & numero & eruditione multo plures
» extitiſſe, qui etiam tandem obtinuerint intruſo
» pontifice aut mortuo, aut nemine ei ſuccedente,
» aut Pontificatu deiecto, aut deſerere coacto, quod
» accidit ab imperatoribus intruſis, quorum factio-
» nibus ſchiſmata illa pleraque & nata & nutrita
» ſunt. Debuit igitur vulgus, omnium doctorum numerum cognoſcere, deinde vtri Pontifici maior pars adhæreret expendere, quod quidem difficile illis fuiſſet. Sed quomodo præſtantiores eruditione à minus doctis diiudicare poterant, ſi forte æqualis numerus vtrinque eſſet, aut hinc plures, illinc doctiores? Maximum profectò negotium, & difficillimam prouinciam imponis miſeræ plebeculæ, cum ad doctorum controuerſias componendas multitudinem vocas. Sed doctos vtrinque numero æquales & eruditione donec oſtendero, tu non dubitabis in ſaniori parte, quæ verum pontificem ſequebatur, & numero & eruditione plures extitiſſe. In ſchiſmate igitur 23. quod durauit annis 39. cum alteri capiti adhærerent Italia, Germania, Pannonia, alteri Gallia, Hiſpania & Britannia, annon tam æqualiter diſtributis Europæ regionibus, æquales fuiſſe vtrinque & numero & eruditione credibile eſt? Porro cum à toto concilio Baſilienſi, quod ab omnibus

nibus occidentalis Europæ regionibus, Hiſpanis, Gallis, Germanis, Pannonicis, Britannis, multis etiam Italis celebratum fuit, depoſito Eugenio, Fælix Pontifex electus eſſet, quem tu tamen pro intruſo reputas, annon multo plures & doctiores extiterunt, qui Fælicem agnoſcebant, quam qui Eugenium? Hic plebs quid faceret, in vtrius Pontificis communione certa eſſe potuit, ſe in Eccleſiæ gremio quieſcere? vides igitur hoc primo modo te non occurrere meæ obiectioni, quam præuidebas, ob capitis Eccleſiæ veſtræ incertitudinem à quo ſalus pendet Eccleſiæ, Eccleſiam papiſticam fuiſſe incertam atquę incognitam.

Dixeras tertio non fuiſſe illud religionis ſed regiminis ſchiſma, quæ altera via eſt ad oſtendendum ſalutem Eccleſiæ per huiuſmodi ſchiſmata non admodum eſſe periclitatam. Mea reſponſio erat: *Cum omnes apud vos religio ab illo regimine pendeat, capite in duas vel tres partes diſſecto quid ſani potuit eſſe in toto corpore?* Primum hic te reſpondere ais, caput non fuiſſe in partes diſſectum, ſed de perſona capitis fuiſſe diſceptatum, potiuſque corpus Eccleſiæ in varia capita, quam caput in aliquas corporis partes fuiſſe diſſectum. At caput fuit tamen incertum, & ex duobus aut tribus interdũ capitibus, quod pro vero habendũ fuerat, certò conſtare non potuit, vt fortunatior fuerit pars illa corporis, quę vero capiti adhęrebat, quam ſapientior. Nec ſi quiſquam anceps fuiſſet, vtri corporis parti ſe adiungeret, altera magis altera conſpicua fuit, vel aſpectabilis.

Hunc Itali cardinales, illum Gallici elegerunt, tertius conceſſa ab omnibus ſibi poteſtate, quem vellet nominandi, ſeipſum elegit, quod de Ioanne 23. proditum eſt cum alij duo prius à concilio Piſano cardinalium authoritate vocato reiecti, cedere tamen nolebant cauſati concilium non fuiſſe legittimè indictum, authoritate ſcilicet Romani pontificis, Miſera illa tempora, quæ te tam ſapientem Theſeum non tulerunt qui tam facile ex hoc difficillimo labyrintho, omnium hominum conſcientias filo dato extricare valuiſſes.

Chron. Her. Shed.

„ Secundo reſpondes partes illas diſſectas à vero
„ capite, quæ videlicet intruſo pontifici ad hærebant,
„ non deſtitiſſe propterea in religione & ſana
„ doctrina integras & ſanas eſſe. At quid profuit illis ad ſalutem ęternam in religione & doctrina ſanas fuiſſe, cum à veræ Eccleſiæ communione, in qua ſola ſalus eſt, à vero eius capite fuerunt amputatæ? Quid refert vtrum per hæreſin, an per ſchiſma à Chriſti corpore auulſus, æternæ damnationi fiat obnoxius? Quanquam in quibuſdam ſchiſmatibus, pars altera in religione & doctrina ſana non permanſit. Nam etiam multo ante Papiſticam tyrannidem, cum Fælix ab Arrianis contra Liberium electus eſſet, Fælici adhærebant Arriani, quamuis ſententia Catholico. Poſtquam vero Liberius Arrianis per ſubſcriptionem conſenſiſſet, Fælicem ſecuti ſunt orthodoxi, Liberium Arriani. Sed ad Papiſticam Eccleſiam, de quo proprie ſermo eſt deſcendamus. Cum Nicolaus quintus opera Ludouici imperatoris electus eſſet in pontificem, contra Ioannem

Dam. in pont.

22. alter alterum hęreſeos damnauit, Et demum Nicolaus dictus antea Petrus Carberienſes, de Fratricellorum opinione, auctor & fautor eandem ſathanæ ſcholam pro viribus augere deprehenſus eſt, qui paupertatis neceſſitatem omnibus Eccleſiaſticis perſonis imponere voluerunt, vt nihil aut priuatim aut communiter haberent. Poſtremo Schiſma illud inter Eugenium & Fælicem, non ſolum de capitis perſona, ſed de dogmate fuit ſcilicet, Papa ne eſſet ſupra Concilium.

Chro. Her. Shed.

Sed pergis in propoſito, & religionem ortho- “
daxam pendere quidem ais à regimine vnius ca- “
pitis, ſed ad eum finem & eo modo, quo hoc ca-
put Eccleſiæ ſuæ præfecit Chriſtus. Hic vero
quis finis ac modus eſt? ſubinfers, Chriſtus au- “
tem præfecit Petrum reliquo corpori, vt paſce- “
ret tam oues quam agnos ouilis ſui. Finem au- “
dio, ſed vbi pręfectura, niſi ea quæ communis ei
fuit cum reliquis Apoſtolis? Sed modum iam au-
diamus. Paſcit autem Eccleſiam Petrus & ſucceſ- “
ſor eius potiſſimum, & præcipuè confirmando “
in fide & doctrina ſana. Ideoque enim pro fide “
Petri oratum eſt ne deficeret, vt ille conuerſus “
& confirmatus à Chriſto, fratres quoque ſuos “
confirmaret in fide ac ſana doctrina. Imo ve- “
rò orauit Chriſtus pro Petro, ne fide eius in
lapſu illo negationis grauiſſimo deficiente, præda
foret ſathanæ, qui illum expetiuit vt cribraret,
conuerſionis vero fructus & effectus erat, vt in
fide corroboratus, fratres etiam confirmare de-
buit. Sed vt te ſequamur, qua ratione fratres

confirmauit Petrus aut ſucceſſor eius (quamquã de ſucceſſore eius in Chriſti verbis nulla mentio) niſi quatenus eſt vniuſcuiuſq; fidelium officium, fide & gratia à Chriſto acceptis vti, ad fratrum confirmationem ? Reſpondes quoties oboritur » controuerſia de fide, tunc maxima eſt vnius ca- » pitis authoritas neceſſaria, ad ſanitatem fidei in » corpore conſeruandam, & quomodo fidei ſanita- » tem conſeruabit, niſi ſententiam ſuam ferendo » de re controuerſa ? Rectè, certa eſt hæc regula & » compendiaria. Sed hanc videntur ignoraſſe Apoſtoli & ſeniores Hieroſolymis, cum oborta eſſet grauiſſima controuerſia de fide, eſſetne circumciſio, & legis obſeruatio ad ſalutem neceſſaria. Cur enim conueniunt vti de hoc negotio diſpicerent ? cum multo facilius, vnius Petri ſententia finis controuerſiæ imponi potuiſſet, quam non ſine Petri iniuria ad concilium Apoſtolorum & ſeniorum referunt. Imo quid opus fuit ſynodos œcumenicas tantis laboribus, expenſis, itineribus, cogi ex vniuerſo orbe, cum obortæ eſſent controuerſiæ de fide ? Si ſolus Petri ſucceſſor, omnem litem ſententia tollere ac dirimere poſſet, aut ſine illius aſſenſu nulla ſit ſynodi authoritas, imo ſi tam apertè Petri ac ſucceſſorum in hunc finem authoritatem ſanciuit Chriſtus: inutili labore ſe fatigarunt veteres Eccleſiæ doctores, dum alijs argumentis hæreticorum ora obſtruere conati fuerint.

Sed aliter etiam occurris, vt meam reſpon- » ſionem tollas. Rurſum (inquis) abſque huiuſmo- » di capite ſupremo, quam diu reliqua corporis Ecclesiaſtici capitis ſana ſunt, ſanitas in corpore cõſeruari poteſt; Chriſtus enim dedit Eccleſiæ ſuę, toti videlicet corpori paſtores & doctores ad cõſummationem ſeu confirmationem ſanctorum id eſt fidelium, vt iam non ſumus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento. Vtinam ſic ſemper diſputares, ſanitas Eccleſiæ ſine Papa conſeruari poteſt, quia ad conſummationem ſanctorum Chriſtus dederit Eccleſiæ paſtores & doctores. Verum cum tales perpetuo dedit manſuros vt tu in alio argumento vehementer vrges, perpetuo ſine Papa conſeruari poteſt Eccleſiæ ſanitas. Deinde non ſatis exprimere videris, mẽtem ſpiritus ſancti, qui conſummationem quæ perfectionem ſignificat, confirmationem tantum interpreteris, cum datos Eccleſiæ paſtores & doctores Apoſtolus dicat, ad perfectionem ſanctorum, ad opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti, vſque dum occurramus omnes in vnitatem fidei & cognitionis filij Dei, in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ne ſimus amplius paruuli pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ in hominum alea per veteratoriam ad inſidioſe fallendum verſutiam: Sed veritatem ſequentes in charitate, prorſus adoleſcamus in eo qui caput eſt Chriſtus, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente, pro menſura vniuſcuiuſq; membri, incrementum capit corpori conueniens, ad ſui ipſius extructionem per charitatem. In his nihil clarius

&

& manifeſtius, quam Chriſtum vnicum totius corporis ſui caput, omnia agere per paſtores & doctores ad ſummam Eccleſiæ perfectionem, abſque vicario capite. Nec vſquam in ſcriptura, tale caput corpori ſuo præfeciſſe legitur. Nec vnquam recte concluſeris, ex eo quod Petrum iuſſit confirmare fratres ſuos, præpoſitum fuiſſe à Chriſto Petrum eiuſque alterum è ſucceſſoribus Romanum Epiſcopum omnibus Apoſtolis, Euangeliſtis, Prophetis, Paſtoribus, & doctoribus. Ecquis ferat Iohannem Apoſtolum & Euangeliſtam qui Petro ſuperuixit Lino aut Clemente aut Cleto inferiorem fuiſſe? Quod aliquos à paſtoribus lupos fuiſſe factos ſæpiſſimè ſcribis abducentes diſcipulos poſt ſe, relicta capitis ac corporis vnitate, hoc etiam de Romanis pontificibus dici poteſt, quorum aliqui (vt Antichriſtos taceam) hæretici fuerunt, veſtra & Romanorum etiam pontificum authoritate damnati. Damaſus ſcribit Liberium Hæretici Imperatoris præceptis conſenſiſſe, vt vna tantum communione participaret cum Arrianis extra baptiſmum. Hieronymus ſcribit Fortunatiani impulſu, ad ſubſcriptionem perductum. Athanaſius mortis terroribus ſuperatum ſubſcripſiſſe. Quacunque vero ratione victum Damaſus pontifex ſcribit, in hæreticorum concilio Romæ coacto reſtitutum, pulſo Felice Catholico, ab hæreticis tamen antea in pontificem euecto. Conſenſiſſe deinde Conſtantio hæretico, & quamuis non rebaptizatum, conſenſum tamen præbuiſſe, ab eodem die maximam fuiſſe perſecutionem in Clero, ita vt intra Eccle-

Lib. pontif.

In Catalog.
Ad ſol. vit.

Eccleſiam præsbyteri & clerici plures necarentur & martyrio coronarentur, nec poſtea per annos ſex quibus tenuit Baſilicas Liberius, Clericis orthodoxis, vel in eccleſias, vel in Balnea pateret introitus. Honoriũ ab vniuerſali ſynodo Conſtantinopolitana ſext. pro hæretico damnatum ſua etiã ſententia damnauit Leo 2. Pontifex quem ſcribit Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ traditionis doctrina illuſtraſſe, ſed prophana prædicatione immaculatam fidem ſubuertere conatum eſſe.

Act. 16. & 17.

Ad Conſt. Act. 18.

Sed mihi querenti, quid ſani potuit eſſe in corpore capite in varias partes diſſecto, dupliciter reſpondes. “Primum ſanitatem corporis Eccleſiaſticam, abſque ſupremo eius capite commode conſeruari poſſe, quam diu vel nulla de fide controuerſia oboritur, vel etiam illa oboriente, reliqua capita, reliqui Epiſcopi & doctores, populo Chriſtiano non deſunt.” At paſtores & Doctores nunquam deerunt Eccleſiæ, promittente Chriſto, qui eos dedit ad ſummam Eccleſiæ in fide & doctrina perfectionem, ſemper enim erunt paſtores & doctores à Chriſto in hoc dati, non lupi & hæretici. Semper igitur abſq; alio ſupremo capite quam Chriſto, ſanitas corporis Eccleſiaſtica commode conſeruari poteſt. Sed cum vtrunque in his ſchiſmatibus locum habuiſſe negem, idque alijs ſupra exemplis clare demonſtrauerim, vt omittam per Wicleſum & Huſſum eorumque auditores, publicè exortas de fide controuerſias, ſcribo *etiam in 23. ſchiſmate controuerſiam fuiſſe nondum etiam apud vos definitam, de ſummo &*

præcipuo religionis Papiſticæ articulo, an papa ſit ſupra concilium, vel concilium ſupra Papam. Reſpondes negando primum hanc controuerſiam eſſe de præcipuo religionis veſtrę articulo, ſed vnum eſſe ex minimis ais. Præcipuos enim religionis veſtræ articulos eſſe in ſymbolo comprehenſos, & extra ſymbolũ multos de ſacramentis, de iuſtitia fidei & operum, de gratia & libero arbitrio, de meritis, de peccato originali alijſque permultis quos propius multo eſſe religionis orthodoxæ capita præcipua, omnes orthodoxi & Catholici ſemper iudicarunt. Sed cum credere papam eſſe ſupremum Eccleſiæ caput, & errare non poſſe, de neceſſitate ſalutis eſſe apud aliquos veſtrum ſit proditum, alij vero vt Iohannes 23. & Martinus. 5. concilium errare non poſſe fatentur, vnum ſaltem ex præcipuis religionis veſtræ articulis eſſe oportet, quod æternæ ſalutis negotium tam prope attingat, vt neceſſario vel hoc vel illud credendum ſit, vel perpetuo pereundum. Deinde cum regula fidei ac veritatis ſit apud vos, Eccleſię ſententia, ea autem eſt vel Papæ vel concilij definitio, qua fronte, quoue ore audeas dicere, ex minimis eſſe articulis, quo maximi & omnes apud vos articuli, definiuntur, recipiuntur aut repudiantur. Deinde falſum eſſe ais non eſſe eam apud vos adhuc definitam. Fateris tamen nullo ſanè publico decreto, ſed tacito doctorum conſenſu, definitam eſſe, vt aliæ quæſtiones non paucæ, Papam conſilio præſidere debere, vt caput corpori: nec ita definitam eſſe, quin in vtramq; partem ſine pertinacia, ſentire cuiuis docto liceat, donec Eccleſiæ authoritas alteram partem publico decreto definierit quod hactenus facere operæpretium non eſt viſum. Viderint igitur lectores, etiam tua confeſſione quam falſum ſit quod dixi, non definitam eſſe adhuc controuerſiam, & annon contradicentia ſibi atque ex diametro pugnantia dicas. Quod vero ais, hanc ſententiam, paucis annis ante controuerſiam, motam apud maiores veſtros obtinuiſſe, Papam videlicet concilio ſicut caput corpori præeſſe & præſidere, aliter enim fere nullus ante concilium conſtantienſe ſenſiſſe legitur, id quidem quam à vero alienum ſit, tute mecum reputa. Antiquiora omnia omittam, ad propiora Conſtantienſi concilio tempora veniam. Cum Gregorius & Benedictus mutuam abdicationem offerentes, tempus protraherent, ac propterea colluſores, & fœdifragi ab vtroque Cardinalium conuentu ſunt habiti, poſt longam diſputationem Florentię inſtitutam, an ob peſſimum ſchiſma Eccleſiæ nociuum, Cardinales concilium conuocare poſſent, definitum eſt per doctiſſimos viros id licite fieri poſſe. Coactoque per vtriuſque pontificis Cardinales vniuerſali Concilio Piſano, de colluſione accuſati pontifices ambo ad concilium vocati illud contempſerunt: Benedictus cardinalium vnitati conſulentium operam deriſit. Gregorius non ad eos pertinere concilium cõgregare ait; tãdem ambobus concilij ſententia priuatis, tertius papa Alexander in pontificatũ aſſumptus eſt: Vides in hac hiſtoria doctiſſimos illius ætatis theologos, concilium ſtatuiſſe ſupra papam, & poſtea etiam in concilio Conſtantienſi Ioannes

Chron. Her. Shed.

Seſſ.13.

23. qui Alexandro ſucceſſit, à doctioribus pro legittimo papa habitus eſt. Ille vero conſilium Conſtantienſi agnouit ſanctiſſimum eſſe, ac errare non poſſe. Ex quo alijsque ſimilibus, vt Martini 5. & Eugenij 14. & vt videtur etiam Nicolai quinti ſanctionibus, atque actorum in concilijs Conſtantienſi & Baſilienſi confirmationibus concludere audeo, ſaluis veſtris principijs, illam controuerſiam, nec adhuc definitam, nec vnquam definiri poſſe. Si enim nec Papa errare poteſt, nec concilium à Papa confirmatum errare poteſt, nulla ratio erit conciliandi tam diſcrepantes de ea controuerſia ſententias. Sed cauſam dubitationis
» rectè aſſignas fuiſſe, quia non diuino ſed humano
» iure, & poſitiuis Eccleſiæ decretis, primatum Ro-
» mani pontificis niti ſenſerunt. Et rectè quidem
ſenſerunt. Vt & alia concilia antiquiora, & ipſi
pontifices Romani cum contra Africanos, non è
diuinis Scripturis, ſed ex conficto Nicenæ ſynodi
» decreto pugnant pro ſuo primatu. Nunc autem
» nemini amplius Catholico dubium eſſe ais, pror-
» ſus diuino iure, & quidem illuſtribus Euangelij te-
» ſtimonijs hunc primatum niti. Quia veremini ne legittimi ac liberi concilij authoritate primatus hic poſitiuis Eccleſiæ decretis conceſſus Romano Pontifici, ei auferri poſſit, ſententiam mutaſtis, ipſumque diuino iure quod mutari non poteſt, ſtare contenditis: ſed nullo vnquam Euangelij teſtimonio, quicquid toto libro 6. operis tui garrias, hunc veſtrum primatum, legitime, hoc eſt ſyllogiſmis apodicticis demonſtrare poteritis. Experimini quando vobis commodum videbitur.

Dixereas quarto, non à pontifice ſimpliciter, ſed ab hac perſona tanquam non legittimè pontificatum adepta, homines ſe ſegregaſſe. Et hoc dixeras, vt ſchiſmata illa quæ dicuntur à noſtro hodiè nefario ſchiſmate (vt ais) longe lateq; diſcerneres, ne rudis lector, auditis tot Eccleſiæ Romanæ ſchiſmatibus, à Rom. Pontif. olim receſſum fuiſſe, ſicut à nobis hodiè ſiniſtrè ſuſpicaretur. Sed vide quanto interuallo diſcreueris, in eo momento in quo Papiſticam Eccleſiam, hoc habuiſſe noſtræ Eccleſiæ affine ac ſimile dixi, quod non ſemper omnium oculis conſpicua ac manifeſta fuit. Nam in omni hæreſi aut ſchiſmate, non magis propoſitum fuit hominibus ab Eccleſia, vel Chriſto diſcedere, quam illis à pontifice ſe ſegregare: ſed interim dum plures ſimul pontifices ſequuntur, aliqua pars, vel partes aliquę à pontifice ſeipſos ſegregauerunt, dum ſe à perſona ſegregant, vt hæretici ac ſchiſmatici ſe à Chriſto & Eccleſia abſcindunt. Vnde cum caput eſſet incertum, incerta etiam fuit Eccleſia veſtra, nec omnium oculis conſpicua. Me vero ais, vt aliquid olim hodierno noſtro ſchiſmati ſimile oſtenderem, proferre Baſilienſe concilium, in quo propoſita quædam fuerunt, quæ defectionem ab ipſo Pontifice moliebantur. Concedis multos defectionem à pontifice molitos Epiſcopos, ſed non adimpleſſe, in hoc ergo non diſſentimus: Non igitur à perſona tantum ſed ab ipſo pontifice quidem deficere volebant. Secundo reſpondes, defectionem à Romano Pontifice, non vt nos ab Antichriſto ipſo, ſed vt à capite non legittimo moliebantur. Sit ita vt dicis, tamen à pontifice defectionem moliebantur, qualem fortaſſe Hiſpani & Angli moliebantur, vt accepi, cum à Paulo pontifico indignis contumelijs affectus eſſet rex Philippus: ſcilicet vt repudiata Pontificis Romani authoritate, ab archiepiſcopo aliquo, vel patriarcha, omnes Eccleſiæ ditionis Philippi penderent. Sed tertio reſpondes, nec ab ipſo omnino vt capite recedere volebant, aut Romani pontificis primatum omnino negare attentabant, ſicuti nos, ſed tantummodo reſpectu conciliorum generalium, quæ illi vel preferre vel certè æquare volebant. Immo ſi bene meminiſti propoſitum fuit Papam non eſſe vniuerſalem, nec Epiſcopum vniuerſalis Eccleſię, nec caput principale nec miniſteriale Eccleſiæ. Quale igitur caput, qualem primatum agnoſcere voluerunt? Quarto concilium hoc à duobus pontificibus indictum, initio, multa pia ſanxiſſe, poſteriore vero parte, quod alio ab Eugenio tranſlatum obtemperare noluit, conciliabulum fuiſſe non concilium. Sed magna adhuc erat controuerſia, potueritne Eugenius alio tranſferre concilium, diſſentiente concilio. Maximè cum tres bullas quas pro diſſolutione concilij Baſilienſis emiſiſſet, ipſe reuocauit, declarauitque concilium fuiſſe legitimum, legittimeque continuatum non obſtantibus ipſius bullis, vſque ad 18. Calendas Ianuarij. 1433. & poſtea 1434. 24. cum per legatos concilio Baſilienſi incorporatos iuraſſet defendere concilium eiuſque acta omnia & nominatim decretum Conſtantienſis concilij Seſſione, 4. quo ſancitum fuit oportere Papam

Seſſ.16.

Seſſ.17.

obtemperare concilio, eiuſque decretis: eamque in concilio præſidentiam acceptaſſet, quæ illi à concilio conceſſa fuit, ſub hac nimirũ conditione, videlicet, ſine omni iuriſdictione coactiuo, ſaluo etiam more procedendi in eo concilio ante illum diem obſeruato. Tuo igitur Stapletone iudicio, lis tanta, quæ totam exercuit Eccleſiam Papiſticam, tã facile dirimi non poteſt. Quod fuiſſe in 22. & 23. ſchiſmatibus qui neutri pontifici adhærere volebant, & in ordinem cogi pontificem poſtulabant, id quidem factum eſſe reſpondes, quia neutrum legitimè pontificatum conſcendiſſe; non quia legitimè creati pontificis authoritatem aliter quam dixeris, imminui volebant. Verũ qui papã nec pro capite, principali, nec pro capite miniſteriali agnoſci volebant, de legitimè creato ita ſentiebant, & multo aliter authoritatẽ eius imminui volebãt, quantũ tu dixeras. Qui vero ita ab vtroque ſe ſegregabant, vt tamen legitime creato obtemperare parati eſſent, incertiſſimam fuiſſe Eccleſiam in illis temporibus declarant, cum ex illa quam ſæpe iactas perpetua ſucceſſione, aſpectabilem Chriſti Eccleſiam diſcernere nõ potuerint. Dixeras quinto, paucorum annorum hæc ſchiſmata fuiſſe. Excepi ego, ſed fuerunt plurima, & quædam totis ferè 40. annis perdurabant. Reſpondes vnicum tantũ fuiſſe quod annis 40. perdurauerit. Reliqua præter vnum 30. annorum, non exceſſiſſe vigeſimum annum. Hermãnus Shedelus Schiſma illud, an concilium ſit ſupra Papam 23. annis duraſſe ſcribit. Verum cum concilium Lateranenſe à Iulio 2. ad ſchiſmatis extin-

Seſſ. 1. & 7.

ctionem coactum eſſe dicatur, eo quod Cardinales inuito pontifice iuxta decretum Conſtantienſis ſynodi, quo iubetur pontifex, decimo quoque anno concilium celebrare, Iulio detrectante concilium generale Mediolani habēdum indixiſſent; apparet, ſchiſma illud ſupra centum annos perduraſſe; donec exorto Luthero, ad Romani pontificis dignitaté omnibus modis ſtabiliendum, in eam ſententiam conceſſerunt theologaſtri veſtri, quam tu nunc ab omnibus fere teneri aſſeris, diuino ſcilicet iure, non poſitiuis Eccleſiæ decretis primatum Papæ inniti. Sed ſupputatis omnibus annis & menſibus, quibus ſchiſmata illa perdurarunt, centum tantum & viginti quatuor annos numeras, At ſi à Conſtantienſi ſynodo, vſque ad Lateranenſis tempora numeres, inuenies centum ferè annos calculo tuo adijciendos. Sed paucorum annorum illa fuiſſe aſſeris, ſi cum toto illo tempore conferantur, quo ſine vllo ſchiſmate Romana ſedes illuſtris ſemper & cóſpicua orbi Chriſtiano comparuerit. Hoc quam verum ſit non moror, mihi ſatis eſt non ſemper propter ſchiſmata, conſpicuam fuiſſe Romanam Eccleſiam. Dixeras ſexto & poſtremo, maius pietati & morum ſanctitati propter ſcandalum, quam fidei & puræ doctrinæ detrimentum hæc ſchiſmata attuliſſe. Et hanc tertiam eſſe viam ais, qua oſtendere voluiſti, ſaluté corporis Eccleſiaſtici, propter capitis incertitudiné, qualis in his ſchiſmatibus fuit, non grauiter laborare. Quaſi veſtro iudicio nihil ſit à legittimi pontificis Romani communione per anathematum fulmina, amputari, quod illis accidit,

dit, qui per errorem alteri, aut duobus è tribus capitibus adhęrebant, cum mutuis cenſuris inter ſeſe & aduerſariorum ſequaces, omnes iſti ſæuire ſoliti eſſent. Fruſtra igitur auocas ad doctrinam eandem ab omnibus retentam, cum in ſchiſmate, non ſecus ac in hæreſi, ſalus Eccleſiæ maximo in periculo verſetur. Donatiſtarum error, ſchiſma potius erat quam hęreſis, cum omnia dogmata eadem cum Catholica Eccleſia profiterentur, niſi quod quædam ad ſchiſmatis eorum defenſionem aliena, tueri coacti ſunt. Repetis vero quod hic tibi reſponderim, *Præterquam quod de ſummis fidei & doctrinæ Papiſticæ articulis in nonnullis diſceptatum fuit, in omnibus non potuit non maximum eſſe fidei ac doctrinæ veſtræ detrimentum, cum rupes illa Eccleſiæ ſolidiſſima, quæque vniuerſum eius ędificium (ſi vobis credimus) ſuſtinet, ambigua plurium ſimul pontificum authoritate, omnia ſibi vendicante, hominum ſtudijs in diuerſas ſententias abeuntibus, pluribus nulla, omnibus incerta ac dubia videbatur.* Quæ de fidei articulis hic in diſceptationem vocatis dico, antea ſoluiſſe te ais, & oſtendiſſe nec præcipuos illos fidei articulos fuiſſe, nec diſceptationem illam aliquid pertinaciter aſſertum aut decretum, coniunctum habuiſſe: nec deniq; in quibuſdam ſchiſmatibus (vt hic falſo rem exaggero) ſed in vnico tantum accidiſſe. Horum primum ac tertium, ego me nunc ſuſtuliſſe aſſero, venio ad ſecundum. Quid ais? diſceptatio illa de pontificis ſupra concilium authoritate, nihilne habuit pertinaciter aſſertum aut decretum ſibi coniunctum? Tam cito oblitus es eorum, quæ ipſe de Baſilienſi con-

cilio quod à pontifice tranſlatum Ferrariam primo; ac deinde Florentiam obtemperare noluit, negans ſubeſſe pontifici concilium? Annon hoc pertinaciter aſſertum factumq; dices? Quid quod ipſum Eugeniū pontificatu priuauit, aliumque in eius locū ſuffecerit? Hoccine pertinaciter decretum, annon? Ecquid potuit grauius in Eugenio aut pertinacius decerni? Sed ad alia propero. Vanum & inane terriculamentum à me obiectum eſſe ais, quod addo, *Non potuiſſe ſine magno fidei detrimento, illa ſchiſmata accidiſſe, quia rupes illa ſolidiſſima cui Eccleſiæ veſtræ innititur pluribus nulla omnibus dubia videbatur.* Et huius terriculamenti vanitatem, quatuor rationibus, quo magis intelligā,
» oſtenſurus es. Prima hæc eſt. Vicario & mini-
» ſterali capite, quale eſt Rom. pontifex, ad tem-
» pus carere, & ſine illo ad tempus ſanum & ſal-
» uum conſiſtere Eccleſiæ corpus poteſt. Fateor ſanè tali capite, qualis eſt Rom. Pontifex, perpetuo poſſe carere Eccleſiam. Verum ſi Rom. Pontifex petra eſſet ſupra quam ædificatur Eccleſia, nunquam eo carere potuit Eccleſia, quia ædificium ſine fundamentali petra extructum, corruere neceſſe eſt. Excipis tu quidem, quamuis Deus per ſacramenta verbique prædicationem, eorumque miniſtros ordinariè operetur, ſine illis tamē & poteſt & ſolet extra ordinem operari, ſine ſacramentis viſibilibus, inuiſibilem gratiam conferre, ſine cenſura & diſciplina externa, intus corripere, arguere, terrere: nec tamen propterea vel ſacramenta, vel miniſtri verbi, & prædicatio externa, vel diſciplina Eccleſiaſtica, aut

contemni aut in vniuerſum ſuperuacanea iudicari debent. Recte hoc quidem, ſed cur pro latente Eccleſia idem dici non poſſet, eam ad tempus ſine his medijs quibus Deus vtitur ad electorum ſalutem procurandam ſubſiſtere potuiſſe? Sed illud male abs te illatum eſt, ſimilem eſſe rationem Eccleſiæ ſine ſupremo capite Romano pontifice diuinitus conſeruatæ. Nam illa omnia prius enumerata a Deo inſtituta ex ſacris literis clare cognoſcimus: hoc poſtremum nulla vnquam ſcriptura docuit, Romanum ſcilicet pontificem titulo ſucceſſionis Apoſtolicæ, conſtitutum eſſe à Deo caput ſupremum totius Eccleſiæ.

Secundo aſſeris ipſummet corpus communi auxilio Dei non deſtitutum, ſemetipſum in fide & doctrina ſana firmiter continere, ſine capitis authoritate ad tempus poteſt; etiam exoriente de fide controuerſia, vel ex regula fidei, quam mordicus tenet, vel ex proxima paſtoris & Epiſcopi propria inſtitutione & doctrina. Verum ne hic ſubiungam, nullum itaque vſum eſſe vicarij capitis Romani Pontificis addis: Nec tamē quia ad tempus hoc Eccleſia facere poteſt, « coges eam vt iugiter & perpetuo facere queat. « Quid ni? An commune illud Dei auxilium ad certum aliquod tempus alligatū eſt, extra quod, non poſſit diutius Eccleſiæ ad perpetuam eius conſeruationem prodeſſe? Annon paſtores & doctores Eccleſię nunquā defuturos dedit Chriſtus? Ad quantum vero temporis hoc facere poterit Eccleſia? Poteſt igitur ad annos fere quadraginta regulam fidei mordicus tenere Eccleſia ſine Romano pontifice, ad annos quinquaginta non poteſt? & ex proxima paſtoris & Epiſcopi propria inſtitutione & doctrina, ſine capitis authoritate non vltra quadraginta annos ſeipſã Eccleſia in fide & doctrina ſana continere? Cum ad perpetuam eius perfectionem, paſtorum & doctorum munera è cælo accepiſſe Eccleſiam, teſtatur Apoſtolus: nuſquam vero de Romani Pontificis authoritate, vtilitate, neceſſitate; ad corporis Chriſti perfectionem, teſtimonium in ſcripturis extet. Vel ſi extare contendas, cum aperta verba nulla ſint, ſyllogiſmo analytico & apodeictico ſententiam illam demonſtrari nobis poſtulamus.

Tertia ratio à comparatis deſumpta eſt. Haud
» ſecus ac ciuilis reſpublica, à capite dependet, &
» tamen ſine capite in interregnis, ad tempus ſatis
» commodè ac pacificè ſubſiſtet, ſic in Eccleſiaſtico
» regimine fieri facile poſſe negari non poteſt,
» maximè cum Eccleſiaſticæ ſedes vacantes, non
» eas ſoleant adferre Eccleſiæ turbas, contentiones,
» pericula, quæ ex interregnis rempub. tem-
» poralé ſuſtinere ſępiſſimè cernimus. Reſpondeo,

interregna ſi nullum adferũt reipublicæ detrimẽtum, breuia eſſe oportet, non ad annos plus minus quadraginta producta. Deinde in omnibus interregnis, quæ rempublicam non lædunt, eſt aliqua ſuprema authoritas quæ vicem ſupplet regalis officij vacantis. In veſtris ſchiſmatibus & vacationibus ſedis ad multos annos, nemo eſt qui fratres confirmare poſſit vt Romanus Pontifex. Aut ſi tales eſſe poſſunt, non eſt proprium

Petro, eiuſque ſucceſſoribus confirmare fratres. Poſtremo ſi veteres hiſtorias recolas non minores turbas, ſeditiones, cædes, excitatas inuenies, in Epiſcoporum quorundam electionibus, quæ populi ſuffragijs fiebant, quam in principatuũ vacationibus & interregnis.

Poſtremo (inquis) vt à ſupremo ſuo vicario capite vnitas Eccleſiæ & politeia externa dependet, ſic ab imperatore vno imperij externa facies, pax & concordia, & habuit imperium ſua ſchiſmata, contentiones de perſona imperatoris, & antiimperatores non ſecus ac Eccleſia antipapas, ita vt totis 22. vel 28 annis excommunicato Friderico 2. interregnũ in Romano imperio fuerit, nõ tamẽ collapſum imperiũ &c. Imo ſane iamdudum collapſum eſt Romanum imperium, cuius nomen tantum & vmbra hodie manent, ſi ad veteris imperij gloriam ac potentiam conferantur, dum Romanus Pontifex imperatores pro ſua libidine depoſuit ac ſubſtituit. Deinde qualis eſt imperij facies cũ incertus ſit qui imperet, quæ pax ac concordia eſſe poteſt cum plures de imperio contendunt? Quod de diuturno 28. annorum interregno obijcis, friuolum eſt: non enim deſiit imperare Fridericus, diris pontificijs deuotus & fulmine tactus. Poſtremo ipſe bene admones, inter Eccleſiæ regimen & reipublicæ gubernacula, hac in parte latum & ingens diſcrimen eſſe. Plures enim habere poteſt orbis Romanus, vt ſæpe habuit eodem tempore Auguſtos, omnes imperantes, omnes tribunitia poteſtate præditos; plures vero Romanos pontifices Eccleſia Romana, ſi vobis credimus, habere non poteſt. Deinde ſi in partes diſſectum fuerit Romanũ imperiũ, vnaquæq; pars imperiũ eſſe poteſt, vel pars ſaltẽ imperij. At ſi Eccleſia Romana varijs capitibus adhærens, diuiſa in partes fuerit, illa ſola pars erit tota Eccleſia, quæ vero capiti coniuncta eſt, quod cum incertum fuerit, incerta etiam erit Eccleſia, non igitur ſemper omnibus aſpectabilis & conſpicua. Concludo igitur vt tu repetis, *Vt in alijs parum aut nihil habere affine aut ſimile Romanam Eccleſiam cum illa fugitiua muliere confitear, in hoc tamen quod non ſemper omnium oculis conſpicua ac manifeſta fuerit, aliquid eſſe ſimilitudinis, nemo niſi oculis mentis captus negauerit.* Sed paucis videre me iubes, quam claram & illuſtrem etiam hac in parte Romanæ Eccleſiæ, à noſtra fugitiua diſſimilitudinem oſtendas.

Verum cum multa diſſimillima agnoſcam, quid opus te diſſimilitudinem aliquam oſtendere? Lis inter nos eſt, an aliquid habeat affine aut ſimile Babylonica veſtra cum cęleſti noſtra, in hoc quod non ſemper oculis conſpicua fuerit, Ego aio & probo: tu negas, ſed non quod ego aio infringis, ſed aliud probas, quod tibi non negauero, maximam eſſe diſſimilitudinem etiam in hac parte, hinc rixa oritur ſæpiſſimè, cum ad idem non diſputes. Sed videamus tamen quid diſſimile in hac parte obſeruaueris. Primum (inquis) tua fugitiua his aliquot ſæculis quinque aut ſex quibus ipſemet fateris eam toto orbe latuiſſe (ſed amplius quam mille annis vt tui ſodales dicunt) multos poteſt paſtores & Epiſcopos ſuos proferre, per quos & quorum miniſterio maximè, ac propriè conſpicua ſit Eccleſia. Romana Eccleſia, vtcunq; aliquando ſupremum ſuum caput habuit incertum, tamen ſingularum reliquarum Eccleſiarum Epiſcopos toti orbi illuſtres atque conſpicuos profert. Primum nego à me conceſſum eſſe, tota per quinque aut ſex ſæcula, vel ab vllo ſodalium meorum per mille annos ita latuiſſe Eccleſiam, vt non omnibus ſæculis agnita fuerit à pluribus pijs, deinde falſum eſt, nullam extare memoriam eorum, qui paſtorum ac doctorum munera in ea functi ſunt, multorum eorum nomina Antichriſti tyrannidi perſecutionem paſſorum, veſtræ ipſorum hiſtoriæ nobis ſuppeditant, ſi nulla alia extarent monumenta. Illos vobis veros Eccleſiæ paſtores & doctores proferimus. Vos nullos interim per aliquot ſæcula, niſi lupos aut canes mutos, hæreticos & à vera fide ad Antichriſti deliria dæmoniorumq; doctrinas dilapſos proferre poteſtis, qui titulo & loco paſtorum vel Epiſcoporum apud vos ſuperbientes, ſeipſos non gregem Chriſti pauerunt, ſed veneno potius inficerent. De doctrinæ igitur genere certamen eſſe debet, non de perſonarum ſucceſſione. Præterea cum fatearis Romanam Eccleſiam caput ſuum ſupremum habuiſſe incertum, incertum etiam fuiſſe corpus, quod illi capiti adaptatum fuit, neceſſe eſt vt concedas. Rurſum (inquis) tua fugitiua tot iam ſæculis continuo latuit, nuſquam viſa, nuſquam apparens. Romana Eccleſia ſi per antipapas illos intruſos latuiſſe dici debeat, certe annis pauciſſimis, & per lucidiſſima atque longiſſima interualla

» ualla factum id eſt. Imò vero nunquam ſic latuit
quin à Romana meretrice, in ſuis membris grauiter
afflicta fuerit. Latuiſſe Romanenſem Eccleſiam
tanquam in deſertum profugiſſet, non aio, ſed
incertam tamen ipſiſque Papiſtis propter capitis
incertitudinẽ incognitã fuiſſe aſſero; idq; per annos
plures, vtcunque tibi pauciſſimi dicantur.
Quot enim hominum millia, è ſæculo migrarunt
per annos illos 39. qui certe apud ſe ſtatuere non
poterant, eſſentne in communione Romanę Eccleſiæ
vel non, quot etiam qui cum in communione
Eccleſiæ ſe diſcedere putarent, ij tamen legittimo
pontifice priuati erant, quod ab antipapa
» diſcedere nollent? Tertio obijcis fugitiuam
» noſtram, tot ſæculorum nullos proferre poſſe
» ſcriptores Eccleſiaſticos, ſeu contra hæreſes, ſeu
» dogmaticos, ſeu ſcripturarum interpretes; nulla
» templa, nulla collegia, nulla religionis ſuæ monimenta
» oſtendere poſſe. Cum Romana Eccleſia
» vtcunque his ſchiſmatibus agitata & perculſa, ſuos
» tamen retinuit doctores & interpretes verbi,
» ſua illorum temporum templa & collegia, etiam
» hodie adhuc conſpicienda extant. De Eccleſiaſticis
ſcriptoribus & doctoribus quam falſum ſit
nullos proferri poſſe ſupra luculenter demonſtraui.
De templis etiam aliquid in ſuperioribus, plura
hoc vltimo ſequente capite dicemus. Si vero
durante aliquo ſchiſmate, templa & collegia à vobis
exędificata oſtendere dicas, primum ſcire
vellem vnde tibi conſtet, huiuſmodi templorum
ac collegiorum extructores, non fuiſſe ex eorum
numero quos verus Pontifex Anathemate inno-

datos, ab Eccleſiæ veſtræ participatione penitus ſegregauit: Quod ſi hoc incertum tibi fuerit, non magis certum erit, illa templa vel collegia à Romanæ Eccleſiæ membris condita fuiſſe. Poſtremo ais in medio horum ſchiſmatum, Eccleſia Romana ſynodos coegit, hæreſes repreſſit, diſciplinam Eccleſiaſticam exercuit: veſtra autem fugitiua totis his mille annis, nihil horum ac ne ſimile quidem aliquid proferre poteſt.

Egregiè quidem ſynodos coegit, Piſanam, Conſtantienſem, Baſilienſem; quarum tamen decretis ſtare recuſat. Taceo eodem tempore coactas centurias ſibi ſynodos, Ferrarienſem & Baſilienſem, Piſanam & Lateranenſem. Sed hæreſes repreſſit Waldenſium & Huſſitarum. Si hæreſes reprimere ſit eaſdem tollere, extinguere, abolere, hæreſes illas quas vocas Waldenſium & Huſſitarum, Romana Eccleſia non repreſſit. Etſi enim armis potius quam diſputationibus, Waldenſes oppreſſit, non tamen eos penitus delere potuerit, quin permanſerint eorum Eccleſiæ pluribus in Europæ regionibus vſque in hodiernum diem. Huſſitarum vero quam appellas hæreſin, tantum abeſt vt repreſſerit Conſtantienſe concilium, vt ex eo eiuſque iniquiſſima damnatione, magis inualuerit, nec adhuc defecit. Si vero reprimere tibi ſit idem, ac ſuo iudicio ac ſententia damnare: tam Waldenſes (quos vocas) quam Huſſitæ in ſuis ſynodis, Romani Antichriſti hæreſes repreſſerunt: vt nihil dicam de Adamitis à Ziſcha eiuſque militibus fortiſſimis, in Bohemia deletis. Quare vt multa alia concedam eſſe Romanæ ſynagogæ peculiaria, in quibus nihil affine habet aut ſimile, cum Apocalyptica illa muliere fugitiua, in hoc tamen verè dixi, aliquid eſſe ſimilitudinis, quod non ſemper omnium oculis cóſpicua & manifeſta fuerit, quę incerti capitis ratione, tam incerta extitit, quam qui negare audeat, mentis oculis captum eſſe; nunc etiam vt ante aſſerere non erubeſco. Quin & illud repetere tua me improbitas cogit. *Quod toties & tam putidè fugitiuæ mulieris, & Eccleſiæ in deſerto latentis nomen per ludibrium & contumeliam vſurpas, quid aliud quam impuri ac inuenerandi canis rictum, ſpiritus ſancti eloquijs oblatrantis prodidiſti?*

DE TEMPLIS ECCLEſiæ Proteſtantum: & An aliquod religionis argumentum ſit templorum ſtructura.

CAPVT XVI.

Stapletonus.

ALIA *quæſtio erat de templis, religionis Chriſtianæ monimentis certiſſimis, ecqua huiuſmodi in orbe terrarum ſuæ religionis propria demonſtrare Poteſtãtes poſſent.* Reſ*ponderas primum,* ex templorum exædificatione non probari, pios eſſe qui templa extruunt. *Cui nugamento tuo vt ſatisfacerem, dixi templorum ſtructuram certum eſſe alicuius religionis argumentum, vtcunque ille qui ſtructuræ Author eſt improbus & hypocrita eſſe queat. Moxque intuli, nullam illam religionem eſſe poſſe quæ nullum ſibi extructum toto orbe templum deſignare queat. Ad prius horum, quo tua cauillatio ineptiſſima iugulata eſt, nihil hîc replicas. Poſterius vt potes impugnas, & dicis;* quomodo inter ſe iſta cohærent, alterumque ex altero concludi queat te non videre. Etſi enim (*inquis*) templorum ſtructura aliquam religionem arguat, non tamen inde ſequitur nullam eſſe religionem, vbi nullum ſit templum. *Iſtud vt oſtendas, expectamus. Ais.* Tribus ferè annorum millibus à conſtitutione mundi vera Dei Eccleſia ſine vllo in toto orbe extructo templo viguit, plus mille annis vnico templo contenta fuit. *Reſpondeo breuiter. Eccleſia illa trium mille annorum ante legem datam non habuit politiam externam vniformem atque præſcriptam. Cultus illius temporis perſonalis erat prout vnicuique Dei Spiritus immediatè reuelabat. Nondum præſcriptis adeo legibus, ſacrificiis, ceremoniis in communi ſocietate Deum colebant. Sed fide & ſacrificiis, modo huius, modò illius generis, liberè vſurpatis, Deum colebant: vt in Abelis & Caini ſacrificiis, poſteaq; Noe, Abrahami & nepotum eius oblationibus, vſq; ad Moyſem animaduertere licet. Poſtea data lege, conſtituto ſacerdotio Leuitico, ſacrificiis & ceremoniis præſcriptis, vnico vel tabernaculo vel templo contenta erat vera religio, quia vnius populi Synagoga, non omnium gentium Eccleſia (in ſola Mediatoris perſona poſtea auſpicanda) illa erat. Sed cum de templis vt alicuius religionis mo-*

Status ante legem quoad templa.

Geneſ. 4. 8. 12.

Status in lege.

Status poſt legem.

nimentis agimus, de Chriſtianæ Eccleſiæ tempore, & de omnium gentium religione toto orbe illuſtri atque conſpicua loquimur, quam ſine templis florere non poſſe dicimus: in quibus Deus colatur, verbum prædicetur, ſacramenta adminiſtrentur. Hic dicis. Iam à Chriſti tempore aliquot ſæculis Chriſtiana religio per totum Romanum orbem, quod & Origenes & Arnobius teſtantur, ſine templis, ſine aris, ſine imaginibus floruit. *Ita ſanè. Tua te rerum ignorantia audacem facit. Sed lege apud Euſebium ex Philone ſtatim poſt Apoſtolorum tempora* σεμνεῖα καὶ μοναστήρια, *& templa auguſta, & loca ſolitaria Chriſtianorum orationi & vſibus ſacris dedicata. Lege apud eundem celebre Galieni Imperatoris decretum, in gratiam Epiſcoporum emiſſum, quo iubet* eos omnes qui loca religioſa quæ ſpectant ad Chriſtianos poſſident, ab illis ſtatim diſcedere: *Et rurſum aliud decretũ ad alios Epiſcopos miſſum, quo poteſtatem facit Chriſtianis liberam ſua cœmeteria, quæ Martyrum memoriæ erant, adeundi & occupandi. Vide etiam apud eundem Euſebium Philippum Imperatorem à Fabiano Rom. Pontifice in vigilia Paſchatis à liminibus Eccleſię excluſum, & inter pænitentes collocatum. Diſce præterea Decium Imperatorem & Ethnicum, hoſtem religionis Chriſtianæ acerrimum, ab Eccleſia Chriſtianorum ſimiliter extruſum fuiße per Babyam Antiochenum Epiſcopum, quum ſacra Chriſtianorum curioſius introſpicere præſumeret. Denique ne tempore Conſtantini Magni, qui primus Imperatorum religionem Chriſtianam armis & legibus tutatus eſt, cæpiße Chriſtianorum templa exiſtimes, lege apud eundem Euſebium, tum varia templa perſecutionum tempore ſolo æquata, ſub Conſtantino ab ipſis funda-*

Cõtra Celſum lib. 4. contra gentes lib. 12.

Templa primorum ſeculorum poſt Chriſtum.

Lib. 2. cap. 16. hiſt. Eccleſ.

Lib. 7. cap. 12.

Lib. 6, cap. 27.

Chryſoſt. in orat. contra Gentiles.

Hiſt. Eccl. lib. 10. cap. 2. & 5.

fundamentis denuo erectu; tum etiam latas à Conſtantino leges de reſtituendis Chriſtianorũ templis, olim perſecutionum tempore vel dirutis vel ablatis. Poſtremò expende diligenter quod notauit Nicephorus, quo tempore Ethnici Imperatores toto orbe Romano dominabantur, tamen & præclara Reipub. munera Chriſtianis commiſſa fuiſſe (inter quos illic commemorat Dorotheum & Gorgonium,) & præterea exædificata tunc Chriſtianis fuiſſe non ſolum parua oratoria *quæ* ἐυκτήρια *vocat, infra ipſas domos Chriſtianorum; ſed etiam* templa auguſta, amplitudine & magnitudine admiranda, *quæ dominicas* κυριακὰς *ſeu etiam Baſilicas antiquitas vocabat. Fuerunt igitur etiam in primis illis poſt Chriſtum ſeculis templa Chriſtianorum, religionis tum Chriſtianæ certa monimenta; etſi nec tam frequentia, nec ampla & ſplendida, quot & qualia poſtea Chriſtiani Imperatores extruxerunt.*

Hiſt.Eccl.Lib. 7.cap.2.

At Origenes & Arnobius negant ſuo tempore fuiſſe apud Chriſtianos templa, aras, aut imagines. Sed inſpice Origenem iterum (ſi tamen adhuc inſpexiſti, nec ex aliena fide locum citaſti) & expende quo ſenſu negat lib. 7. & lib. 8. contra Celſum eſſe Chriſtianis templa, aras, imagines; & videbis de templis Gentilium non Chriſtianorum eum loqui. Sed qui Chriſtianas literas vtriuſque teſtamenti ſciunt (*ait Auguſtinus*) non hoc culpant in ſacrilegis ritibus Chriſtianorum, quòd conſtruant templa & inſtituant ſacerdotia, & faciunt ſacrificia, ſed quòd hæc idolis & dæmonibus exhibent. *Nec alio ſenſu ſcripſit Arnobius.*

Citcà fine lib.7.& principium 8: Epiſt.49:

Sed eſto mi G. nulla fuerint ante pacem Eccleſiæ gene-

ra-

valem, ſub Conſtantino Magno, extructa Chriſtianis toto orbe Romano *templa. Ambulauerit ſemper in tabernaculis & tentorijs cum primis illis Chriſtianis Deus, vſque ad hunc Salomonem noſtrum Conſtantinum. Prophetiæ illæ nondum adimpletæ fuerint de externa etiam* gloria domus huius nouiſſimæ plus quàm primæ, *quas in dedicatione Eccleſiæ Tyriorum, oratio illa panegyrica apud Euſebium recitata complectitur & enumerat. An propterea pace Eccleſiis reddita ad Chriſti nomen ac fidem gentibus & principibus terræ concurrentibus, erectis ſemel toto orbe Eccleſiis ampliſſimis & innumeris, Chriſtiana religio vlla eſſe poteſt, cuius nullum templum, nullum collegium, nullus ſocietatis Chriſtianæ locus per aliquot centurias annorum, demonſtrari poteſt? Quare ſicut Auguſtinus vrgentibus Donatiſtis,* Apoſtolorum tempore non inueniri exemplū, aliquid eſſe à regibus terræ vel pro Eccleſia vel contra petitum, *ideoq; malè feciſſe eius temporis Catholicos qui ad compeſcendos hæreticos brachium ſeculare inuocarunt, Reſpondet;* nondum impletam fuiſſe illam prophetiam, nunc Reges intelligite qui iudicatis terram, *&c. ſic de templis Chriſtianorum, etiam ſi Apoſtolorum tempore vel aliquot poſtea ſæculis nulla extitiſſent, reſpondeo: nondum impletam fuiſſe illam prophetiam.* Maior erit gloria Domus huius nouiſſimæ quàm primæ, *quæ vel tunc maximè impleta erat quando ſub Conſtantino ſplendidiſſima templa ædificata ſunt, vt iuxta hanc prophetiam copioſè demonſtrat oratio panegyrica modo citata. Vides iam ergo opinor, quomodo hæc inter ſe cohæreant, alterumque ex altero rectè concludi queat nullam eſſe religionem, vbi nullum ſit templum: quando de religione Chriſtiana per omnes gentes,*

Hiſt. Eccleſ. Lib. 10. cap. 4.

Epiſt. 48.

Pſal. 2.

Aggæi. 2.

in celebri & conſtituto cultus multis ſeculis diffuſa, agitur: de qua in hac quæſtione agi & inquiri ignorare non potes.

Reſponderas olim ſecundo, & hîc rurſum impudentiſſimè repetis, Conſtantinum Magnum Baſilicas vobis extruxiſſe, veſtræque religionis vſibus: *Quod me negante, ſic probas.* Cùm fides & doctrina quam profitemur in præcipuis ac maximè neceſſarijs ad ſalutē capitibus, eadem eſſe demonſtretur ex illius ætatis ſcriptis monimentis, quam Conſtantinus amplexus ſit, & quæ à religione papiſtica in eiſdem articulis maximè diſſentiat, ſatis vt opinor perſpicuum eſt, Chriſtianæ non papiſticæ religionis vſibus exædificatas fuiſſe à Conſtantino magnificas Baſilicarum templorumque ſtructuras. *Hæc à te generaliter dicta, poſſent quoque à me generali contradictione negari, vt non tuam ſed noſtram fidem atque doctrinam cum ea quam Conſtantinus amplexus eſt, eandem eſſe dicerem &c. Sed quid ex eo fructus lector caperet, aut quid aliud de nobis ſentiret niſi vtrunque vanum eſſe, vtrumque dolo malo agere? Doloſus enim verſatur in generalibus. Quare agam ego expreſſius, vt tuam hîc ſingularem impudentiam nonnihil aperiam, & cauſæ Catholicæ firmitatem magis oſtendam. Conſtantini fides Romanæ vtique Eccleſiæ fides erat, qui in vna vrbe Roma quinque nobiliſſima templa extruxit: D. Petri, D. Pauli, D. Ioannis Baptiſtæ quæ nunc Lateranenſis dicitur, S. Crucis in Hieruſalem, & S. Laurentij extra muros. Romana autem fides quę tunc erat ſedente Silueſtro 1. eadem nunc Romæ viget ſedente Gregorio 13. vt aliter ſe rem habere doceas, oſtendere debes G. F. & nominare pontificem illum Romanum qui*

Quòd Conſtantinus non conſtruxerit templa Proteſtantium Eccleſiæ.

prædeceſſorum ſuorum fidem & doctrinam deſeruit, violauit,
2 *aut aliquo modo immutauit. Rurſum ſi Conſtantini*
fides eadem eſt quam vos tenetis, quare principi laico
Sozom. lib. 1. cap. 6. *in cauſis Eccleſiaſticis ſupremum iudicium tribuitis*
& fœdo iuramento ad illud vos ipſos obſtringitis? Conſtantinus
De vita Conſtantini lib. 1. cap. 25. & 32. Lib. 3. cap. 2. *enim oblatis illi delatorijs quorundam Epiſcoporum*
libellis, & vt de illis cognoſceret rogatus: Mihi,
inquit, non eſt fas quum homo ſim, eiuſmodi cauſarum
cognitionem arrogare; pręſertim quum &
qui accuſant & qui accuſantur ſacerdotes ſunt.
3. *Rurſus Conſtantinus ſignum crucis maximo in precio habuit;*
& iuxta eius formam, vexillum ſeu labarum fabricatum
ante ſe in bello geſtari voluit, vt accuratè narrat
Euſebius. Quin & loco ſtatuæ ſuę more veterum
Imperatorum erigendæ, Signum crucis Romæ Victor erexit.
Ac denique ſigno crucis frontem ſuam in publico
hominum conſpectu ſignare eſt ſolitus: vt idem narrat
Euſebius. Vos illud ſignum ex Eccleſiis, ex ædibus, ex
vrbibus veſtris prorſus exterminaſtis. In frontibus verò
non magis illud quàm demon ipſe ſuſtinere poteſtis. Conſtantini
4. *fides an à Matris ſuę Helenę fide ac religione*
De vita Conſtantini lib. 3. cap. 41. & ſeq. *diuerſa videtur? At illa quanto ſtudio ad loca ſancta peregrinata*
eſt, quanta religione lignum Crucis & Martyrum
reliquias venerata eſt, quanta pietate templa auguſtiſſima
religionis Chriſtianæ vſibus extrui fecit, hiſtoriæ
paſſim loquuntur. An vos quicquam cum hac fide,
5. *pietate, religione, commune habetis? Conſtantinus conſecratos*
Lib. 4. cap. 23. *martyribus dies honore proſequebatur, & feſtorum*
ſolemnitates in Eccleſiis celebrari per orbem Rom. præcepit.
An veſtra perfidia aut doctrina hanc religionem,
Lib. 4. cap. 43. & 45. *hunc cultum probat, qui Martyres homines mortuos ſemper*
nuncupatis, & illorum venerationem idololatriam
ducitis?

ducitis? Deinde præſente & inuitante Conſtantino in dedicationes Martyrij ſeu templi Hieroſolymitani ad ſepulchrum Domini celebritate, Epiſcopi pręſentes incruentis ſacrificijs & myſticis conſecrationibus diuinum numen placabant; & ſupplices Deo preces pro communi pace, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore & liberis eius offerebant. *At fides & doctrina veſtra an vllam templorum dedicationem, vel dedicationis memoriam & celebritatem fert? Incruenta ſacrificia, myſticas conſecrationes, veſtra prophana menſa neſcit, ſed ſuperſtitioni, imò idololatrię omnem huiuſmodi cultum deputat. Vides ergo ex ipſis Conſtantini rebus geſtis quæ eius fides, quæ religio fuerit, & in quam multis & magnis à vobis diſcrepans. Oſtende tu nunc & profer præcipuos illos articulos fidei, in quibus fides quam Conſtantinus amplexus eſt, à religione noſtra maxime, vt dicis, diſſentiat.*

Iam vero ætatis illius ſcripta monimenta, ab Eccleſia eius temporis approbata, ſi vel vnam ex veſtris nouis dogmatibus, quæ contra Eccleſiam Rom. tenetis approbant, credam profecto veſtris hæreſibus tot templa extruxiſſe Conſtantinum. Sed magnus es magnarum rerum aſſeuerator & oſtentator audax: quę autem aſſeueras, nulla vel tenui ratione, argumento, teſtimonio confirmas. Scilicet pudoris hoc tui atque modeſtiæ eſt.

Reſponderas tertiò circa quæſtionem de templis, Apoſtolos ſi hoc rogati fuiſſent non alia quam Ethnicorum templa proferre potuiſſe, proindeque iniquam eſſe poſtulationem. *Replicabam ego ab Apoſtolis qui nouam plane & inauditam orbi religionem adferebant, niſi ſtultiſſimè illud poſtulari potuiſſe, à vo-*

bis tamen equiſsimè iſtud flagitari; qui totis his 1500.
annis veræ Chriſtianitatis vſum & exercitium vobis
„ *ſolis vendicatis. Hîc ergo iterum reſpondes.* Sed cum
„ inualeſcente his aliquot ſeculis Antichriſti ſuperſtitioſo
„ ac impio cultu, templa ferè omnia (ſaltem
„ in his locis in quibus illa peſtis graſſata ſit)
„ fœda idolomania prophanata & ad vſus Papiſticos
„ deformata ſint, non magis æqua eſt à nobis
„ quam ab ipſis Apoſtolis fuiſſet templorum ad omnia
„ religionis noſtræ officia inſeruientium poſtulatio:
„ pleraque enim aut vetuſtate collapſa ſunt
„ aut ad ritus ſuperſtitioſos & idololatricos conuerſa
„ ſunt. *Video nihil tam abſurdum eſſe, quod frons*
meretrica affirmare erubeſcat. Templa veſtra proferri
non poſſunt, quia vetuſtate collapſa ſunt, aut in alios vſus
conuerſa, vt recognoſci nequeant. Debemus igitur tibi
affirmanti credere, maiores tuos Reges & principes toto
orbe fuiße; caſtra, vrbes, oppida, palatia ſplendidißima
poſſediße. Sed ea nunc vetuſtate collapſa, aut in alios
vſus mutata, oſtendi amplius non poſſe. Triſtis profectò
& deploranda calamitas, tam illuſtribus teſtimonijs &
monumentis, nobiliſsimum nomen tuum, ipſamque veritatem
deſtitutam eſſe. Sed quid agas ? Iam ſeges eſt vbi
Troia fuit reſecandaq; falce. *Sic fata volebant, omnia*
occupauit Antichriſtus; templa ſubuertit; præcones
verbi in deſertum compulit; ſcripta monimenta deleuit,
ſacramentorum vſum & diſciplinam Eccleſiaſticam ſic
impediuit, vt ab aliquot iam ſeculis nuſquã apparuerit.
Tamen fuimus Troes, fuit Ilium & ingens Gloria
Teucrorum, ferus omnia Iupiter Argos Tranſtulit.
Incenſa Danai dominantur in vrbe. *Plane enim*
Fabula Fulconis *Poeticè fingis, & fabulam narras Fulco, Troiana clade*
magis

magis fabuloſam, dum Eccleſiæ tuæ fictitiæ monimenta conficta non oſtendis argumentis, non probas teſtimonijs, ac ne coniecturis quidem confirmas, ſed olim in diebus illis alicubi extitiſſe vacillanter ais, quaſique per ſomnium narras.

Eſto tamen, vt narras; & fuerit non fabula ficta. Nonne ex eo euidenter ſequitur penitus oppreſſam in tenebris iacuiſſe fugitiuam hanc tuam, & contra eam omnibus modis Rom. Eccleſiam præualuiſſe? Vides ergo latum diſcrimen poſtulati huius, à parte Apoſtolorum iniquiſſimi, à parte veſtra æquiſſimi. Illi enim Chriſti Eccleſiam inchoarunt, & religionis formam nouam penitus auſpicati ſunt. Vos antiquiſſimam retinere & continuare videri vultis. Templa religionis nouæ quæ nondum propalata fuerat, nulla eſſe poſſunt. Templa religionis antiquę quæ multis ſeculis extitiſſe dicitur, ſi nulla proferantur, quin vana & commenticia ſit, dubitari non debet. Hic ergo nouas adhuc quæris technas, & omnem moues lapidem vt aliquod ſaltem veſtigium fugitiuæ tuæ aſſequaris, & dicis. Quædam tamen adhuc templa oſtendi poſſe ſcripſi quorum forma ad vſus papiſticos, ſcilicet ad miſſam audiendam & idolum altaris (*ſic libet tibi blaſphemare*) in ipſo miſſæ ſacrificio conſpiciendum prorſus inepta ſit, vt quæ in crucis aut circuli figura extructa ſunt. *Sed vbi terrarum? Noli amabô hanc reconditam tuam antiquitatem nobis inuidere. Sed audiuiſti fortè quippiam, cuius tamen exactam memoriam non habes. Iuuabo te ſi poſſim. Et Moguntiæ in Germania in ſummo templo, & Romæ in quamplurimis Eccleſiis, eiſdemque antiquiſſimis vt in Baſilica D. Petri, & D. Pauli, in Eccleſia S. Clementis, Sanctæ Potentianæ, S. Stephani*

Templa formæ rotundæ ad vſus catholicos aptiſſima.

phani quæ rotunda dicitur, in circuli figura extructus eſt ſacrificij locus; non vt tu ineptiſſimè dicis, in forma ad conſpicienda ſacratiſſima myſteria inepta, ſed prorſus ad illum vſum aptiſſima. Vndique enim circunſtante populo (vnde & pro omnibus circunſtantibus in Canone Miſſæ oratur) facillimè conſpicitur actio tota liturgica. Imò & in huiuſmodi omnibus, facie ad populum obuerſa Sacerdos vt magis in conſpectu ſit, ſacrificat. Sic enim rotundæ illæ Baſilicæ ſunt, vt tamen ſupremum & eminentiorem locum occupet altare. Quare nihil magis hac tua euaſione, aut etiam his quæ apud te ſequuntur, inſulſius. Adiungis enim rem eandem aliis verbis re-
» *petens.* Deinde quæcunq; ante decretam ab An-
» tichriſto Romano Euchariſtiæ adorationem con-
» dita videntur, vt vetuſtiora omnia, ipſa ſtructuræ
» ſpecie & forma ad hanc rem incommoda ſunt:
» Recenter verò ædificata teſtantur ſuos condito-
» res huius adorationis rationem habuiſſe maxi-
» mam. Ita vt quocunque in loco templi populus
» conſiſteret, ſummum illud altare ſemper in ocu-
» lis haberet. *Quam hîc egregie philoſophatis, & valdè Architectonicè? Rotundæ, inquis, figuræ templa vetuſtiſſima erant, & ad Euchariſtiæ adorationem incommoda. At non rectè ducis Circinum, & toto planè cœlo aberras. Magis enim oculis patent quæ vndequaque conſpici poſſunt, quam quæ ex latere aut è diametro tantum conſpiciuntur. Quod & veterum theatrorum forma rotunda, & ſpeculatorum hodie loca ad circuli ſpeciem quàm maximè poſſint accedentia, manifeſtum faciunt. Recenter verò ædificata, ſi (vt dicis) eorum conditores hoc maximè ſpectaſſent, vt ſummum altare in oculis haberetur, profectò non formæ quadrata, aut quadrangula,*

drangula, ſed rotunda conſtruxiſſent; nec ipſius ſummi Altaris locum parietibus & interſtitijs (vt in magnis Eccleſiis fit) hinc inde occultaſſent, nec denique diametrum ipſum ſolo patente ad ingreſſum oſtio, vel omnino clauſiſſent vel cãcellis obſcuraſſent, ſed abſq; vllo interſtitio, abſq; clauſura, locum Eccleſię patentiſſimum, inanem & vacuum reliquiſſent. Quare nihil iſtæ miſeræ coniecturæ iuuant.

Sed meus (ais) Beda profitetur aliam fuiſſe formam templorum in Britannia, aboriginum Britonum, qui Romanæ Eccleſiæ iugum non ſuſceperant, quam fuit eo ſeculo ab Eccleſia Rom. recepta. Et remittis nos in margine ad Hiſtoriæ lib. 3. cap. 4. Certè meus Beda nihil huiuſmodi habet, nec in ſua origine, nec in verſione noſtra Anglicana. Hoc ſolum ſcribit Beda dicto lib. & cap. quod huc pertinere poteſt; Eccleſiam quandam vetuſtiſſimam D. Martino ſacram, Pictorum Auſtralium Epiſcopo ſedem Epiſcopatus fuiſſe, quæ vulgo vocaretur, Ad candidam caſam, eo quòd ibi Eccleſiam de lapide, inſolito Britonibus more, fecerat. Sed quid hoc ad propoſitum? Te miſerum, qui talia fragmẽta hinc inde cõſectaris, omnes angulos ſcrutaris, ſcruta & quiſquilias voluis & reuoluis, vt aliquod vel veſtigium latitantis tuæ deprehendas? Sed quid agis? Improba meretrix eſt. Quæri & ſollicitari vult, Inueniri & apprehendi non vult. Laterem lauas & Æthiopem dealbas mi G. Nuſquam alia in orbe Chriſtiano, quàm Romanæ id eſt Eccleſiæ Catholicę templa reperies, niſi vbi hæreticorum ſectæ, etiam tuo iudicio impiæ atque damnandæ, ſua forte conſtruxerunt. Illa ſanè Eccleſia ad candidam cauſam non ab alia forma quàm communi ſic dicta eſt, ſed ab albo (vt videtur) &

candido lapide in terra gentis noſtræ (uti noſti) ſatis
vulgari (nã & ex albis rupibus inſulã illã cingentibus
Albiõ olim eſt dicta) & ad ædificia aptiſsimo & validiſsimo;
quo tunc de nouo præter veterẽ morẽ Britonum,
qui vel ex ceſpite, vel cocto latere, ſuas ædiculas antea
conſtruxerant, exædificata fuit. De forma enim ſeu rotunda
ſeu quadrata, ſeu noua ſeu antiqua, ſeu iuxta Romanum
morem ſeu præter, nihil illic Beda. Neque etiam
„ *indicat ab origine illos Britones Rom. Eccleſię obedientiam,*
quam tu iniquam vocas, non agnouiſſe. Sed in ſola
„ *Paſchatis obſeruatione eos à Romanæ totiuſque Catholicæ*
„ *Eccleſiæ more diſcrepaſſe ſcribit; idque, ut ait,*
tanquam Barbaros & rudes, qui morem Eccleſiaſticum
non didicerant; *non autem (ut tu lectori inſinuas)*
tanquam qui Rom. Eccleſiæ morem ſcientes &
prudentes contempſiſſent. Atque hæc ſunt omnia quæ
pro templis Eccleſiæ tuæ monimentis, adeoque quæ circa
quæſtiones propoſitas vel reſpondes vel replicas.

Nam quod addis quaſi appendicem (quia dixeram
vos non aliter huic quæſtioni de religionis veſtræ templis
ſatiſfacere poſſe, niſi vos ipſos totius orbis Apoſtolos
eſſe, alios verò illos ſine fructu laboraſſe &c. dicatis.)
„ Vos de Apoſtolis honorificè ſentire, quia ex eorum
„ tantum libris cæteriſque ſcripturis omnem
„ fidei morumque doctrinam petitis; eorumque
„ quoque fructum ampliſſimum agnoſcere, quia nõ
„ in Europę aliquo Angulo, ſed in toto terrarum
„ orbe Eccleſiam ab illis extructam ſemper manſuram
„ & propagatam conſidiris, *quam vanè & futiliter*
à te dicantur, ex his quæ iam diſputata ſunt, liquidò
ſatis conſtat. Prius enim quod dicis, omnium hæreticorum
vox eſt & prætextus impius, ut in toto huius

operis libro 12. oſtendimus. Poſterius quod dicis, à te quidem confidenter aſſeritur, ſed niſi Eccleſiam Rom. & Catholicam deſignes atque agnoſcas, quam duo glorioſiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus Romæ plantauerunt, ſuoque ſanguine confirmarunt, nullo vnquam tempore oſtendi poteſt. Latitans enim tua ſic latet, vt vndique à te conquiſita nuſquam hactenus appareat; ac ne quidem veſtigium eius vllum (ita improbè fugit) aſſequi adhuc potueris. Sed dic mihi bona fide (ſi quam habes, G. F.) ſi seriò ſentis labores Apoſtolorum non periiſſe, ſed Eccleſias quas toto orbe plantauerunt, cum fructu ampliſſimo perdurasſe, quare hîc ſcribis, Eccleſiam ab illis extructam & propagatam ſemper manſuram te cõfidere, *ſed non ſcribis ſemper hactenus in orbe manſiſſe, te planè credere? An quia veſtram nunc quam Apoſtolicam eſſe vultis perpetuo manſuram ſperas, Catholicam autem omnium gentium, ſiue Romanam, iam olim ab aliquot ſeculis periiſſe exiſtimas? Hoc eſt autem quod dixi, Apoſtolorum labores per hanc doctrinam veſtram inanes & irritos ac ſine fructu à vobis conſtitui.*

Quod de Armenis, Syris & aliis orientalibus populis glorioſè ſubnectis, eos in præcipuis religionis articulis pulchrè conſentire & Rom. Pontificem, ſi qui eius ſuperbiam nouerint, execrari: *quum huius tuæ aſſertionis teſtes & Authores legitimos protuleris, quid tibi reſpondendũ vicißim ſit, diſpiciemus. Interea quis te ferat res tantas tua ſola Authoritate aſſerere & confirmare? Quaſi tu is eſſes, qui dicere poſſes:* Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc; & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. *Nos contra quid Patriarcha Armenorum ante annos paucos Romæ in perſona geſſerit, quam confeſſi-*

onem ediderit, ex legitimo teſte ſupra protulimus. Eſt etiam Romæ Syrorum Eccleſia retro Eccleſiam D. Petri, in monte Vaticano ſita, vbi ex ritu gentis ſuæ diuina officia faciunt, quam ante triennium Romæ vidimus, & videre omnes poſſunt qui Romę ſunt. Puto ſi Romanum Pontificem execrarentur, vt dicis, non ita in proximo diuinas laudes celebrarent.

Iubes poſtremo faceſſere inanem iſtam futilemque Romanenſium de perſonarrum ac locorum ſucceſſione iactantiam: *quaſi tu ſanè ita eam valdè hîc oppugnaſſes, vt tuis argumentis concuſſa ac depreſſa, ne hiſcere quidem poſthac amplius audeat. Et vides homo infœlix, quo magis illa à te impugnata & laceſſita eſt, eò nunc validius illam eſſe defenſam, clarius explicatam, & luculentius Catholico & erudito lectori corroboratam.*

Tamen vt aculeum lectoris in animo poſtremis tuis verbis, magnus orator, relinquas; ais: nos aliam quam quæ ab Apoſtolis tradita & per omnes ætates huc vſque toto orbe conſeruata eſt, ſalutem quęrentes, ab Apoſtolorum ſcriptis prouocare, & ad ſeriem hominum mortuorum, eorumque omnibus probris contaminatorum, non ſtultè magis ac ridiculè quam impiè & ſceleratè confugere. *Hic eſt egregius ille epilogus quo tuum acutiſſimum libellum claudis. Quem ſi curioſius expandere velim, varias adhuc turpitudines tuas exponere debeo. Sed agam breuiſſimè. Ais primo* nos aliam ſalutem quærere quam quæ ab Apoſtolis huc vſque eſt conſeruata: *Sed vide quam ſit hoc mendacium impudens, niſi fortè quum nos dicis teipſum intelligas. Nos enim vt non aliam ſalutem adipiſcamur quam quæ ab Apo-*

Solos Catholicos ſalutem quærere ab Apoſtolis huc vſque conſeruatam.

ſtolis tradita, & huc vſque toto orbe conſeruata eſt, inhæremus diligentiſſimè maiorum noſtrorum veſtigijs, qui certa & perpetua ſucceſſione paſtorum & populorum, hanc ſalutem ab Apoſtolis traditam, huc vſque conſeruarunt. Vos nullam talem ſucceſſionem proferre vultis & faceſſere illam iubetis. Planè ergo tu is es qui traditam & conſeruatam hactenus Doctrinam repudias, & aliam quæris toto orbe latitantem, ſed nuſquam hactenus inuentam. Deinde ais, Nos ab Apoſtolorum ſcriptis prouocare. *Quo ſanè vno mendacio cotem promereris & mentiendi palmam. Nomen enim hoc ipſo in opere tribus in libris diligenter diſputauimus, primum de certo & legitimo canone Scripturarum, inter quas ſunt Apoſtolicæ conſignando. Deinde de Authoritate & medijs interpretandi eaſdem. Et quem alium quæſo ob finem, de certo Canone & certa Apoſtolicarum literarum intelligentia tam ſollicitè inquirimus, niſi vt illis diligenter quidem & aſſiduè, ſed legitimè & ſalubriter vtamur?* Bona enim eſt lex ſi quis ea legitimè vtatur. *Alioqui* litera occidit, ſpiritus autem viuificat. *Tertio dicis nos* ad ſeriem nominum mortuorum & ſtultè & impiè confugere. *Scilicet ſanctiſſimi Eccleſiarum Epiſcopi, & paſtores tot ſeculorum, tibi homines mortui ſunt.* Deus autem viuorum Deus eſt non mortuorum. *Quare in Domino mortuos, defunctos libentius quàm mortuos vocat alicubi Auguſtinus. Sed quid? Stultum aut impium eſt, perpetuos Eccleſiarum paſtores & Epiſcopos,* quibus obedire, quos audire, à quibus nos paſci & regi *Scriptura docet, diligenter inquirere, ne* quouis vento nouæ Doctrinæ circumferamur, *ſed potius* permaneamus in iis quæ didicimus? *Stultus ergo & im-*

pius

Lib.9.10.&11.

1.Timot.1.

1.Cor.4.

Luc. 20.

Contra Iulian

Hebr.13.

Luc.16.

Act.20.

Epheſ.4.

2. Tim.3.

Epheſ. 4.

Act.15.

Huius operis lib.4.cap.3.

pius Paulus, qui hunc in finem datos Eccleſiæ paſtores & Doctores ſcripſit, *qui vna cum Sila* circuiuit Eccleſias præcipiens cuſtodire pręcepta Apoſtolorum & Seniorum. *Stultus & impius Tertullianus, Irenæus, Hilarius, Auguſtinus, Optatus, Epiphanius, qui hanc paſtorũ & Epiſcoporum ſucceſſionẽ contra veteres omnes hęreſes diligentiſſimè percurſerunt. Stultus denique & impius Euſebius cæterique omnes Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores, qui hanc vnam ſucceſſionem perſonarum & locorum in Eccleſia Chriſti, ſummo ſemper ſtudio annotarunt; & vt rem cognitu digniſſimam poſterorum memorię reliquerunt. Scilicet, quia nullos paſtores tua fugitiua proferre poteſt, ſtultum & impium eſt de paſtorum ſucceſſione inquirere.*

4 *Dicis poſtremo hos paſtores quorum ſeriem inquirimus*, homines fuiſſe plæroſque ipſorum omnibus probris cõtaminatos. *Ita homo impurus & impotentis animi, contumelia fœda libellum tuum claudis; ſicuti etiam à contimelia auſpicatus fueras. Sic ſanè oportebat* modeſtiam veſtram Euangelicam notam eſſe omnibus hominibus? *Mala mens, malus animus: &* ex abundantia cordis os loquitur. *Sed parcat tibi Deus maledicentiam & maleuolentiam hanc tuam, qua* principibus populi Dei malidicis *temere, & Chriſtos Domini petulanter tangis: de quibus dicit ſcriptura,* Qui tangit vos tangit pupillã oculi mei. *Et rurſum.* Qui vos ſpernit me ſpernit. *Quod ad rem ipſam attinet, ſuperius reſpondi, nihil obeſſe Eccleſiæ Dei crimina paucorum. Et hîc meminiſſe debebas quod ſuper Cathedrã Chriſti ſederunt huiuſmodi.* Quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt nolite facere. *Ego autem Deo meo gratias ago, qui ex hac animi tui maleuolentia qua eccle-*

Phil.4.

Matth.12.
Act.23.
Pſal.104.
Zachar.2.
Luc.16.
Supra cap.7.
Matth.23.

ſiam

ſiã Rom. & me (vt videtur) acerbè proſequeris, hoc bonum effecit, vt cauſæ Catholicæ firmitas, tam aduerſus latitantem veſtram & fugitiuam, quàm pro ſucceſſione Eccleſiaſtica, hac occaſione diligentius ſit examinata, clarius intellecta, luculentius & plenius confirmata.

Fulco.

ALia quæſtio fuit (vt ais) de templis religionis Chriſtianę certiſſimis monumentis, ecqua huiuſmodi in orbe terrarum noſtræ religionis. demonſtrare poſſemus, cui reſponderam ex templorum exædificatione, non probari pios eſſe qui templa extruunt: quod ideo dixi, quia caruit multo tempore publice extructis templis Eccleſia Chriſti, deinde alia etiam reſpondi vt cernere licet artic.
14. qu. 5. 1. Sed huic nugamento meo vt tu ſatiſ- "
faceres, dixiſti templorum ſtructuram certum "
eſſe alicuius religionis argumentum, vtcunque "
ille qui ſtructuræ autor eſt improbus & hypocrita "
eſſe queat. Moxque intuliſti, nullam illã religio- "
nem eſſe poſſe, quæ nullum ſibi extructum toto "
orbe templum deſignare queat. Ad prius horum "
quo ineptiſſima mea cauillatio iugulata eſt, nihil hic replicare me dicis. Quid illud erat? Templorum ſtructuram certum eſſe alicuius religionis argumentum, vtcunque auctor ſtructuræ improbus ſit & hypocrita. Pape, mirum ni hîc non cauillationem ineptiſſimã, ſed ipſum etiam hominem hoc dicto iugulaueris. At ego præclarum iſtud axioma tuũ diſertis verbis agnoſco, *templorũ ſcilicet ſtructurã aliquã religionẽ arguere, quamuis non*

ſemper veram, non tamen inde ſequi affirmo nullam eſſe religionem vbi nullum ſit templum. Hoc vt oſtendam expectas. Aio deinde *Tribus fere annorum millibus à mundo condito, veram Eccleſiam ſine vllo in toto orbe extructo templo viguiſſe, plus mille annis vnico templo contentam fuiſſe.*

Reſpondes nunc breuiter, Eccleſiam illam trium mille annorum, ante legem datam, non habuiſſe politiam externam, vniformem atque præſcriptam. Cultum illius temporis perſonalem fuiſſe, prout vnicuique Dei ſpiritus immediatè reuelabat. Nondum præſcriptis à Deo legibus, ſacrificijs, cæremonijs in communi ſocietate Deum coluiſſe. Sed fide & ſacrificijs modo huius, modo illius generis liberè vſurpatis, Deum coluiſſe: vt in Abelis & Caini ſacrificijs, poſteaque Noe, Abrahami, & nepotum, eius oblationibus vſque ad Moyſen animaduertere licet. Sed hæc tam multa quo tendunt? Niſi vt rationem reddas, ob quam Eccleſia Dei per tria fere annorum millia ſine vllo in toto orbe extructo templo viguerit, ita meas partes agis, mala ergo eſt illa tua conſequentia, vbi nullum templum, nulla religio, quanquam multa hic falſa aſſumis. Non habuiſſe Heb.11, veterem Eccleſiam illam politeian externam & præſcriptam. Non fuiſſe præſcriptas leges ſacrificiorum & cæremoniarum, ſed liberè vſurpatas. Nondum coluiſſe Deum in communi ſocietate. Sed cum ſcriptura diſertè teſtatur placuiſſe Deo Rom.10. in ſacrificijs & cæremonijs Abelem, alioſque patres, ſatis conſtat illum ſacrificandi ritum, ex Dei verbo illos habuiſſe. Nulla fides enim abſque

Dei verbo, coluiſſe ſocietatem communem Eccleſiam,
prima illa Caini & Abelis ſacrificia comprobant,
deinde Caini ob hypocriſin & cædem
tam à cætu fidelium Adami reliqua familia, quam Gen.4.
à præſentia Iehouæ, id eſt, à loco diuino cultui
deſtinato, expulſio. Vouit Iacobus lapidem à Gen.28.
ſe erectum fore ſibi Bethelem, id eſt, domum 35.
Dei, & ad eundem cum tota familia poſtea ſacrificium
obtulit. Similem his habuiſſe locum in
quem coiret Eccleſia ante legem acceptam, aut Exod.16.18.19.
tabernaculum excitatum, ex varijs Exodi locis & 35.
colligere promptum eſt: tabernaculum ſcilicet
conuentionis, quod erat quaſi caſtrorum prætorium,
vel ipſius Moſis, vel aliud quoddam tentorium,
& ſacerdotes ſacrorum adminiſtros etiam
ante conſecratum Aharonem, aut aſſumptos in Exod.19.
eorum loca Leuitas. Verũ poſt legem acceptam,
præſcriptas ceremonias, & ſacrificia in communi
ſocietate (vt ipſe agnoſcis) celebrata, multis
ſæculis floruit Eccleſia ante Salomonem, ſine
vllo in toto orbe extructo templo, cuius tu rationẽ
quoque addis his verbis: Poſtea lege data, conſtituto "
ſacerdotio leuitico, ſacrificijs ac ceremonijs "
præſcriptis vnico vel tabernaculo vel templo "
contenta erat vera religio. Quia vnius populi ſynagoga, "
non omnium gentium Eccleſia, (in ſola "
mediatoris perſona poſtea auſpicanda) illa erat. "
Sit hæc aliqua ratio quamuis non ſatis firma, docet
tamen vnicum fuiſſe toto orbe veræ religioni
templum extructum ante Chriſtum. Tu vero
cum de templis vt alicuius religionis monumentis
agis, de Chriſtianæ Eccleſiæ tempore, & de

omnium gentium religione toto orbe illuſtri atque conſpicua loqui te profiteris, quam ſine templo florere non poſſe dicis. Non floruit igitur toto orbe illuſtris Apoſtolorum temporibus Eccleſia, quia templis extructis, quorum monumenta ad multa poſt eorum è viuis ſublatis ſæcula oſtendi poſſent, caruit. De talibus enim templis quæſtio erat, & noſtra reſponſio, alioqui habuiſſe locos decentes in quibus Deus coleretur, verbum prædicaretur, ſacramenta adminiſtrarentur, omnibus ſæculis Chriſti Eccleſiam nunquam eo inficias. Dixi tamen. *Iam à Chriſti tempore aliquot ſæculis Chriſtianam religionem per totum Romanum orbem, quod & Origenes & Arnobius teſtatur, ſine templis, ſine aris, ſine imaginibus floruiſſe.* Hic ſi tibi credimus, mea me rerum ignorantia audacem fecit. Sed legere iubes apud Euſebium ex Philone, ſtatim poſt Apoſtolorum tempora σεμνεῖα καὶ μοναστήρια, & templa auguſta & loca ſolitaria Chriſtianorum orationi & vſibus ſacris deſtinata. Sed caue tu, ne tua te ſuperbia, ad me ignorantiæ condemnandum, temere pręcipitem agat, cum ſi à nemine vnquam alio, à te ſaltem in propugnaculo tuo edoctus fuerim, antequam hoc ſcripſerim, quid Euſebius ex Philone narret, cui etiam teſtimonio pro monaſteriorum antiquitate prolato, ante aliquot annos ſatisfecerim. Quanquam ſcilicet, ea Euſebius ad Chriſtianorum Eccleſiam ac diſciplinam trahat, à Philone tamen de Iudæis quibuſdam in Alexandrina ſchola Philoſophantibus non de Chriſtianis ea fuiſſe intellecta. Quod vt multa alia perſpicuè docent, ita illud clare teſtatur, quod Euſebius etiam ex eodem refert, fu-

Lib. 2. cap. 17.

iſſe apud illos in pretio, συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, καὶ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας. Quę licet Euſebius de Euangelicis Apoſtoliciſque ſcriptis quibus quaſi interpretibus recondita legis myſteria, enucleabantur, intelligi forſitan poſſe putet: quis tamen credet Philonem qui Apoſtolis & Euangeliſtis σύγχρονος eſſet, vt ipſe fatetur Euſebius, illos παλαιοὺς ἄνδρας veteres antiquoſque viros appellaturum fuiſſe: ad Pharizæorum itaque aut Eſſæorum ſectam propius iſti acceſſerunt, quam ad Chriſtianam Eccleſiam. Verum vt demus Euſebio & tibi, fuiſſe Chriſtianos de quibus Philo teſtatur, quod in ſingulis locis eſſet eis οἴκημα ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον ἐν ᾧ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται: vbi ſunt auguſta illa templa quæ prædicas? Hæccine ſignificant σεμνεῖα? Si domum habuerint ſacram honeſtis ac peculiaribus Chriſtianorum myſterijs dicatam, an templum auguſtum fuiſſe neceſſe eſt? Ruffinus quidem interpretatur σεμνεῖον honeſtum conuenticulum, Auguſtum vero templum per illam vocem neceſſario accipiendam, nemo linguæ Græcæ vel mediocriter peritus dixerit. Sed ab illis ſiue Iudæis ſiue Chriſtianis ad duo celeberima Gallieni imperatoris decreta me vocas, in quorum altero iubet eos omnes, qui loca religoſa quæ ſpectant ad Chriſtianos poſſident, ab illis ſtatim diſcedere: in altero poteſtatem facit Chriſtianis liberam, ſua cæmiteria, quæ martyrum memoriæ erant adeundi & occupandi. Loca religioſa audio & cæmiteria, templa vero extructa non dum video. Quod vero tu callidè inſeris, cæmiteria fuiſſe

Cap.16.

Euſeb lib.7. cap.13.

martyrum memorias, de tuo depromptum eſt, Euſebius vero τὰ τῶν κοιμητηρίων χωρία cæmeteriorũ ſpatia conceſſa loquitur. Erant autem cæmeteria vt nemo neſcit loca Chriſtianorum ſepulturæ deſtinata, quæ poterant poſſidere Chriſtiani, priuſquam vlla illis templa aut Baſilicæ extructæ fuiſſent. In templis vero aut Baſilicis ſepeliendi morem, multo recentiorem fuiſſe Gallieni ætate, quiuis antiquitatis conſulens facile conceſſerit. Conſtantinus certe maximus, in limine tantum templi à ſe extructi ſepulturam aſſecutus eſt.

Adhæc videre me iubes apud eundem Euſebi-
„ um Philippum imperatorem à Fabiano Romano
„ pontifice in vigilia paſcatis à liminibus Eccleſiæ
„ excluſum, & inter pænitentes collocatum. Video
„ quidem apud Euſebium ab eo, qui pręfuit Eccleſiæ, cuius orationum particeps voluit eſſe Philippus, non prius admiſſum, quam confeſſionẽ Chriſtiano homine dignam ædidiſſet. Sed nec Fabianũ Romanum pontificem video, ac multo minus templum quale quærimus. Nec enim vbicunque coacta fuit Eccleſia, templum illico fuiſſe agnoſco. Saltem diſcere me iubes, Decium Imperatorem Ethnicum, hoſtem Chriſtianæ religionis acerrimum, ab Eccleſia Chriſtianorum ſimiliter extruſum fuiſſe, per Babylam Antiochenum Epiſcopum, cum ſacra Chriſtianorum curioſius introſpicere pręſumeret. At olim hoc didici, non tamen in templo aliquo de quo noſtra controuerſia eſt, coiuiſſe Eccleſiam ex Chryſoſtomo diſcere poſſunt, niſi tu melius doceas.

Euſeb. lib. 6.
cap. 34.

Chryſ. in Or.
cont. Gen.

Præterea legere me iubes, apud eundem Euſebium, tum varia templa perſecutionum tempore ſolo adæquata, ſub Conſtantino ab ipſis fundamentis denuo erecta, tum etiam latas à Conſtantino leges de reſtituendis Chriſtianorum templis olim perſecutionum tempore vel dirutis vel ablatis. Immo tu potius lege nobis hæc ex Euſebio. Ego enim aliter lego. *Magna ſcilicet lætitia affectos fuiſſe pios cùm cernerent* πάντα τόπον *& omnem locum paulo ante tyrannorum impietate dirutum, tanquam ex longa & letali calamitate reuiuiſcentem,* νεώς τε αὖθις *& templa contra ab imo ad ſummam altitudinem excitata. Et capite quinto lego,* τοὺς τόπους, ἐν οἷς οὐ τὸ πρότερον συνέρχεσθαι ἔθος ἦν αὐτοῖς *loca Chriſtianorum in quæ mos erat illis antea conuenire, illis abſque pretio aut mora reſtituta, nec ea ſolum loca in que conuenire ſoliti erant, ſed & alia loca ad corpus ipſum Chriſtianorum ſpectantia, illis reddita, eadem Catholicæ Eccleſiæ* εἴτε κῆποι εἴτε οἰκίαι ἐτύγχανον *ſiue horti, ſiue domus, ſiue quicquid aliud eſt quod in commune poſſiderent omnia quamprimum reſtituenda.* De templis vero Chriſtianorum dirutis & ablatis, & reſtitutis nihil lego, ſed pro humilibus illis locis in quibus olim conuenire ſolebat Eccleſia, magnifica ac ſublimia templa fuiſſe ædificata. Poſtremo ex Nicephoro expendere me vis, quo tempore Ethnici Imperatores toto orbe Romano dominabantur, tamen & præclara reipub. munera Chriſtianis commiſſa fuiſſe, inter quos illic commemorat Dorotheũ & Gorgonium, & præterea exædificata tũc Chriſtianis fuiſſe, non ſolum parua oratoria quæ εὐκτήρια vocat, infra ipſas domos Chriſti-

Hiſt. Eccl. lib. 10. cap. 2. & 3.

Hiſt. li. 7. ca. 2.

„ anorum, ſed etiam templa auguſta, amplitudine „ & magnitudine admiranda, quæ κυριακὰς dominicas „ ſeu etiam Baſilicas antiquitas vocabat. Expendo quidem iſta tum ex Nicephoro, tum certius ex Euſebio vnde hæc deſumpſit Nicephorus: Euſeb. hiſt. lib. 8. ca. 1. & 2. Inuenioque vel ipſo imperante Diocleſiano, ſub quo floruerunt Dorotheus & Gorgonius, Eccleſia etiam magna pace vſa eſt, vſque ad annum imperij cuius 19. vel ſaltem paulo antea cum vetera προσευκτήρια non ſufficerent multitudini confluentium ad ſacra Chriſtianorum, ampliores per ciuitates à fundamentis excitatas fuiſſe Eccleſias. Hæc autem nullo modo conuellunt quod à me dictum erat. *Aliquot nimirum à Chriſti tempore ſeculis, Chriſtianam religionem per totum* Romanum *orbem, quod & Origenes & Arnobius teſtantur, ſine templis, ſine aris, ſine imaginibus floruiſſe.* Suo enim tẽpore hæc accidiſſe fatetur Euſebius. Lib. 8. cap. 1. Sed iterum inſpicere me iubes Origenem (ſi tamen adhuc inſpexi, nec ex aliena fide locum citaui) & expendere quo ſenſu negat lib. 7. & 8. contra Celſum eſſe Chriſtianis templa, aras, imagines. Scilicet ſolus Stapletonus veterum monimenta euoluit, ſolus nouit ſenſum patrum. Sed quod viſurum me ais, de templo gentilium non Chriſtianorum eum loqui perridiculum eſt. Accuſat enim Chriſtianos Celſus Lib. 7. quod nec ſua templa haberent, nec Ethnicorum ferrent. Calumniatus eſt enim Chriſtianos Cancularios conuentus haberi ſolitos, legibus vetitos, quæ eo tendunt inquit Origenes, vt *calumnietur Agapen quam Chriſtiani vocitant, quoties occulte, communis periculi metu conueniunt eamq́; in conſpi-* Lib. 1. paulo poſt principiũ

rationis

ationis ſuſpitionem conatur trahere.

Ex quibus ſatis conſtat, Origenis ætate, ſine templis publicè conſtructis viguiſſe Eccleſiam, vt etiam Arnobij tempore, cum contra gentes ſcriberet, priuſquam diruta à Diocleſiano oratoria reſtituta eſſent. “Sed eſto (inquis) nulla fuerint ante pacem Eccleſiæ generalem, ſub Conſtantino magno extructa Chriſtianis toto orbe Romano templa, &c. An propterea pace Eccleſijs reddita, ad Chriſti nomen & fidem gentibus & principibus terræ concurrentibus, erectis ſemel toto orbe Eccleſijs ampliſſimis & innumeris, Chriſtiana religio vlla eſſe poteſt cuius nullum templũ, nullum collegium, nullus ſocietatis Chriſtianæ locus, per aliquot centurias annorum demonſtrari poteſt?” Ita à theſi depulſus, ad hypotheſin homo cautus confugis. Quid ſi idem nobis accidiſſe dicam, quod orthodoxis patribus ſub Conſtantio Cæſare, coactis relinquere Baſilicas, & templa quæque auguſtiora hęreticis? Sed cum poſtremis his annorum centurijs, non in pace floruerit Eccleſia, ſed ſub Antichriſti iugo grauius preſſa ingemuerit, quam primis illis centurijs ſub Ethnicis tyrannis, quid mirum ſi non multa templa, collegia, loca Chriſtianæ ſocietati dicata in hac pręſertim Europæ parte in qua ſedem habuit Antichriſtus, demonſtrari poſſunt, nam nulla omnino demonſtrari poſſe cum in Bohemia, ſaltem ac Morauia collectas Eccleſias, ſua habuiſſe templa & loca reliqua religioni Chriſtianæ conſecrata certum ſit, nemo niſi cum ſumma impudentia negauerit. Mitto quod prophetiam Aggei, de poſterioris templi gloria maiore quam fuit prioris, non ante Conſtantini ſæculum impletam, ſed ſub Conſtantino maximè impletam fuiſſe aſſeris, quaſi de templo quod ſua ætate reſtitutum fuit, Aggæus minime vaticinatus eſſet, aut Chriſti ſeruatoris præſentia, doctrina, miraculis, non fuiſſet hæc domus multo illuſtrior, quam illa à Solomone olim condita, & à Chaldeis paulo ante diruta. Ais me olim reſpondiſſe, & hîc etiam impudentiſſime repetere: *Conſtantinum magnum Baſilicas nobis extruxiſſe noſtræque religionis vſibus, quod te negante ſic probo. Quum fides & doctrina quam profitemur, in præcipuis & maxime neceſſarijs ad ſalutem capitibus, eadem eſſe demonſtretur, ex illius ætatis ſcriptis monumentis, quam Conſtantinus amplexus ſit, & quæ à religione papiſtica in eiſdem articulis maximè diſſentiat, ſatis vt opinor perſpicuum eſt, Chriſtianæ, non papiſticæ religionis vſibus exedificatas fuiſſe à Conſtantino magnificas baſilicarum templorumque ſtructuras.* Hæc à me generaliter dicta poſſe à te ais generali contradictione negari: ſed nihil ex eo fructus lector caperet vtrumq; potius vanum eſſe, vtrũq; dolo malo agere ſentiret. Doloſus enim verſatur in generalibus. Sed ego non in generalibus tantum verſor, ſed ad demonſtrationes clariſſimas, quæ omnium in manibus extant, tum ab alijs doctiſſimis viris, tum à meipſo etiam vernaculo ſermone æditas, examen fidei ac doctrinę retuli, nec enim omnia vbique demonſtrari aut poſſunt aut debent: futilis eſt igitur & inanis iactantia, quod te expreſsius agendo, ſingularem meam impudentiam nonnihil aperturum gloriaris, & cauſæ

Papiſticæ quam Catholicam falſo vocas, inanitatem oſtenſurum? Quin potius ſi quid habes, ſi quid potes, ſi quid audes, deſume tibi quamlibet controuerſiam, eamque quam valeas preſſiſſime, nullis inanium verborum phaleris aut tricis implicatam, nudis, veris, legitimiſque ſyllogiſmis conclude. In eo certamine ſi victor diſceſſeris, tum tibi tuæq; cauſæ merito applaudere & triumphos canere poteris. Interim nunc quam expreſsè agas videamus. Conſtantini (inquis) fides Romanæ vtique Eccleſiæ fides erat qui in vna vrbe Roma quinque nobiliſſima templa extruxit. Romana autem fides quæ tunc erat, ſedente Silueſtro 1. eadem nunc Romæ viget ſedente Gregorio 13. Imò vero, iamdudum eius doctrina in Eccleſia Romana obtinuit, quia Silueſtrum ſecundum in ſedem pontificatus euexit, nimirum diaboli, qui docuit matrimonium prohibere, & abſtinere à cibis verbo Dei ſanctificatis. Atqui ſi aliter ſe rem habere doceam, oſtendere debeo, & nominare pontificem illum, qui prædeceſſorum ſuorum fidem & doctrinam deſeruit, violauit, aut aliquo modo immutauit. Pulchrè quidem ſe res habet ſi tu nobis pręſcribes, quo argumento contra te pugnare debemus. Nos vero verbi diuini, ſacris ſcripturis comprehenſi gladio acutiſſimo, omnes veſtras hæreſes quas modo memini confodiemus, quamuis nunquam nobis conſtitiſſet, quid Romani Pontifices olim crediderint, docuerint, deſeruerint, immutauerint, licet multos Pontifices Romanos nominare promptum ſit, qui prædeceſſorum ſuorum fidem & doctrinem deſeruerint, violauerint, immutauerint. Poſteriores enim à priorum fide & doctrina in multis magniſque Chriſtianæ fidei principijs, palam defecerũt; & vt taceam eos, qui ad hæreſes damnatas declinauerunt, nonnulli ab omni fide chriſtiana in Atheiſmum aut Sadduceiſmum degenerauerunt. Exemplo ſit Ioannes 23. in Conſtantienſi concilio eius ſceleris conuictus ac condemnatus. Sed quia vel vnum illum Romanum pontificem nominare me iubes, qui à prædeceſſorum ſuorum veſtigijs aliquo modo deflexit; age nomino tibi Bonifacium 3. qui quod ambiebat Paulo ante Ioannes Conſtantinopolitanus, magna pecuniæ ſumma à Phoca Parricida imperatore corruptum vſurpauit. Id vero tale erat vt Gregorius teſtatur, quod nullus præceſſorum eius Romanorum Pontificum vſurpare voluit. Imò vero confidenter dicit, quia quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit: quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Ita Gregorij iudicio præcurſor Antichriſti Ioannes, qui hoc ſibi ſynodi authoritate concedi poſtulauit: Quid Bonifacius qui pecunia ſibi comparauit? Rurſum (inquis) ſi Conſtantini fides eadem eſt quam vos tenetis, quare principi laico in cauſis Eccleſiaſticis ſupremum iudicium tribuitis, & fædo iuramento ad illud vos ipſos obſtringitis? Conſtantinus oblatis illi delatorijs quorundam Epiſcoporum libellis, & vt de illis cognoſceret rogatus: Mihi inquit non eſt fas cum homo ſim eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare: præſertim cum & qui accuſant & qui accu-

Libro.2. Epiſt. 80.

Libro.6. Epiſt. 194.

„
„
„
„
„
„
„
„
„

accuſantur ſacerdotes ſunt. Nos vero non aliud ſupremum iudicium laico principi, in cauſis Eccleſiaſticis tribuimus, quam detulerunt Conſtantino eius ætatis orthodoxi Epiſcopi omnes, & ipſe etiam iuxta Dei verbum exercuit; cum eorum quæ extra Eccleſiam ad Dei cultum ſpectantium agenda eſſent, Epiſcopum ſe à Deo conſtitutum agnoſceret idque audiente Euſebio palam in conuiuio profeſſus eſſet. Quam autem ſit à vero alienum, quod Sozomenus refert cuius hiſtoriā mendacijs refertam, ab Eccleſia Romana non admiſſam fuiſſe teſtatur Gregorius, ſatis indicat agitata coram ipſo Conſtantino imperatore cauſa Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, propter quā, ſynodum Romæ congregauit, imperans Melciadi Epiſcopo Romano, vt eam cum alijs Epiſcopis audiret, auditam ad ſe referret, vt de ea ſententiam ferret. Cumque vt Auguſtinus refert, importuni illi accuſatores, rurſus ad imperatorem venirent, rurſus non Cæcilianum tantum, verum etiam datos ſibi Epiſcopos iudices accuſaernt, rurſus ab alio Epiſcopali iudicio ad eundem imperatorem appellarent, ipſe Conſtantinus inter partes cognouit atque iudicauit. Cumq; criminarentur Donatiſtæ Catholicos, vt nos etiam hodie Papiſtæ, quod cauſam Eccleſiaſticam terrenis poteſtatibus iudicandā tradidiſſent, ipſorum præſumptionem hoc primitus feciſſe, quod Catholicis obijcierent, reſpondet Auguſtinus: *Quod tamen inquit eos non argueremus quia fecerunt, ſi non animo inuido atq; noxio, ſed emendandi & corrigendi voluntate feciſſent. Imò vero ſeruiant (inquit) reges terræ Chriſto, eti-*

De vita Cōſt. lib.4.

Lib.6.Ep.195.

Euſeb.lib.10. cap.5.

Epiſt.48.

De vita Con. lib.4.

am leges ferendo pro Chriſto. Quod & fecit Conſtantinus cum plurimas, tum illam memorabilem, de diei dominicæ perpetua celebratione, vt refert Euſebius. Leges igitur tulit, iudicia ſuprema exercuit, ſynodos conuocauit, & quaſi communis quidam Epiſcopus à Deo conſtitutus, rerum Eccleſiaſticarum procurationem ſuſcepit. Horum omnium certam fidem, ex Euſebio potius, quam Sozomeno, aut quoquam alio longe eius ætate poſteriore petere poſſumus. Sed vt
» Conſtantinum veſtrum facias, Rurſus (inquis)
» Conſtantinus ſignum crucis maximo in pretio
» habuit. quam magno autem? Reſpondes quod
» iuxta eius formam vexillum ſeu labbarum fabri-
» catum ante ſe in bello geſtari voluit, vt accura-
» te narrat Euſebius. Hoc idem ſi verum eſſet quod dicis, & noſtri principes faciunt, quoties in bellum proficiſcuntur. Quanquam ſi recte Euſebium intelligeres, non crucis figuram, ſed illius Characteris de cælo ſibi oſtenſi formam, in labbaro fabrefactā à Conſtantino deprehenderes, qui duabus primis literis X. & P. Chriſti ſeruatoris nomen deſignabat, in quo vt vinceret iuſſus e-

De vita Conſt. lib.1.cap.31.

» rat. Quin & loco ſtatuæ ſuæ more veterum im-
» peratorum erigendę, ſignum crucis (vt ais) Ro-
» mæ victor erexit. Lego quidem ſub manu ſtatuæ ipſius, ſublimem haſtam in forma crucis Romæ in foro poſitam, quo ſe palam Chriſto crucifixo militare teſtatus eſt. Et noſtri principes in diademate, crucis trophæum geſtant, in numiſmatis ſculpunt, & ſe omnibus modis crucifixo ſeruire profitentur.

Addis deniq; Conſtantinum ſigno crucis frõtem ſuam in publico hominum conſpectu conſignare ſolitum: vt idem narrat Euſebius. Nos illud ſignum ex Eccleſijs, ex ædibus, ex vrbibus noſtris prorſus exterminaſſe. In frontibus illud non magis quam ipſum dæmonem ſuſtinere poſſe. Prius docere debueras, à Conſtantino ſignum illud in Eccleſias introductum, quam nos tanquam illius fidei repugnantes damnares, qui ex Eccleſijs illud eiecerimus. Nam quod ad priuatas ædes, aut loca vrbium publica attinet, vbi ſine vlla Idololatria vel ſuperſtitionis periculo ſtare poſſit, falſo aſſeris à nobis ſignum crucis exterminatum eſſe. Quod vero faciem ſalutari ſigno conſignaret, id ea ratione factum eſſe oſtendit Euſebius, vt omnibus teſtatum faceret ignominioſam crucifixi mortem ipſi non eſſe pudori, ſed glorioſam & ſalutarem haberi. Qua ratione & nos contra profeſſos nominis Chriſtiani hoſtes, ſi crucis figuram frontibus imprimeremus, nemo tam ſtupidus eſt, qui hoc Idololatriæ aut ſuperſtitioni deputaret. Sed cum apud vos liber alioqui illius ſigni vſus, in Idololatriam ac fœdiſſimam ſuperſtitionem commutatus ſit, merito ſignum illud auerſamur, quod dæmonem reformidare, anillis quidem fabula eſt, & diabolicum inuentum, vt ſuperſtitioſo ſignaculo armati, veram ac perfectam Chriſtiani hominis armaturam qua omnibus ſatanæ ignitis telis ac impoſturis tuto reſiſtitur, quam ſacra ſcriptura deſcribit, miſeri homunculi negligerent. Quæris deinde an Conſtãtini fides à matris ſuæ Helenæ fide ac religione

Ephe. 6.

» diuerſa videatur. At illa quanto ſtudio ad loca
» ſancta peregrinata eſt, quanta religione lignum
» crucis, & Martyrum reliquias venerata ſit, quan-
» ta pietate templa auguſtiſſima religionis Chriſti-
» anæ vſibus extrui fecit, hiſtoriæ paſſim loquũtur.
» & rogas an nos quicquam cum hac fide, pietate,
» religione commune habeamus. Mitto quam ineptè templorum ædificationem, de qua controuerſia eſt, noſtræne religionis, an veſtrę idololatriæ vſibus ea extruxerit, pro argumento aſſumis, vt matrem aut filium Papiſticæ Eccleſiæ membra fuiſſe demonſtrares. Ad peregrinationem, & locorum ſanctorum peragrationem venio, quam magno ſtudio obiuiſſe Helenam hiſtoriæ narrant, in quibus aliqua tum forſitan hiſtoriæ Euangelicæ veſtigia ac monumenta quędam ſuperrerant quæ mulier illa ad ſuperſtitionem vſque pia, religioſo affectu coluit, ac in pretio habuit. Quid vero ſimile habuit hæc illius locorum Chriſti pręſentia, ac miraculis nobilium luſtratio, cum veſtra peregrinatione Papiſtica, qua modo huc, modo illuc, ad Idola mortua ac muta, varijs tamen impoſturis mouere & loqui, pecuniæ emungendæ cauſa, edocta, à plebe miſera & quauis talpa cæciore concurritur? Quod vero tanta religione, quanta tu prædicas, lignum crucis & Martyrum reliquias venerata ſit, apud aliquem probatum hiſtoricum non lego. Contra vero lego, apud Ambroſium quo tempore (ſi vera eſt hiſtoria, quam Euſebius non attingit) crucem quo Chriſtus affixus fuerat inueniſſet, *ipſum regem adoraſſe, non lignum vtique, quia hic gentilis eſt error, &*

De ob. Theod.

vanitas impiorum. Lego etiam apud Arnobium qui eadem ætate cum Conſtantino eiuſque matre Helena vixit, Chriſtianos crucem non coluiſſe, hoc vero crimen vt Ambroſius, in gentiles cõtorſiſſe. *Cruces inquit nec colimus, nec optamus, vos planè qui ligneos Deos conſecratis cruces ligneas vt deorum veſtrorum partes forſitan adoratis.* Refers quinto Conſtantitium conſecratos Martyribus dies “ honore proſecutum fuiſſe, & feſtorum ſolennitates “ in Eccleſijs celebrari per orbem Romanum “ pręcipiſſe. Leges igitur cõdidit de religione, princeps laicus, & Martyrum memoriæ conſecratos dies in honore habuit. Habemus & nos, & antiquiſſimas etiam feſtorum ſelennitates anglica Eccleſia retinet. Quæris tamen an noſtra do- “ ctrina hanc religionem hunc cultum probat, qui “ Martyres homines mortuos ſemper nuncupa- “ mus? & illorum venerationẽ Idololatriam ducimus? “ Itane vero quia Martyres homines mortuos eſſe ſemper fatemur, quorum corpora, vita pro Chriſto profuſa, quieſcunt in terra, ſpiritus autem eorum, vt & omnium fidelium viuunt apud Deum, idcirco omnem illis honorem derogamus? Audi igitur Auguſtinum de ijſdem ſcribentem.

De ciuit. Dei lib. 22.

Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis quorum apud Deum viuunt ſpiritus fabricamus. Nec ibi erigimus altaria in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo & martyrũ & noſtro ſacrificiũ inmolamus: ad quod ſacrificium ſicut homines Dei qui mundũ in eius confeßione vicerunt ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote qui ſacrificat inuocantur. Deo quippe non ipſis ſacrificat, quãuis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei ſacerdos eſt *non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis quia hoc ſunt & ipſi*. Vides igitur ſacrificium Euchariſticum corporis Chriſti, cuius pars eximia martyres ſunt, Deo ab Eccleſia offerri, non ipſis cultum & religionem qua Deo aſtringimur deberi, aut ſine manifeſta Idololatria, vel Auguſtini iudicio Martyribus exhiberi poſſe.

» Dicis poſtremo pręſente & inuitante Conſtantino,
» in dedicationis Martyrij ſeu templi Hieroſolymitani
» ad ſepulchrum domini celebritate, Epiſcopos
» pręſentes incruentis ſacrificijs, & myſticis
» conſecrationibus diuinum numen placaſſe: &
» ſupplices Deo preces, pro communi pace, pro
» eccleſia Dei, pro imperatore & liberis eius obtuliſſe.
» At fides & doctrina veſtra (inquis an vllam
» templorum dedicationem vel dedicationis memoriam
» & celebritaté fert? Incruenta ſacrificia,
» myſticas conſecrationes, veſtra prophana menſa
» neſcit, ſed ſuperſtitioni, imo Idololatriæ, omnem
» huiuſmodi cultum deputat. Imo vero, ſacra noſtra méſa incruenta illa ſacrificia, & myſticas leiturgias quibus diuinum numen propitium redditur, hoc eſt vt ipſemet ſe interpretatur Euſebius, preces ſupplices pro communi pace, pro Eccleſia Dei, pro rege eiuſque liberis Deo oblatas, & gratiarum actiones probe agnoſcit. Hæc enim ſola ſacrificia Chriſtiani acceperunt quæ offerrent, vt Iuſtinus docet & Euſebius ipſe alibi pluribus oſtendit. Quod ad templorum dedicationem ſpectat, etſi in ceremonijs præſertim ad pietatem minime neceſſarijs nimij eſſe nolumus, pias tamen & feſtiuas ſolemnitates, qualis fuit illa Con-

De vita Con. lib. 4 cap. 43

Dialog. cont. Iudæos.

Demonſt. Euang. li 1. c. vl.

Conſtantini, noſtra fides & doctrina, quid ni ferre poſſit? Illa enim quam deſcribit Euſebius celebritate tantoque Epiſcoporum conuentu non tam templi conſecratio peragebatur, quam triceſimi anni Imperij eius fœliciſſimi, clauſula & periodus ornabatur. Vt Deo omnium bonorum largitori pro tantis in principem & Eccleſiam beneficijs, gratiæ per multos in vnum coactos agerétur, preceſque vt ipſe imperauit, funderentur, vt ſiue in pręſenti, ſiue in futuro ſæculo dignum ſe oſtenderet quem Deus pro ſeruo ſuo agnoſceret. Hęc cum ex verbis ipſius Euſebij ſatis liquido conſtent, tum etiam hac ratione ſatis eluceſcunt, quod cum multas adeoq; magnificas ſuis ſumptibus extinxiſſet Conſtantinus Baſilicas, in nullius tamen dedicatione tantaq; celebritate vſus legitur, quantam in hac vna adhibitam refert Euſebius. Qui quidem præcipuũ epiſcoporum ac Dei miniſtrorum apparatum quibus feſti ſolemnitatem ornabant, non in ſacrificijs illis incruentis myſterijſq; liturgijs ac miniſterijs, ſed in ſanctis concionibus ac oraculorum diuinorum interpretationibus collocat. Qui vero ad hæc in tanto omnium gentium concurſu pro dignitate illius conuentus tractanda minimè idonei erant, eos demum publicarum precum ac liturgiarum miniſterio vacaſſe oſtendit. Non igitur video ex Conſtantini rebus geſtis à te prolatis, fidem & religionem eius à nobis diſcrepantem. Quod ſi in his omnibus alia fuiſſet Conſtantini fides ac religio quam noſtra, eſſent quidem nec admodum multa nec ſatis magna, vt alienum eum à noſtra Eccleſia cenſeremus.

Dummodo crucis ſignum pro idolo non habuerit, nec peregrinationes, nec martyrũ reliquias, nec feſtos dies, nec templorum dedicationes ita coluerit, vt aliquid Dei honori aut officio ac gloriæ Chriſti redemptoris vnici detractũ vellet. Quod ſi rixas Epiſcoporum ſepultas eſſe cupiens, ad Dei tribunal omnium iudicia remiſit, non inde ſequitur nullam habuiſſe vel in cauſis Eccleſiaſticis, vel in perſonas authoritatem, cum in vtriſque ſummam & principe Chriſtiano dignam poteſtatem exercuiſſe, clariſſima veterum teſtimonia clamitent. Satis igitur oſtendi quod me nunc
» oſtendere & proferre iubes. Præcipuos illos ar-
» ticulos fidei, in quibus fides quam Conſtantinus
» amplexus eſt, à religione veſtra maxime diſſen-
» tiat. Immo vero ætatis illius ſcripta monimenta
» ab Eccleſia eius temporis approbata, ſi vel vnum
» ex noſtris nouis dogmatibus, quæ contra Eccleſi-
» am Romanam tenemus approbant, credes pro-
» fecto noſtris hæreſibus, tot templa extruxiſſe
» Conſtantinum. Crede igitur & confitere noſtræ Eccleſiæ, noſtræ religioni, Baſilicas exædificaſſe Conſtantinum, qui ſupremam authoritatẽ habuit in cauſis Eccleſiaſticis, etiam ſupra Romanum pontificẽ, tota Eccleſia illius tẽporis approbante, ſuffragante Auguſtino, teſte Euſebio, ipſiuſque imperatoris reſcriptis. Idem Conſtantinus (vt Theodoretus refert) omnem ſpiritus ſancti doctrinam ad quæuis de religione tollenda diſſidia neceſſariam ἀναγραφάτλον ἔχεσθαι in ſcriptis relatum haberi cenſuit. *Euangelici enim inquit libri, & Apoſtolici, & veterum prophetarum oracula perſpicua*

Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 7.

ſpicuè nos inſtruunt quæ oportet περὶ τοῦ θείου, *de Deo eiuſque cultu ſentire, hoſtili igitur depoſita diſcordia ex dictis diuinitus inſpiratis ſumamus quæſtionum explicationem.* Vos vero διδαχὴν ἄγραφον, & Romani Pontificis ſententiam, & conciliorum decreta nulla Scripturæ auctoritate innitentia, ad nauſeam vſq; vrgere non deſinitis, & velut ad quæſtionum controuerſarum ſolutionem neceſſaria obtruditis. Quod Lactantius in diuinis ad Conſtantinum Inſtitutionibus, ſolis diuinis Scripturis earumque eximia eruditione fidem conſtare agnoſcit, quod diuinæ legis caput primum eſſe aſſerit primum iuſtitiæ officium ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere, Deo coniungi, quod religio dicitur, ſecundum vero miſericordiam hominibus quod vel humanitas nominatur: quam belle cum veſtris placitis conueniat, vt & alia multa ab eodē Lactantio tradita, prudens ac eruditus lector apud ſe expendet. Euſebium vero imaginum vſū aut adorationem tantopere deteſtatum, conſtat, vt in Niceno conciliabulo, quod pro imaginibus ſtatuit non alia ratione eius authoritatem euitare poterant, quam ipſum Arrianiſmi labe aſpergendo, quod ſiue verum eſſet, ſiue falſum, non aliam Euſebius quam Conſtantinus vniuerſa eccleſia approbante tenebat, ſententiam de imaginibus protulit. Idem teſtatur Eliberini concilij decretum, qua ſancitum eſt picturas in eccleſia Dei non habendas, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. Aliud vero eiuſdem ſynodi prouincialis placitum quo prohibentur Epiſcopi, alijq; in miniſterio poſiti, à ſuis coniugibus ab-

De Inſt. libr. 5. cap. 4.

De vero cultu lib. 6 cap. 9. & 10.

Nicen. 2. Act. 6

Cap. 35.

Cap. 33.

Socr.Lib.1. cap.11.

abſtinere, in æcumenico concilio Niceno confirmatum eſt impiæ prohibitioni coniugij ſeſe opponente Paphnutio. Et Gangrenſis ſynodus circa eadem tempora celebrata, anathemate percutit, ſi quis diſcernit presbiterum coniugatum, tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat. Quid hic referam Niceni concilij canonē,

Canon.6.

qui Alexandrinum epiſcopum Romano exæquat? Antiqua aiunt conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin, ita vt Alexandrinus epiſcopus, horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt, vt eadem ratione qua Romanus epiſcopus, vicinis ac ſuburbicis eccleſijs præeſt, Alexandrinus etiam propinquis præficiatur. Non me latet quibus artibus huius canonis auctoritatē excutere conentur Romanenſes, ſed parum imo nihil omnino proficiunt apud eos, qui vel micā ſani cerebri retinent.

In Matt. com. 8. & 21. de trin. lib. 2. & 6. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3. Orig. in Ep. ad Rom. lib 3. c. 3. Cyp. ad Quirin. ca. 42. Ter. con. Marc. li. 4. Greg. ar. 22. Baſ. de humilitat. H. 51.

Hilarium Pictauienſem epiſcopum, quamuis ſub Conſtantio maximè floruit, vixiſſe tamen etiā ſub Conſtantino veriſimile eſt. Ille vero ſententiam ſuam de ſola fide iuſtificante non ſemel explicat. Euſebius etiam ſola in Chriſtum fide quæ per opera bona elucet, ſalutem hominibus contingere reſcribit, quę cum antiquiorum etiam patrum Origenis, Cypriani, Tertulliani ſcriptis quadret, non dubium eſt quin eandem etiam amplexus ſit Conſtantinus: quam paulo poſt ſubſecuti patres Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius magno conſenſu retinuerunt. De Euchariſtia eadem nobiſcum crediderunt, omnes iſti patres alijque plures, vt Iuſtinus, Irenæus, Hieronymus, Theodoretus, Auguſtinus à quorum fide alienum fuiſſe Conſtantinum, ne ſuſpicari quidem licet. Vnum Epiphanium adiungam, qui illius imperio propinquior fuit. Hic autem ſimilitudine ab Euchariſtia ſumpta oſtendit, homines non ſecundum æqualitatem Dei, habere id quod eſt ſecundum imaginem eius, non per naturam ſed per gratiam. *Videmus enim inquit, quid acceperit pater in manus, quemadmodum ſe habet in Euangelio, quod in cœnæ ſurrexerit & acceperit hæc, & gratijs actis dixerit hoc meum eſt illud &c. Videmus tamen quod non æquale ſit, neque ſimile non incarnatæ imagini, non inuiſibili Deitati & lineamentis membrorum, hoc enim & rotundæ & oblongæ formæ & ſenſus expers quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, hoc meum eſt illud. Et nemo non fidem habet ſermoni, qui enim non credit ipſum eſſe veracem qui dixit, excidit à gratia & ſalute. Quia vero quod audiuerimus etiam crediderimus, credimus quod ipſius eſt. Dominum autem noſtrum nouimus totum ſenſum, totum ſenſus participem, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehenſibilem, ſed qui cum gratia hoc nobis largitus ſit.* Nihil quidem hoc teſtimonio clarius ad euertéda transſubſtãtiationis & concomitantię monſtra, cum Euchariſtiam neget Epiphanius Chriſto æqualem, cum vitæ ſenſusq; vacuam aſſerat, cum per gratiam factam ad imaginem Chriſti oſtendat, vt homo ad imaginé Dei, & tamen vere eſſe id quod dicitur, ne nudũ ſignũ imaginemur, ſed diuinum ſacramentũ eſſe credamus, quo verè nobis qui gratiæ eius participes ſumus, obſignat, ſeque exhibere teſtatur Chriſtus,

Chr. in Ep. ad Rom. Ho. 7. ad Gal. c. 2. Amb. in Ep. ad Rom. ca. 3. & 4. &c.
Lib. Ancor.

quod promiſit, paſci nos ſcilicet carne & ſanguine eius, ad immortalem vitam. Hæc ſunt Stapletone apud nos maximi momenti dogmata; de Romani pontificis auctoritate, de christiani principis in cauſis Eccleſiaſticis poteſtate, de ſacrarum ſcripturarum ad omnes quæſtiones de religione cultuque diuino terminandas perfectione, de ſacrificijs Chriſtianorum, de fide iuſtificante, de imaginibus eorumque cultu, de coniugio miniſtrorum Eccleſiæ, de Euchariſtia, in quibus à vobis diſcrepamus, quæ omnia approbaſſe Conſtantinum vt à nobis tuentur, ratione, argumentis, teſtimonijs confirmaui, ne me magnum eſſe magnarum rerum aſſeueratorem & oſtentatorem audacem, ſine cauſa dixiſſe videaris. Circa quæſtionem de templis, tertio reſponderam, *Apoſtolos ſi hoc rogati fuiſſent, non alia quam Ethnicorum templa proferre potuiſſe, proindeque iniquam eſſe poſtulationem.* Replicare te ais, ab Apoſtolis qui nouam plane & inauditam orbi religionem adferebant, niſi ſtultiſſimè illud poſtulari potuiſſe, à nobis tamen æquiſſimè illud flagitari, qui totis his 1500. annis, veræ Chriſtianitatis vſum & exercitiũ nobis ſolis vendicamus. Hic ergo iterum reſpondi. *Sed cum inualeſcente his aliquot ſæculis Antichriſti ſuperſtitioſo & impio cultu, templa fere omnia (ſaltem in his locis in quibus illa peſtis graſſata eſt) fœda Idolomania prophanata, & ad vſus Papiſticos deformata fuit, non magis æqua eſt à nobis quam ab ipſis Apoſtolis fuiſſet, templorum ad omnia religionis noſtræ officia inſeruientium poſtulatio: pleraque enim aut vetuſtate collapſa ſunt, aut ad ritus ſuperſtitioſos & Idololatricos conuer-*

ſa. Huic reſponſioni meæ cum nihil haberes quod opponeres, quoue eius firmitatem tolleres, fabulam me cōminiſci fingis, non aliter ac ſi maiores meos reges & principes toto orbe fuiſſe, caſtra, vrbes, palatia ſplendidiſſima, poſſediſſe iactarem, quæ nunc vetuſtate collapſa, aut in alios vſus mutata, oſtendi non poſſunt. Quaſi hac nuda affirmatione templa nobis omnia vetuſtiſſima vendicaremus, ac non potius ex ſacrarum ſcripturarum tabulis, veterumque patrum teſtimonijs, quaſi ex actis iudicijsque publicis, nos eſſe legittimos horum omnium hæredes oſtenderemus, adeoq; ea à vobis tanquam ab iniquis poſſeſſoribus repetere. Cur non igitur miſſa hac inutili de templorum extructoribus controuerſia, ex ſacris illis monimentis quærimus, ad vtros noſtrum eorum ſpectat hęreditas? Quorum enim vera fides ac doctrina, ex ſacris ſcripturis, & eccleſia Chriſti eſſe comprobatur, eorū abſq; cōtrouerſia, ſunt omnia templa, omnes Baſilicæ, omnia collegia, cęteraque Chriſtianæ religionis vſui deſtinata ædificia. Reliqua ludibria quæ in hunc locum congeris, & quibus ſcurræ partes melius tutaris quam Theologi, aut modeſti viri, tibi relinquo, quibus te tuoſque amicos ad ſatietatem oblectes, quando grauitatem & modeſtiam tanto profeſſore dignā abieceris, vt tam ridiculam perſonam indueres. Colligis te tamen cum ſatis facetiarum tibi profudiſſe viſus es, & eſto inquis vt narras, & fuerit “
non fabula ficta, Nonne ex eo euidenter ſequitur, “
penitus oppreſſam in tenebris iacuiſſe fugitiuam “
hanc tuam, & contra eam omnibus modis “
Romanam Eccleſiam præualuiſſe? Non omnino “

inquam ſequitur. Tu magnus demonſtrationum artifex, conſequentiam quam niſi violatis dialecticorum legibus negare non licet, contexe ſi poteris. Nec video tam latum diſcrimen poſtulati huius, à parte Apoſtolorum iniquiſſimi, à noſtra æquiſſimi. Illi enim Chriſti Eccleſiam inter gentes inchoarunt, & religionis formam, vt ais nouam penitus, auſpicati ſunt: nos Chriſti Eccleſiam è latebris & tenebris, in quas Antichriſti tyrannide compulſa fuit, in lucem & aſpectum reducimus, & religionis formam licet vetuſtiſſimam, tamen pluribus gentibus qui eam ignorarunt, penitus nouam reſtituimus. Templa igitur ſiue vetera, ſiue noua, quæ Chriſtianæ religioni inſeruire poſſunt, Chriſti Eccleſiæ aſſerimus & papiſtis iniquis poſſeſſoribus iure optimo expulſis, plurimis in locis Dei beneficio occupauimus ac poſſidemus.

Quod ſcripſi quædam adhuc templa oſtendi poſſe quorum forma ad vſus papiſticos, ſcilicet ad miſſam audiendam, & idolum altaris in ipſo miſſæ ſacrificio conſpiciendum prorſus inepta ſit, vt quæ in crucis aut circuli figura extructa ſunt. Scire vis vbi terrarum? meque per ludibrium rogas, ne reconditam hanc antiquitatem vobis inuidere velim: Deinde ſuſpicaris me audiuiſſe quippiam cuius exactam memoriam non habeam, iuuare me itaque in te ſuſcipis. Et Moguntiæ in ſummo templo, Romæ vero in quampluribus Eccleſijs antiquiſſimis, ais in circuli figura extructum eſſe ſacrificij locum, forma ad conſpicienda myſteria aptiſſima, meamq; inſulſitatem rides, quia hanc formam ad hunc vſum ineptiſſimam dixerim. Atqui ego, non de loco ſacrificij, ſed de templis in circuli figura extructis ſcripſi, quorum ſacrificij locus, quem cancellum vocant, ab oriente, in longum quadratum protenditur, vt non niſi ex aduerſo in circulari templo conſiſtentibus, conſpici potuerit ſacerdos ad altare ſacrificans. Deniq; hæc templa non in Germania aut Italia, quanquam in illis etiam regionibus forſitan talia extare poterant quærenda, ſed in noſtra Britannia oſtendenda ſenſi, Londini ſcilicet in Collegio Iuriſperitorum quod Templum vocant, & Cantabrigię ad ſancti ſepulchri. Fieri poteſt, vt alibi etiam huiuſmodi viſantur, ego vero eorum tantum quæ vidi teſtis eſſe volo. De his quę in crucis figura erecta ſunt prorſus reticces, quia nulla ratione eorum formam ad miſſæ veſtræ ſpectacula idoneam demonſtrare poteras. Tales ſunt Auguſtiſſimæ quæque ac vetuſtiſſimæ Baſilicæ & cathedrales Eccleſiæ ferè omnes quas mihi videre contigit in Britannia. Nec illæ ſolum, vt Paulina, Weſtmonaſteriẽſis, Elienſis, Nordouicenſis, &c. ſed quædam etiam parochiales Eccleſiæ, vt Londini ſunt Mariæ trans Thameſim, Cantabrigiæ S. Trinitatis, S. Andreę, & ruſticæ etiam quædam vt Wilberhamiæ prope Cantabrigiam, Sohami iuxta paludes Elienſes. Paccenhamiæ (vicus eſt tertio à Buria Sudouolgiæ lapide) templum eſt vetuſtiſſimum in ædito colle ſitum, quod an olim crucis figuram habuerit incertum eſt, ſpectantur quidem ab auſtrali parte rudera & quaſi fundamenta ſolo tamen adæquata, à ſeptentrione vero, quod reſponderet ex aduerſo nullo veſtigio deprehendere poſſum, illud autem obſeruatu dignum , quod in orientali templi parte turris eſt antiquiſſimi operis campanas ſuſtinens, ſacrificij quem vocas locum ita ſeparans à reliquo templo, vt eum prorſus obſcuret, vt nihil vero propinquius videatur, quam nō multis ab hinc ſeculis locum illum fuiſſe adiectum, ipſumque templum olim ſuprema parte occidentem ſpectaſſe, cum alia pleraque contra ad orientem vergant. Pauca hęc non multum à ſe inuicem diſtantia, exempli loco tibi ſufficere poterunt , ne multas terras ac longiſſime diſſitas regiones peragrare cogaris, ſi mihi narranti fidem adhibere nolis. Sed illud ſcitum eſt, quod in canone miſſæ, pro omnibus circumſtantibus orari dicis , propterea quod vndique circumſtante populo in Rotundis huiuſmodi Baſilicis, facillime conſpicitur actio tota liturgica. Fateris igitur pro me, olim quo tempore ſcilicet Canon ille conditus primo fuit, eam fuiſſe omnium templorum formam , aut ita ſaltem collocatam fuiſſe menſam vt vndiq; circumſtante populo facillime conſpici potuerit actio tota liturgica. Imò (inquis) in huiuſmodi omnibus, facie ad populum obuerſa, ſacerdos vt magis in cōſpectu ſit ſacrificat. At in reliquis infinitis fere templis, non ſolum facie à populo auerſa ſacrificat ſacerdos veſter , verum etiam populum omnem habet à tergo, vt non niſi ineptiſſimè in canone miſſæ, pro omnibus circumſtantibus orari poſſit. Cur non igitur canonem miſſæ ad templorum formam, quæ canone recētior eſt immutatis, (aut ſi id nefas eſt) templa ſaltem veſtra ad canonis formam in rotundam figuram conuertitis?

1 Quod adiungere me dicis, rem eandem aliis verbis repetentem, vt nihil ſit his quæ apud me ſequuntur inſulſius, falleris inſulſiſſime, aliam onim rem, aliam & vſitatiorem templorum figuram adiungo, cum aio: *Quæcunque ante decretam ab Antichriſto Romano, Euchariſtiæ adorationem condita videntur, vt vetuſtiora omnia, ipſa ſtructuræ ſpecie & forma, ad hanc rem incommoda ſunt: Recenter verò ædificata, teſtantur ſuos conditores, huius adorationis rationem habuiſſe maximam. Ita vt quocunque in loco templi populus conſiſteret, ſummum illud altare ſemper in oculis haberet.* Maximè vulgaris forma templorum in Anglia eſt quadrata, ſed ab occidente in orientem protenſa longior. Horum vetuſtiora habent ſacrificij locum quem cãcellum dicunt, à media tantum orientali parte procurrentem, vt qui in auſtrali aut Boreali templi plaga conſiſterent, ſummum vt vocant altare, quod ad extremum parietem poſitum erat, aſpicere nequirent, ſoli qui in media parte eſſent, quæ orientem & occidentem reſpicit, illud intueri poſſunt, & eleuatum ſupra caput ſacrificantis libum adoreum aſpectum adorare. Quæ vero poſt adorationem Euchariſtiæ decretam conſtructa fuerunt, ſunt quadrangularis vt priora figuræ, ſed extra quadratum cancellum non habent. Summum enim altare habuerunt ad medium murum orientalem, vt non mouentes ſe loco homines, in quacunque parte templi ſedentes, ſemper illud in oculis habere potuerint. Hoc

cum tu intelligere nolles, architectonicam meam derides, & ad Rotundæ figuræ templa ineptiſſimè trahis: & ne deſit tibi ad iocos & ſcommata in quibus tibi plurimum places, lepidum argumentum, fingis me dixiſſe Rotundæ figuræ templa vetuſtiſſima fuiſſe, deinde circinum ducis pro ludibrio tuo: non enim arbitrio dicam, vt eam formam ad Euchariſtiæ adorationem minime accommodam doceres. Et ne hoc ſpectaſſe conditores poſteriorum temporum viderentur, vt ſummum altare in oculis haberetur, varijs rationibus pugnas: quaſi noluiſſent Euchariſtiam eleuatam conſpici & adorari. Primum (inquis) ſi hoc ſpectaſſent, profecto non forma quadrata, aut quadrangula, ſed rotunda conſtruxiſſent. Quaſi vero quadrata aut quadrangula, minus ad hanc rem idonea figura eſſet, quam rotunda. „Deinde nec ipſius ſummi altaris locum parietibus & „interſtitijs (vt in magnis Eccleſijs fit) hinc „inde occultaſſent. At non multæ ſunt magnæ Eccleſiæ recens ædificatæ. Illi vero parietes & interſtitia in magnis Eccleſijs poſita ſunt, ad arcendos fures & prophanos homines, ne quid abſentibus ædituis compilent aut violent, quod ad ornatum illius loci pertinet. Quoties vero miſſæ celebrantur, patent omnibus ingreſſuris ad ſpectaculum, & adorationem Idoli veſtri eleuati. Tertio (inquis) neque diametrum ipſum ſolo „patente ad ingreſſum oſtij, vel omnino „clauſiſſent, vel cancellis obſcuraſſent, ſed abſque vllo „interſtitio, abſque clauſura, locum Eccleſiæ „patentiſſimum inanem & vacuum reliquiſſent. Hoc ſi ad ſi ad Euchariſtiæ adorationem commodiſſimum eſt, magnam gratiam apud vos promerentur noſtri, qui ſublatis clauſuris & interſtitijs omnibus omnia vſque ad orientalem parietem patentiſſima reliquerunt. Sed ego quam diametrum dicis non ſatis intelligo, in nulla vnquam parochiali Eccleſia de quibus ſermo meus eſt, ſummum illud altare vel clauſū omnino vel cancellis ita obſcuratum vidi, vt non poſſit tamen conſpici in talibus quadrangularis formæ templis, quacunque in parte quis conſtiterit. Quare nihil hæ miſeræ coniecturæ te iuuant. Quis enim niſi ad contradicendum conductus, negauerit miſſæ videndę, & Euchariſtiæ adorandæ rationem habuiſſe cōditores huiuſmodi templorum, qui eam formam à vetuſtioribus diuerſam ſequutas viderit aut agnouerit.

Quod dixi tuum Bedam profiteri aliam fuiſſe formam aboriginum Britonum, qui Romanæ Eccleſiæ iugum non ſuſceperant, quam fuerit eo ſæculo ab Eccleſia Romana recepta: Reſpondes his verbis, « Certe meus Beda nihil huiuſmodi habet, « nec in latina origine, nec in verſione noſtra « Anglicana. Hoc ſolum ſcribit Beda dicto libro & capite, quod huc pertinere poteſt, Eccleſiam « quandam vetuſtiſſimam D. Martino ſacram Pi« ctorum Auſtralium Epiſcopo ſedem Epiſcopatus « fuiſſe, quæ vulgo vocaretur *ad candidam Caſam eo* « *quod ibi Eccleſiam de lapide, inſolito Britonibus more* « *fecerat.* Sed quid hoc ad propoſitum? Te miſe« rum qui talia fragmenta hinc inde conſectaris, « &c. Imo te miſerum Stapletone, qui tam putidè mentiri

Lib. cap. 4.

mentiri in re tam leui, in qua tam facile mendacij coargui potes, nihil erubeſcis. Quid ais? nihil huiuſmodi habet Beda tuus, nec in latina origine, nec in verſione tua Anglicana? In latina quidem origine, verba Bedæ bona fide retuliſti, cur non etiam quid Anglica tua verſio haberet, ob quam Bedam tuum me appellaſſe non diſſimulas recenſuiſti? An non hęc tua verſio eſt? *For ſo much as there hè made a Church of ſtone after an other faſhion, than the Britons were woont to builde.* Hanccine vocem tuam agnoſcis Stapletone? Hæc vero tua Anglica verſio, quid aliud latine ſonat ad verbum, quam *eò quod ibi fecerat templum vel Eccleſiam de lapide iuxta aliam formam quam Britones ſoliti erant ædificare.* Hunc ſenſum ſi Bedæ verba ferre non poſſunt, tu malus interpres nobis errandi anſam præbuiſti, nec tamen errorem agnoſcere vis, ne nobiſcum ſaltem erraſſe videaris. Sed cur te pudeat verſionis Anglicæ audiamus.
„ Illa ſane inquis Eccleſia ad candidam Caſam,
„ non ab alia forma quam communi dicta eſt, ſed
„ ab albo vt videtur & candido lapide, in terra gen-
„ tis noſtræ (vti noſti) ſatis vulgari. Nam & ex
„ albis rupibus inſulam illam cingentibus Albion
„ olim eſt dicta, & ad ædificia aptiſſimo & validiſ-
„ ſimo, quo tunc de nouo præter veterem morem
„ Britonum, qui vel ex ceſpite vel cocto latere, ſuas
„ ædiculas antea conſtruxerant, exædificata fuit.
„ De forma enim ſeu rotunda, ſeu quadrata, ſeu
„ noua, ſeu antiqua, ſeu iuxta Romanum morem, ſeu
„ præter, nihil illic Beda. Primum quod inſula ab albis rupibus Albion dicta fuerit, non magis rati-

oni conſentaneum eſt, quam quod Nigrion à nigris rupibus appellari debuerit. Deinde rupes albæ quæ in mare prominent, vnde ab adnauigantibus Albionem dictam leuis eſt coniectura, non tam facile materiem ædificantibus præbent, quam lapides in quibuſdam inſulæ partibus terræ ſuperficiē pene obtegentes, aut è lapidicinis quę alicubi frequentiſſimæ ſunt eruti & exciſi. Qui vero lapidibus vt tu fateris abundabant, an veriſimile eſt, nulla niſi ex ceſpite aut cocto latere ante illum diem, quo Ninia Britannus templum illud condiderat ædificia vidiſſe, vt noui operis lapidei admiratione ducti, candidam caſam appellare cæperint? Ex ceſpite quidem ruſtica tuguria, opere tumultuario & facili, ad vſus agreſtes congeſta non negauerim. Ex cocto vero latere auguſtiora ædificia qualia templa, caſtella, palatia ſunt, niſi in illis partibus vbi lapidum eſt penuria, ſolum luto vel argilla conſtans, & præterea copioſa eſt ad ignes fouendos materia, cōſtruxiſſe non temere crediderim. Candidam igitur à lapidum colore vocatam forſitan non aberrat à ſcopo coniectura tua: ſed cur caſam appellarit tam nobile ædificium, vt ſedes eſſet Epiſcopalis, ac inſignis Martini Epiſcopi nomine & Eccleſia Bedæ diceretur, niſi ob aliam formam, Britonum iudicio, caſæ quam templo propinquiorem? Quod vero iuxta Romanum morem inſolito Britonibus more, ædificata fuerit, inde colligitur, quod Ninian eius conditorem refert Beda, Romæ regulariter fidem & myſteria religionis edoctum fuiſſe. Sed non indicat Beda Aborigines

gines

mentiri in re tam leui, in qua tam facile mendacij coargui potes, nihil erubeſcis. Quid ais? nihil huiuſmodi habet Beda tuus, nec in latina origine, nec in verſione tua Anglicana? In latina quidem origine, verba Bedæ bona fide retuliſti, cur non etiam quid Anglica tua verſio haberet, ob quam Bedam tuum me appellaſſe non diſſimulas recenſuiſti? An non hęc tua verſio eſt? *For ſo much as there he made a Church of ſtone after an other faſhion, than the Britons were woont to builde.* Hanccine vocem tuam agnoſcis Stapletone? Hæc vero tua Anglica verſio, quid aliud latine ſonat ad verbum, quam *eò quod ibi fecerat templum vel Eccleſiam de lapide iuxta aliam formam quam Britones ſoliti erant ædificare.* Hunc ſenſum ſi Bedæ verba ferre non poſſunt, tu malus interpres nobis errandi anſam præbuiſti, nec tamen errorem agnoſcere vis, ne nobiſcum ſaltem erraſſe videaris. Sed cur te pudeat verſionis Anglicæ audiamus.
,, Illa ſane inquis Eccleſia ad candidam Caſam,
,, non ab alia forma quam communi dicta eſt, ſed
,, ab albo vt videtur & candido lapide, in terra gentis
,, noſtræ (vti noſti) ſatis vulgari. Nam & ex
,, albis rupibus inſulam illam cingentibus Albion
,, olim eſt dicta, & ad ædificia aptiſſimo & validiſſimo,
,, quo tunc de nouo præter veterem morem
,, Britonum, qui vel ex ceſpite vel cocto latere, ſuas
,, ædiculas antea conſtruxerant, exædificata fuit.
,, De forma enim ſeu rotunda, ſeu quadrata, ſeu
,, noua, ſeu antiqua, ſeu iuxta Romanum morem, ſeu
,, præter, nihil illic Beda. Primum quod inſula ab
albis rupibus Albion dicta fuerit, non magis rationi

oni conſentaneum eſt, quam quod Nigrion à nigris rupibus appellari debuerit. Deinde rupes albæ quæ in mare prominent, vnde ab adnauigantibus Albionem dictam leuis eſt coniectura, non tam facile materiem ædificantibus præbent, quam lapides in quibuſdam inſulæ partibus terræ ſuperficiẽ pene obtegentes, aut è lapidicinis quę alicubi frequentiſſimæ ſunt eruti & exciſi. Qui vero lapidibus vt tu fateris abundabant, an veriſimile eſt, nulla niſi ex ceſpite aut cocto latere ante illum diem, quo Ninia Britannus templum illud condiderat ædificia vidiſſe, vt noui operis lapidei admiratione ducti, candidam caſam appellare cæperint? Ex ceſpite quidem ruſtica tuguria, opere tumultuario & facili, ad vſus agreſtes congeſta non negauerim. Ex cocto vero latere auguſtiora ædificia qualia templa, caſtella, palatia ſunt, niſi in illis partibus vbi lapidum eſt penuria, ſolum luto vel argilla conſtans, & præterea copioſa eſt ad ignes fouendos materia, cõſtruxiſſe non temere crediderim. Candidam igitur à lapidum colore vocatam forſitan non aberrat à ſcopo coniectura tua: ſed cur caſam appellarit tam nobile ædificium, vt ſedes eſſet Epiſcopalis, ac inſignis Martini Epiſcopi nomine & Eccleſia Bedæ diceretur, niſi ob aliam formam, Britonum iudicio, caſæ quam templo propinquiorem? Quod vero iuxta Romanum morem inſolito Britonibus more, ædificata fuerit, inde colligitur, quod Ninian eius conditorem refert Beda, Romæ regulariter fidem & myſteria religionis edoctum fuiſſe. Sed non indicat Beda Aborigines

» gines illos Britones Romanæ Eccleſiæ obedien-
» tiã, quã ego iugũ voco non agnouiſſe. Sed in ſola
» paſchatis obſeruatione eos à Romanæ totiuſque
» Catholicæ Eccleſiæ more diſcrepaſſe ſcribit, id-
» que vt ait, tanquam Barbaros & rudes, qui mo-
» rem Eccleſiaſticum non didicerunt, non autem
» (vt ego lectori inſinno) tanquam qui Romanæ
» Eccleſiæ morem ſcientes & prudentes contemp-
» ſiſſent. Imò vero ſi de ijs loqueris quibus Minia
Britannus candidam caſam extruxit, non à Romana ſolum Eccleſia, ſed à Chriſto etiam alieni erant priuſquam eodem Epiſcopo verbum eis prędicante, relicto (vt ait Beda) errore idololatriæ, fidem veritatis acceperunt. Si de ſeptentrionalibus Pictis intelligis, quos Columbanus ex Hybernia veniens, verbo & exemplo, ad fidem Chriſti conuertit, illi ſane Romanæ ſedis obedientiam, tantum abeſt vt agnouerint, vt ne nouerint quidem, Vtpote quibus (inquit Beda) *longe vltra orbẽ poſitis nemo ſynodalia paſchatis obſeruantię decreta porrexerat, tantum ea quæ in Propheticis, Euangelicis & Apoſtolicis literis diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera diligenter obſeruantes.* O fęlices illos; quamuis nihil vltra didiciſſent. Sed ego de illis Britannis ſenſi, qui Auguſtini quem ſciebant à Romano Pontifice emiſſũ, omnem auctoritatem penitus contempſerunt, omniaq; eius decreta reſpuerunt: apud quos candidæ caſæ nomen etiam ante Anglorum appulſum in vſu fuiſſe probabile eſt, quanquam ne ipſe quidem Gregorius ſollicitus fuit de forma aut ſtructura templorum, ſed ea ipſa idolorum fana, in quibus Angli ſuos deaſtros colue-

Lib.9.Ep.71.

coluerant deſtrui vetat, & ad vſum Chriſtianæ religionis aquæ benedictæ aſperſione conſecrari præcipit, quemadmodum Britanni ſi vera eſt hiſtoria ſub Lucio ad fidem conuerſi, templa idolorũ, vt etiam flamines in Epiſcopos commutarunt. Sed de templorum forma ac ſtructura ſatis multa. Quod addo quaſi appendicem (quia dixeras nos non aliter huic quæſtioni de religionis noſtrę tẽplis ſatisfacere poſſe, niſi nos ipſos totius orbis Apoſtolos eſſe, nec alios illos à Chriſto miſſos legatione ſua recte functos fuiſſe, ſed ſine fructu laboraſſe, &c. dicamus) quã vane & futiliter à me dicantur, ex his quæ iam diſputata ſunt liquido ſatis conſtare putas. *Dixi vero de Apoſtolis ab ipſo Deo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto ad orbem vniuerſum legatis, quam honorifice ſentiamus, argumento eſſe poteſt apud omnes ſani iudicij homines, quod omnem fidei morumque doctrinam ex eorum tantum literis ac monimentis, cæteriſque ſacræ ſcripturæ oraculis peti debere acerrime contra vos contendamus. Quantoq; cum fructu legatione ſua functi ſunt agnoſcimus, cum Eccleſiam ſuper eorum fundamenta ſemel extructam, in toto terrarũ orbe, non in Europæ aliquo Angulo propagatam, omnibus licet Sathanæ Machinis oppugnatam, manſurã tamen vſque ad finem ſæculi confidimus.* At horum prius quod dico, omnium hæreticorum vocem eſſe & prætextum impium in toto huius operis libro 12. oſtendiſſe te gloriaris. At hoc falſum eſſe alicubi in hoc opuſculo luce clarius demonſtraui, cum ex Irenæo, Valentinianorum hæreticorum vocem & prætextum impium coarguo, qui ſimiliter vt vos, traditionem neceſſariam præter Scripturas

turas ſanctas prædicabant. Deinde non eſt prætextus impius, ſed pius, ſi qui hæretici ſola ſcripturarum authoritate ſe niti falſo iactitant. Nec quicquid ab hæreticis falſo prætexitur aut affirmatur ſtatim impiū eſt, & ab orthodoxis atq; Catholicis reſpuendū: Alioqui & ipſas ſcripturas abijcere debemus, quia illis ad fucū faciendū, ſuasq; fraudes palliandum abutuntur hæretici. Poſterius
,, quod dico, ais à me quidem confidenter aſſeri, ſed
,, niſi Eccleſiam Romanam deſignem atque agno-
,, ſcam, quam duo glorioſiſſimi Apoſtoli Petrus &
,, Paulus Romæ plantauerunt ſuoque ſanguine
,, confirmarunt, nullo vnquam tempore oſtendi
,, poſſe. Quid igitur reliquorum Apoſtolorum labores funditus perierunt? Sola manet plantatio Petri & Pauli? Ego vero Eccleſiam Romanam ab Apoſtolis & Euangeliſtis, ſiue à Petro & Paulo, ſiue à quibuſcunque plantatam, Pauli ſat ſcio doctrina irrigatam, vt partem Catholicæ Eccleſiæ multis poſt Chriſtum ſæculis illuſtrem perduraſſe agnoſco. Sed degenerem hanc, in qua nunc ſedet Antichriſtus, multis erroribus ac ſuperſtitionibus deformatam, rudera tantum & ruinas, veræ Eccleſiæ eſſe profiteor, Eccleſiam tamen Catholicam omnium Apoſtolorum laboribus plantatam, & fundamentis ſuperædificatam, ita vt ſemper fuit à prima eius propagatione per totum terrarum orbem diſperſam deſigno atque agnoſco, cuius plurima membra licet Antichriſti tyrannide afflicta, aliquandiu ab eius & ſatellitum ipſius oculis & conſpectu, in hac preſertim mundi parte quam maxime oppreſſit Antichriſtus, latuerunt,

runt nunquam tamen defecit eorum vel palam ſub cruce pugnans & moriens, vel occultè crudelitatem ipſius declinans Eccleſia, atque hoc in toto hoc opuſculo ſatis liquido me oſtendiſſe confido.

Sed vis vt bona fide ſi quam habeam, tibi dicam, ſerione ſentiam labores Apoſtolorum non perijſſe, ſed Eccleſias quas toto orbe plantauerunt cum fructu ampliſſimo perduraſſe: quare hîc ſcribam Eccleſiam ab illis extructam & propagatam ſemper manſuram me confidere, ſed non ſcribam ſemper in orbe hactenus manſiſſe, me planè credere. Immo ſane ita me Chriſtus amet, vt ſenſi Eccleſiam ſemper hactenus permanſiſſe, & ſcripſi etiam ſuper Apoſtolorum fundamenta ſemel extructam, ſemper manſuram, hoc eſt tantum abeſſe vt defecerit vnquam, vt ſemper perduraturam eſſe firmiſſimè credam. Minimè vero vt tu non minus frigide quam malignè concludis. An quia veſtram nunc quam Apoſtolicam eſſe vultis perpetuo manſuram ſperas, Catholicam autem omnium gentium ſiue Romanam iam olim ab aliquot ſæculis perijſſe exiſtimas? Hoc eſt autem quod dixi Apoſtolorum labores per hanc doctrinam veſtrā inanes & irritos & ſine fructu à vobis conſtitui. Quin tu potius videas, ne omnium aliorum Apoſtolorum labores inanes & irritos, & ſine fructu conſtituas, cum nullam in toto terrarum orbe, niſi à Petro & Paulo plantatam Eccleſiam Romanam agnoſcas. Et cum certum ſit Eccleſiam Romæ plantatam fuiſſe priuſquam

Paulus ad Romanos vel ſcripſiſſet vel captiuus ductus eſſet: A Petro vero plantatam fuiſſe non eſt credibile, cum in legis ac Euangelij diſcrimine & vtriuſque operum ac fidei iuſtitia, tam rudes eſſent, vt eos Epiſtola ad Romanos arguit, ex tua abſurdiſſima doctrina ſequetur, nullam omnino Apoſtolico labore plantatam in mundo extare
» Eccleſiam. Ego vero dixeram, Et Armeniorum
» ad patriarcham Conſtantinopolitanum annis
» abhinc duodecim æditam fidei confeſſionem vi-
» dimus orthodoxam, ac cum doctrina Apoſtolica
» in ſummis illis religionis articulis pulchrè con-
» ſentientem. Neque ab hac confeſſione alieni ſunt
» Syri, alijque orientales populi, quos inter ab ipſis
» Apoſtolis plantatæ Eccleſiæ, licet ſæuientibus
» vndique perſecutionum procellis, ad hæc vſque
» tempora vnicum ſalutis auctorem Chriſtum am-
» plectuntur, Romanum vero pontificem, ſi qui eius
» ſuperbiam nouerunt, execrantur ac deteſtantur.
Hæc cum ſubiunxiſſem vt non perijſſe Apoſtolorum labores oſtenderem, quorum laboribus plantatæ in oriente Eccleſiæ etiam nunc ſuperſunt: tu me glorioſè ſubnectere illa de orientalibus populis cauillaris, ſed tum demum de reſpõſione fore ſollicitum, cum huius meæ aſſertionis teſtes idoneos & legittimos authores protulero. Quaſi cuiquam obſcurum ſit, orientales Eccleſias, Romani pontificis authoritatem aut neſcire aut contemnere aut deteſtari. De Armeniorum confeſſione, in quam conſentiunt orientales omnes orthodoxi, præter quoſdam, vetuſtis hæreſibus

Neſtorij, Eutychis, &c. infectos, quod vidiſſe me ſcripſi, liber æditus ab Abdia prætorio teſtatur Witenbergæ excuſus anno 1570. vbique proſtat. De Syrorum quorundam exulum Eccleſia quam Romę vidiſſe te ais, ex ritu gẽtis ſuæ diuina officia celebrare, inique coniecturam facis, quid ſentiat de Romano pontifice orientalis totius Syriæ Eccleſia. Ex illis forſitan ſunt qui ad montem Libanum habitant, Syri Maconitæ, quos olim Monothelitas, nunc ſolos ferè in Aſia, Latinæ Eccleſiæ conformes eſſe referunt. Si vero fides adhibenda Georgio Chabibo Chaldæo Babylonio, Eccleſiæ Syriacæ presbytero, homini in Scripturis, quas ſuaii. Syriaca lingua legebat ac proferebat, mediocriter exercitato, & linguæ etiam Arabicæ perito, quem Londini ac Cantabrigiæ annis ab hinc plus minus quindecim aut ſexdecim conuenimus: Romanum pontificem eiuſque authoritatem illæ Eccleſiæ penitus ignorant, & præter nonnullos errores non maximos quos cum antiquis quibuſdam patribus communes, tuentur, cætera nobiſcum Chriſtianæ religionis capita agnoſcunt omnia. Æthiopum quoque confeſſio à Chriſtophero Licanati Dauidis Æthiopiæ imperatoris ad Ioan. 3. Portugalliæ regem legati an. Dom. conſcripta 1534. & à Damiano à Goes ędita, Coloniæ excuſa eſt apud Geruinum Calenium anno 1574. eius pręcipua capita excerpta Dauid Chytręus ædidit anno. 1580. in qua etſi multa ſuperſtitioſa reperiuntur, extant tamen Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ manifeſta veſtigia. Quod Syros patitur

Romanus Pontifex ſua lingua ex gentis ſuæ ritu diuina officia peragere, argumento eſt eum ipſis quaſi precario imperare, cum idem reliquis gentibus nullo modo permittere velit. Quod iubeo poſtremo *faceſſere in anem iſtam futilemq̀ue Romanenſium de perſonarum ac locorum ſucceſſione iactantiam,*
» ſubſannas me quaſi ego ita eam valide hîc oppug-
» naſſem, vt meis argumentis concuſſa ac depreſſa
» ne hiſcere quidem amplius audeat. Atqui ego nunquam ſperaui, quam diu linguæ venenatæ, ac virulenti calami vobis non deſunt, eam maledictis, conuitijs aut cauillis abſtenturam, futilem tamen & inanem eſſe gloriationem, de perſonarum ac locorum ſucceſſione cum doctrinæ examen ex ſacris ſcripturis ferre non poſſitis, omnes cordati homines vel me tacente ſentiunt: quod vero eam quo magis à me impugnata ac laceſſita eſt, eo nunc validius à te eſſe defuſam, clarius explicatam, & luculentius corroboratam iactitas, meras orationis ampullas ac ſeſquipedalia verba, prudens ac Catholicus lector vobis nimis familiaria, ex his quæ reſpondendo tibi oppoſuimus, facile vt ſpero agnoſcet. Tamen (inquis) vt aculeum lectoris in animo, poſtremis meis verbis magnus orator relinquerem, aio vos *aliam quam quæ ab Apoſtolis tradita & per omnes ætates, hinc vſque conſeruata, eſt ſalutis adipiſcendæ rationem, ad turpem quæſtum & fluxam mundi gloriam parandam impie excogitatam, ore impudentiſſimo profiteri, & pro doctrinæ examine, ab Apoſtolorum ſcriptis prouocantes ad ſeriem hominum mortuorum eorumque omnibus*

bus probris contaminatorum: vt veſtræ ipſorum de ipſis teſtantur hiſtoriæ, non ſtulsè magis ac ridiculè quam impiè & ſcelerate confingere.

Hunc egregium epilogum ſi curioſius expendere velles, varias adhuc turpitudines meas exponere te, debere affirmas. Quas vero? quod aio vos *aliam ſalutem quærere quam quæ ab Apoſtolis huc vſque conſeruata eſt*, mendacium eſt impudentiſſimum, niſi fortè cum vos dico meipſum intelligo. ſcilicet, at ego non aliam ſalutem ſed aliam adipiſcendæ ſalutis rationem dixi, quam quæ ab Apoſtolis tradita eſt. illa vero eſt per ſolā fidem in Chriſtum vnicum ſalutis noſtræ apud Deum auctorem, mediatorem, aduocatum, ſacerdotem, ſacrificium, regem etiam, prophetam & doctorem. Hanc ſolam ſcriptura docet, veteres omnes ſanctique patres amplexi ſunt, ſuiſque ſcriptis profeſſi, hanc vos abieciſtis, & de prædeceſſorum antiquiſſimorum nominibus quorum fidem & doctrinam non imitamini, inaniter gloriamini. Deinde quod aio vos ab Apoſtolorum ſcriptis prouocare, hoc vnum mendacium eſt quo cotem & mentiendi palmam promereri me aſſeris, nam hoc ipſo in opere, tribus libris, de canone ſcripturarum, deinde de authoritate & medijs interpretandi eiuſdem, diſputaſti. Sed cum de his omnibus quam poteras accurate diſſerueris, annon ſcripturam ſacram hoc ipſo in libro ad perfectionem diuini hominis minime ſufficientem prodere auſus es? Cap. 9. Imo quid aliud toto hoc libro moliris, quam vt à ſolo legittimo do-

ctrinæ Apoſtolicæ examine, ad perſonarum &
locorum localem ſucceſſionem, Eccleſiæ veræ &
Catholicæ diſquiſitionem pertrahere poſſis.
Non attingam vero cum ad exitum feſtinem, il-
las tuas ſcripturarum alligationes, Bona eſt lex
1.Tim.1. ſi quis ea legitimè vtatur, alioqui litera occi-
1.Cor.4. dit, ſpiritus viuificat: vt oſtendas legitimè & ſa-
lubriter, ſcripturis vtendum eſſe. Tertio quod
dico vos ad ſeriem hominum mortuorum & ſtul-
tè & impie confugere, Primum offendit, quod
ſanctiſſimos Eccleſiarum paſtores, tot ſeculo-
rum, homines mortuos appellem, cum Deus vi-
uorum Deus ſit, non mortuorum, quaſi quiſ-
quis homines mortuos nominat, neget omnes
homines pie defunctos Deo viuere, quid eſt nu-
» gari & cauillari ſi hoc non ſit? Quin & in domi-
» no mortuos, defunctos libentius quam mortuos
» vocat alicubi Auguſtinus. At idem Auguſtinus a-
licubi martyres etiam vt modo ex eo citauimus
homines mortuos vocat. Et Paulus non veretur
1.Cor.15. mortuos appellare qui ad vitam excitandi ſunt.
Apo.13. Et beatos mortuos ſpiritus ipſe pronunciat qui in
domino moriuntur: quæ eſt ergo hæc futilitas de
vnicæ voculæ vſurpatione nec inſolita, nec illici-
ta rixam non ſemel mouere inutilem? Sed quod
» maius eſt, quæris an ſtultum & impium ſit per-
» petuos Eccleſiarum paſtores & Epiſcopos qui-
» bus obedire, quos audire, à quibus nos paſci &
» regi ſcriptura docet, diligenter inquirere, ne
» quouis vento nouæ doctrinæ circumferamur,
» ſed potius permaneamus in his quæ didici-
» mus? Dixi ſtultum & impium eſſe, ab A-
poſto-

poſtolicis ſcriptis ad ſeriem hominum mortuorum, quibus nec obedire, quos nec audire, à quibus nos paſci & regi nulla ſcriptura docet: non ſunt enim nobis paſtores aut doctores homines mortui, vtcunque olim fuerunt Eccleſiæ ſuis temporibus cum viuerent. Ad miniſterium igitur pręſentis Eccleſiæ in qua viuimus, quo ex verbo Dei nos regi & paſci conuenit, nos conferre decet, illi adhærere, ne quouis vento nouæ doctrinæ circumferamur, ſed permaneamus in hijs quæ ex ſacra ſcriptura, paſtorum ac doctorum miniſterio edocti ſumus. Quod vero omnibus ſæculis idem præſtiterit Chriſtus ſicut pollicitus eſt, quia veracem nouimus, conſtanter credimus, etiamſi nulla omnino extaret memoria, eorum qui ante nos ſuis temporibus præfuerunt Eccleſijs. Sed ſi ſtultum & impium eſt, ab Apoſtolicis ſcriptis, ad ſeriem hominum mortuorum confugere, Stultus & impius Paulus, qui hunc in finem datos Eccleſiæ paſtores & doctores ſcripſit, qui vna cum Sila circumiuit Eccleſias, præcipiens cuſtodire pręcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Elegans ſanè concluſio, niſi argumento careret. Nam in quem finem ſcripſit Apoſtolus datos Eccleſiæ paſtores & doctores? An vt ad ſucceſſionis ſeriem omnibus ſæculis, ad Apoſtolorum vero & ſcripta minime confugerent? Apoſtolorum vero & ſeniorum præcepta annon & veteris ſcripturæ & ipſorum Epiſtolæ, & Lucæ teſtimonio quæ fuerunt ſatis nobis conſtat? Quin etiam ſtultus & impius Tertullianus, Irenæus, Hilarius, Auguſtinus, Optatus, Epiphanius, qui

„ hanc paſtorum & Epiſcoporum ſucceſſionem
„ contra veteres omnes hæreſes diligentiſſime
„ perurſerunt. Sed neque quiſquam eorum quos
nominas, Epiſcoporum ſucceſſionem veritati ex
ſcripturis patefactæ antetulit. Auguſtinus certe
Ioan.17. manifeſtam veritatem (quæ in ſolo Dei verbo
pura & certa reperitur.) omnibus illis extraneis
argumentis, conſenſus vniuerſalis, antiquita-
Contra.Ep. tis, nominis Catholici, ſucceſſionis quæ illum
Fund.cap.4. præter ſapientiam illam quæ in Catholica eſt ip-
ſumque in Catholicæ gremio tenuerunt; merito
„ præponendam eſſe fatetur. Stultus denique &
„ impius Euſebius, cæterique omnes Eccleſiaſti-
„ cæ hiſtoriæ ſcriptores, qui hanc vnam ſucceſſi-
„ onem perſonarum & locorum in Eccleſia Chri-
„ ſti ſummo ſemper ſtudio annotarunt, & vt rem
„ cognitu digniſſimam poſterorum memoriæ reli-
„ querunt. Verum nullus eſt veterum Eccleſiaſti-
cæ hiſtoriæ ſcriptorum, qui hanc perſonarum &
locorum ſucceſſionem, in hunc finem annotaret,
vt veritatis inde regulam Eccleſia peteret, cum
in omnibus fere ſedibus quarum Epiſcopos re-
cenſent, aliquos ſaltem lupos & hæreſeωn vel
auctores vel fautores, vel aliter à recto veritatis
tramite aberrantes commemorant. Ex illis enim
cognouimus Victoris inſolentiam, Marcellini
lapſum in Idololatriam, Liberij Arrianiſmum,
Honorij Monothelitiſmum, quemadmodum Sa-
moſateni, Neſtorij, Dioſcori, Sergij, aliorumque
reliquarum ſedum Epiſcoporum errores & hære-
ſes. Deinde non omnium Eccleſiarum, ſed in
cele-

celeberrimis totius orbis vrbibus conſtitutarum ſucceſſiones obſeruant, mulier vero Apocalyptica ex vrbium frequentia in deſertum à dæmone pulſa, non ideo contemnenda, quia minus diligentes in eius Hiſtoria contexenda nacta eſt ſcriptores, ſed ex corona duodecim ſtellarum alijſque inſignibus, multo certius agnoſcenda eſt, quam ſi ab auis ad proauos, attauos, trittauos, in milleſimam vſque generationem ſuorum miniſtrorum nomina proferret. Quod dico poſtremo homines pleroſque fuiſſe omnibus probris contaminatos, cum de Romanis pontificibus quorum ſcelera veſtris ipſorum hiſtorijs referentibus, omnia paganorum monſtra vel adæquarunt vel ſuperarunt, loquamur, grauiter & iniquo animo te ferre oſtendis, cum non mihi vllo iure, ſed illis ipſis potius hiſtoricis veſtris qui pręclaram illam ſucceſſionem vobis tradiderunt, ſuccenſere debueras. Sed meminiſſe debebam in Cathedra Chriſti ſediſſe huiuſmodi qui dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere. Si in Cathedra Chriſti ſederunt Romani illi Antichriſti, non vt Chriſti Euangelium docerent, ſed vt Chriſtum ſua gloria ſpoliarent, Cathedram illam inuaſerunt qui ſi cornua duo habuerant ſicut agnus, loquuntur tamen vt Draco cuius voci nullo modo obtemperandum norunt Chriſtiani omnes. In Chriſti Cathedra ſedent qui Euangelium docent, & quatenus ipſum docent; ſicut Scribæ & Pharizæi in Cathedra Moſis, non quando doctrinas docent præcepta hominum, ſed tum ſolum cum legis per Moſem à Deo hominibus traditæ, veri ac fidi fuerunt interpretes. Non enim fieri iubet Chriſtus quæ ipſe ſuperſtitionis & falſi cultus damnat. Succeſſionis igitur Eccleſiaſticæ cognitio, nec Eccleſiæ neceſſaria, nec certa aliqua veritatis regula, cum abſque ſanæ doctrinę coniunctione & conſanguinitate, perſonarum & locorum ſucceſſionem inutilem eſſe tuteipſe fateri cogeris. Æterna vero Chriſti veritas, nulli hominum ac locorum ſucceſſioni tam certè alligata eſt, vt vel ſine ea ſubſiſtere nequeat, vel in vna aliqua perſonatum ſerie ſemper permanſerit.

Laus Deo. Amen.